POMPA
INTROITVS
FERDINANDI
AVSTRIACI
HISPANIARVM INFANTIS, &c.
IN
VRBEM ANTVERPIAM.

Biblioteca Nacional de España

HESPERVS
EOIS LVCET ET OCCIDVIS
TV REGERE IMPERIO BELGAS GERMANE, MEMENTO:
PARCERE SVBIECTIS ET DEBELLARE SVPERBOS
POMPA
INTROITVS
HONORI
SERENISSIMI PRINCIPIS
FERDINANDI
AVSTRIACI
HISPANIARVM INFANTIS
S.R.E. CARD.
BELGARVM ET BVRGVNDIONVM
GVBERNATORIS, ETC.
A
S.P.Q. ANTVERP.
DECRETA ET ADORNATA;
Cùm mox à nobilissimâ ad NORLINGAM
partâ Victoriâ ANTVERPIAM Auspi-
catissimo Aduentu suo bearet,
XV. KAL. MAII, ANN. CIↃ.IↃC XXXV.
Arcus, Pegmata, Iconesq; a PET. PAVLO
RVBENIO Equite inuentas & delineatas
Inscriptionibus & Elogiis ornabat,
Libroq; Commentario illustrabat
CASPERIVS GEVARTIVS I.C.
& Archigrammateus Antuerpianus.
Accessit LAVREA CALLOANA eodem Auctore descripta.
Iconum Tabulas ex Archetypis Rubenianis delineauit
& scalpsit THEOD. A. TVLDEN
cum priuilegio.
VLTOR ADES GRADIVE, VIAM VI STERNE TRIVMPHIS
PAX OPTIMA RERVM
ANTVERPIÆ
VENDVNTVR APVD THEODOR.^VM A TVLDEN
Pet. Paull. Rubens Inuent.

SERENISSIMO

PRINCIPI FERDINANDO AVSTRIACO,

HISPANIARVM INFANTI, S. R. E. CARD.

BELGARVM ET BVRGVNDIONVM GVBERNATORI, ETC.

SERENISSIME PRINCEPS,

LÆTITIÆ Publicæ monumenta, ob Auſpicatiſsimum Tuum ad Belgas Aduentum Antuerpiæ edita, ære ſtyloque expreſſa, SER^MÆ CELSITVDINI TVÆ offerimus. Prælusit iam tum diuinis Tuis in ſe Belgaſque omnes meritis, ac Securitati ſuæ per Te partæ Antuerpia: & rerum à Te fortiter præclareque mox geſtarum omina haud vana præcepit. Vtrique Germaniæ ſalutarem Aduentum Tuum fuiſſe, res ipſa probauit. Veramque eſſe patuit, illam priſcorum Philoſophorum ſententiam: *Certis temporum vicibus Heroicas ac Diuinas quaſdam Animas ad Regnorum Prouinciarumq; Salutem è cœlo in terras labi.*

Plotinus Oratione Inuocatiua de Prouidentia.

Poſt Succos & Romani Imperij perduelles à Te ad NORLINGAM in tranſcurſu delectos, mox geminos Gallorum & Batauorum in Belgij vniuerſi excidium coniuratos exercitus ad LOVANIVM fortiter repulisti: neque antè Gubernator hiſce Prouinciis, quàm Conſeruator obtigiſti.

Sed & in ipſis ANTVERPIÆ oculis, CALLOA, vicinaque munimenta, inuictâ Virtute Tuâ recepta ſunt: cæſis, merſis, captiſque ſeptem hoſtium millibus, & ingenti nauium claſſe interceptâ. Ipſe Virtutis Tuæ & nobiliſsimæ teſtis Victoriæ SCALDIS, hoſtilium cadauerum ſtrue paſsim ſtipatus, vndas ſuas alueo cunctantiùs euoluebat,

Claudian. in Cos. Honorij Aug.

——— *dum frigidus Amnis*
Mutatis ſumaret aquis: cumuloq; cadentum
Staret, ni rapidus unsiſſet fluminea ſanguis.

Et verò, eâdem clade alter quoque qui Terrâ huic Vrbi imminebat, fractus fugatuſque Batauorum eſt exercitus. Adeò vt meritò à CALLOA, pulcherrimo Victoriæ Tuæ monumento nobilitatâ, CALLINICI cognomentum ſeruata Tibi debeat ANTVERPIA. Certè, de hoſtilium nauium compage inſtratum SCALDI Pontem quoties calcamus, toties & ob clariſsimam Victoriam Tuam, & ob fractam immanium hoſtium ferociam triumphare ſibi Vrbs iſta videtur. Itaque licet SER^VÆ CELSITVDINIS TVÆ Nomen

ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ Pulcher Victor. Hercules cognomen apud Græcos.

iam

iam pridem in ipso Æternitatis Templo cuspide gladij Tui sculptum exstet; patere nihilominùs, Magne Princeps, hæc Triumphalis Aduentus Tui monumenta, ad celsissimum Gloriæ Tuæ tholum, velut Tutelari Numini appendi.

——— *Sic Cereri sua dona, merumq́, Lyæo* Papin. 1. Syluar.
Reddimus: & dites præda tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo, captiuaq́, tela
Bellipotens.

Atque vtinam Vrbi huic ea Facultas, eaque Temporum adesset Felicitas, quibus ante annos centum & viginti, Imp. Cæs. CAROLVM V. Aug. Proauum Tuum; & deinde annis vndetriginta interiectis, Filium eius PHILIPPVM II. Hispaniarum Indiarumque Regem potentissimum, Auum Tuum, operosissimâ pompâ excepit! Tum certè Heroicis illis SER^MÆ CELSITVDINIS TVÆ Virtutibus, non materiata ista opera, sed vel certantem Templis molem Pario de marmore erigeret.

In foribus PVGNAM *ex Auro, solidoq́, Elephanto,* Parod. ex Marone lib. Georg.
CALLOAM *facerat, Victarum & robur Iberum.*
Atque hic vndantem Bello, magnumq́, fluentem
SCALDIM, *ac nauali surgentes ære Columnas,*
Et duo rapta manu diuerso ex hoste Trophæa.

Interim, si quæ splendoris publici & Magnificentiæ ratio, maiorum more, ab hac Vrbe est habita; vno hoc testimonio deuotam REGIÆ MAIESTATI CATHOLICÆ Fidem, promptissimum SER^MÆ CELSITVDINI TVÆ obsequium, pronumque erga Augustissimam AVSTRIÆ Domum vniuersam, cultum & obseruantiam declarasse sperat.

Deum Opt. Max. supplices precamur, vt Germaniæ vtrique (dum tot vndique coniurati hostes Orbem Terrarum in vtriusque excidium aut artibus sollicitant, aut armis fatigant) pristinum, Te Vindice, ac Pacis optatæ Fundatore, Decus & Tranquillitatem largiatur. Id Belgarum, id bonorum omnium commune Votum est, atque in primis Vrbis huius; cuius nomine ista venerabundus offert, dicat consecratque

SERENISSIMÆ

CELSITVDINI TVÆ

Deuotissimus

XVIII. Calend. Iulij. ANN. CIↃ. IↃC. XLI.

C. GEVARTIVS Io. F. I.C. ET S.P.Q. ANTVERP. AB ACTIS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR,

I. Lipſ. Præfatione Cent. III. Epiſtol. ad Belgas.

EN *Tibi Triumphalem Ser*[mi] *Principis* FERDINANDI AVSTRIACI, *Hiſpaniarum Infantis, in Vrbem Antuerpiam Introitum. Illum vt litteris conſignaremus, & Ampliſsimi Senatus iuſſa, & deceſſorum meorum exempla me mouère.* ANTVERPIA *enim, vt, magni viri elogio,* Vrbium quas Europa, Aſia, Africa videt, pulcherrima eſt; *ita nulli vmquam debito Principibus ſuis, miſsiſq; eorum nomine, Belgicæ Gubernatoribus, Honori & obſequio præſtando ceſsit.*

Exſtat Caroli V. Introitus tom. III. Rerum Germanicar. à Marquar. Frebero editar.

Imp. Cæſ. Caroli V. Aug. in Vrbem Antuerpiam Introitus.

Imp. Cæſ. CAROLI V. *Aug. Hiſpaniarum Regis, Belgarumq; Principis, ſolennem in hanc Vrbem Introitum anno ſuperioris ſæculi,* CIↃ.IↃ.XX. Petrus Ægidius, *Archigrammateus Antuerpianus; ille eruditorum æui ſui Delicium, adornauit, editiſq; Spectaculorum Hypotheſibus, poſteritati prodidit: Pictoribus tum ducentis & quinquaginta è Ciuibus (quos inter* Quintinus *ille* Meſsiſius *eminebat:) Fabris trecentis, itidem è Ciuibus, certatim operi inſudantibus.*

Philippi II. Hiſpan. Regis Introitus.

Cum deinde PHILIPPVS II. CAROLI V. *Aug. F. tum Hiſpaniarum Princeps, anno* CIↃ IↃ. & XLIX. *ſplendidiſsimo Apparatu ab hac Vrbe exceptus, & in Sacri Rom. Imperij Marchionem inauguratus eſſet, eius rei Curator exſtitit* Corn. Scribonius Grapheus, *Vrbi à Secretis, qui & iuſto Commentario Pompam iſtam euulgauit. ad quam Pictores ducentos ac* XXXIII. (Petro Aloſtano, *Cæſareo Pictore ac Architecto operum directore:) Statuarios Centum; Fabros octingentos &* XCV. *præter alios plurimos opifices, contuliſſe operam, idem Grapheus commemorat.*

Erneſti Archiducis Introitus.

ERNESTI, *Archiducis* AVSTRIÆ, *Imp. Cæſ.* MAXÆMILIANI II. *Aug. F. ac pro* PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Indiarumq; Rege, harum Prouinciarum Gubernatoris, Auſpicalem in hanc Vrbem Ingreſſum Anno* CIↃ. IↃ. XCIV. *adornauit ac deſcripſit* Ioan. Bochius, *Vrbi quoque à Secretis.*

Alberti & Iſabellæ Archiducum Introitus.

ALBERTI *item Archiducis* AVSTRIÆ, *Erneſti Fr. &* ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, *Hiſpaniarum Infantis, Coniugum, ac Belgij Burgundiæq; Principum, feliciſsimus Aduentus & Inaugurationis ſolennia Antuerpiæ Anno* CIↃ. IↃ. XCIX. *celebrata ſunt, eodem* Bochio *Curatore: qui & Hiſtoricam eius apparatus narrationem in vulgus edidit. Ac tum* Otho Vænius, *Pictor celeberrimus & litteratus, Icones Tabulaſq;, (quod & in præcedenti* ERNESTI *Principis Introitu ab illo præſtitum) delinearat.*

Ferdinandi Auſtriaci, Hiſpaniarum Infantis Introitus.

Denique, cùm FERDINANDVS AVSTRIACVS, PHILIPPI IV. *Hiſpaniarum Indiarumq; Regis, Fratris ſui, nomine, in Belgicas haſce Prouincias Gubernator Anno* CIↃ. IↃC. XXXIV. *aduenisſet, moxq;* ANTVERPIAM *ipſum acceſſurum eſſe, ſignificatum foret; ampliſsimi Vrbis Conſules, Robertus Tucherus, Eques, & Ioan. Roſa, reliquiq; Senatores, cum Præfectis Ærarij re communicatâ, Ser*[mi] *Principis deſideratiſsimum Introitum, more maiorum quàm ſplendidiſsimè exornandum curiatis Comitiis decreuerunt. Acciſis licet per fatalia hæc bella, Vrbis facultatibus, ob Commercium cum vicinis intercluſum, damnaq; grauiſsima illata: perfoſsis nuper, hoſtium immanitate, Scaldis aggeribus, ac Neptuno in ſuburbanos pagos ac prædia immiſſo. Nihilominus tamen, optatiſsimus Principis Ser*[mi] *Aduentus, & ſperata Temporum, quam mente quiſque iam præceperat, Felicitas, eo gaudio Vrbem vniuerſam perfuderat, vt illata pridem Patriæ vulnera, velut iam obducta, diſsimularet, priſcoſq; in pectora ſpiritus atque animos reuocaret.*

Claudian.

Non ſic aurifero Pactoli fonte tumeſcit
Lydia, cùm domitis apparuit Euius Indis.

** *Itaque,*

Itaque, collatis cum Nicolao Roccoxio, Equite, viro Consulari, & elegantiæ priscæ cum primis guaro; Petro *item* Paullo Rubenio, *Equite, homine pereruditò, ac Pictorum omnis Æui facilè principe; & me, huius operis Scriptore, sententiis, conceptâque rerum publico Apparatu exhibendarum materiâ; placuit Senatui Arcuum omnium Triumphalium (si Lusitanicum excipias) & Pegmatum prototypa ab eodem Rubenio designari, ac fœcundâ (quâ pollet) Inuentionum pulcherrimarum Venustate locupletata delineari.*

Inscriptionum autem, Elogiorum, ac Lemmatum quà prosâ, quà versu, curam idem Senatus mihi delegauit. Quam sanè Prouinciam tenuitatis meæ conscius, equidem sollicitè fuissem deprecatus, nisi (quos dixi) decessorum meorum exempla ad æmulationem me exstimulassent. Quantum enim ipsa operis propositi materies splendore suo me alliciebat, tantum Argumenti Dignitas, velut obiectis Maiestatis suæ fascibus, deterrebat.

Etenim, præter ipsa Introitus solemnia, Inuictißimi Principis nobilißima ad NORLINGAM *Victoria erat celebranda. Præclarè autem à Platone dictum memineram:* Τὺς Λόγυς ὧν πέρ εἰσιν ἐξηγηταί, τύτων αὐτῶν καὶ συγγενεῖς εἶναι. Sermones rerum quas enarrant, esse cognatos. *Adeoq; necesse esse, vt in Triumpho describendo, ipsa etiam quasi* Triumpharet Oratio: *quemadmodum M. Tullius ait. Quin & Flacci istud ad Augustum Cæs. occurrebat:* (M. Tull. Orat. II. in Catil.)

Attamen est operæpretium cognoscere, quales
ÆDITVOS habeat, Bello spectata, domique
Virtus, indigno non committenda Poëtæ. (*Horat.* lib. II. Epist. I.)

Nam, cùm non tantùm Arcus, Pegmata & Porticus, sed & Templa atque Aras Imperatorum Ducumq; Virtuti post rem præclarè gestam veteres decernerent; Horatius isto loco eos qui Triumphalium virorum laudibus deprædicandis præerant, ÆDITVOS *appellat. Vtpote, qui velut sacrarum Ædium, in iisq; dedicatarum Imaginum Custodes, Virtutem nomenq; clarißimorum Heroum scriptis suis ab Hominum obliuione, Temporumq; iniuriâ vindicarent.* (*Tristan.* Numism. Iul. Cæs.) (ÆDITVI *qui dicti apud Horatium.*)

In eumdem sensum vetus Interpres Porphyrion, ÆDITVOS *hìc exponit* Narratores atque Indices. Æditui enim *(inquit)* Templorum ac Numinum quibus inseruiunt, Sacrorum originem aduenis & ignorantibus narrant. Alij ÆDITVOS pro Clientibus ac Familiaribus dici putant, ac per hoc Laudatores Poëtasque significant. *Similiter, Græcorum populi in Numis paßim se* ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ, *id est* ÆDITVOS, *Cæsarum vocant, ob Templa eorumdem cultui in Græciæ vrbibus erecta.* (ΝΕΩΚΟΡΟΙ.)

Quantâ autem curâ, sollicitudine ac magnificentiâ priscorum Impp. Ducumq; Triumphos celebrarint veteres, vel ex Dacica Victoriæ, ab Imp. Cæs. Domitiano Aug. relatæ, Triumpho, Ludisq; festis in eius gratiam à L. Arruntio Stellâ, viro Consulari, ac Poëtâ nobilißimo, exhibitis, videre est apud Martialem lib. VIII. *Epigrammate* LXXVIII.

Quos cuperet Phlegræa suos Victoria Ludos;
Indica quos cuperet Pompa, Lyæe, tuos:
Fecit Hyperborei celebrator Stella Triumphi,
(O pudor, ô Pietas!) & putat esse parum.
Non illi satis est, turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.

De eodem Domitiani Aug. Triumpho Papinius lib. I. *Syluar. in Epithalamio Stellæ:*

—— Dacas (quæ Gloria maior?)
Exuuias, Laurosque dabit celebrare recentes.

Exstat & Præneste, in viâ publicâ, Lapis: (*Grutter.* Inscript. Roman. pag. CCCCXI.)

T. FLAVIO T. F. GERMANO,
CVRATORI TRIVMPHI FELICISSIMI
GERMANICI SECVNDI.

Sed

Sed & L. Paull. Æmilius Cos. ad Triumphum de victo & se, captoq; Perseo, Macedonum Rege, Roma adornandum, Athenis accersiuit Metrodorum, magni nominis Philosophum, referente Plinio.

Plinius lib. XXXV. cap. XI.

Ista atque alia mihi mente agitanti (licet metuam haud immeritò incuterent) nihilominus tamen animos addebat vlla prope cælestis & vere Austriacæ Sereⁿⁱ Principis Clementia, ac Benignitas incomparabilis, propria Heroicis mentibus Virtus: quadem in Pompeio Magno post Piratici Belli Lauream olim admirati Athenienses, ijdam in Portâ Triumphali Epigraphen eius Honori inscripserunt:

Plutarch. Vita Pompeii.

ΕΦ' ΟΣΟΝ ΩΝ ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΟΙΔΑΣ, ΕΠΙ ΤΟΣΟΥΤΟΝ ΕΙ ΘΕΟΣ.

QVATENVS HOMINEM TE ESSE NOSTI, EATENVS ES DEVS.

Seneca Epistolâ CXIII.

Plerasque autem Inscriptiones Parodiis de veterum Poëtarum sententijs præsenti materiæ adaptauimus: maiorem verò partem Versibus nostris expressimus. Nam (vt pulchrè apud Senecam Cleanthes ait) Quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore nouissimè exitu effudit; sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. *Idem quoque Pindarus innuit in Nemeis, Odâ IV.*

Ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιωτερον βιοτεύει,
Ο', τί κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ
Γλῶσσα φρενὸς ἔξιδρις βαθείας.

Sermo Factis diutiùs viuit,
Quem, cum Charitum fauore,
Lingua è Mente extulerit profundâ.

Nunc, quod ad Descriptionem Pompæ, Tabularumq; atque Iconum Interpretationem spectat; Ποικίλον, varium *ac mistum scribendi genus secuti sumus. Ita necesse fuit, in tam diuersi generis argumentis explicandis. Reuoluenda fuere Historicorum tam veterum quàm recentiorum monumenta pene innumera, ac omnium fere Gentium (hoc est, quà regnat* Austria) *Annales excutiendi; Oratorum ac Philologorum vireta denuò peragranda; Poëtarum ac Mythologorum inuolucra, Fabulæ replicanda. Quin & Philosophorum Lycea interdum fuere reuisenda: denique vniuersæ pene Antiquitatis adyta reseranda. Atque vt Phrygiones & polymitarij sericis aureisq; segmentis intertexti vestes ac στεμματα exornant: ita ipse variis, iisq; (vt reor) non intempestiuis grauissimorum Auctorum sententijs ac testimonijs adductis, Arcuum & Pegmatum Descriptiones ornaui atque illustraui. De illius enim Domus amplitudine loquendum erat, ad quam dignè æstimandam & celebrandam, licet omnia quæ vnquam fuêre Ingenia, conspirent, quidquid adferent, infinitum infra eius Maiestatis fastigia ac merita subsidet. Tam desunt Animo verba, quàm rebus Animus deest.*

Nymismata

Quocirca & Nvmismata veterum Imperatorum passim inseruimus: eorumq; Symbolis & Epigraphis suo loco applicatis, Augustissimæ Domus Austriæ Principes, resq; eorum gestas illustrare, pro re natâ, conati sumus. Et meritò quidem cum antiquus ille Heroibus ipsis contulimus, quod inusitatæ ac incomparabiles eius Familiæ Virtutes, vt Priora, ita Præsens sæculum excedant; ac Futura in exemplum sibi eâdem proponent.

Nymismata cur operi intexta.

Quantum verò Eruditionis ac priscæ Elegantiæ in Numis antiquis latent, recte perspexit Vir & genere & doctrinâ illustrissimus, Anton. Avgvstinvs, *Cæsaraugustanus, Archiepiscopus Tarraconensis, Hispanis Sidus: docuitq; in pulcherrimis suis Antiquitatum Romanarum Hispanarumq; Dialogis, Romæ vnà cum Numorum Iconismis, Hispanico atque Italico idiomate editis. Quos deinde Latio sermone donauit vir optimus & doctissimus Andr. Schottus, Antuerpianus, de Societate* Iesv *Presbyter, nostri, dum vixit, amicissimus & affinis. In iis Dialogis plerosque quos attulimus, Numos videre est. Itemq; inter ea Numismata, qua curâ & impensis Excellmi Caroli, Ducis Croyii, Belgæ, (vnde & Croyiaca indigetauimus) vndique congesta, atque opera*

Numismatis primi quanta eruditio latent.

Croyiaca.

* * *

Iac.

Biblioteca Nacional de España

Iac. Biai, Antuerpiani, in æs incisa sunt. Hæc ingenti auctario à Nic. Roccoxio, Viro Consulari, amico nostro, locupletata, & eruditissimo Alb. Rubenij, Pet. Paulli F. Regi Catholico à Secretis, Commentario illustrata, lucem videre gestiunt.

xii. Cæs. Austriacorum Elogia cur breuiora. *Breuia item* XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM *Elogia ad Statuam cuiusque, subiunximus. Quemadmodum immensos Terrarum Marisque tractus angustis Tabulis Geographi contrahere & complecti solent. Quamquam reuerentius fortaße fuisset, sacratißimorum Principum res gestas integras illibatasque silentio potius venerari, quàm carptim illas, breuique oratione perstringere, & ingenij vitio quasi deterere. Meritò enim minuendi metum iniiciunt illa, quæ stylo eadem adæquandi spem omnem magnitudine suâ sustulerunt. Ac potuissemus quidem vberiùs illa deducere; sed breuiter ea tantùm attigimus quæ prisco more Statuis subscribi solita refert D. Chrysost. primâ in Psalmum Quinquagesimum Homiliâ:* Ὥσπερ αἱ Εἰκόνες ἐπιγραφὰς ἔχουσιν, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν Ψαλμῶν. Καὶ γὰρ αἱ Εἰκόνες ἄνω ἑστῶσαι, κάτω ἔχουσι φοινικικὰς σανίδας, ΤΙ'Σ Ὁ ΒΑΣΙΛΕΥ'Σ; ΚΑΙ' ΤΙ'ΝΟΣ; ΚΑΙ' ΠΟΙ͂ΟΝ ΠΌΛΕΜΟΝ ΚΑΤΩ'ΡΘΩΣΕΝ; Vt Statuæ Inscriptiones quasdam continent, sic etiam Psalmi. Nam Statuæ superiore loco stantes, infrà miniatas quasdam Tabellas habent quibus indicetur, QVISNAM REX SIT? QVO PATRE NATVS? ET QVALE BELLVM CONFECERIT?

Cæterùm, haud ignoro opus istud multorum exspectatione tardiùs in lucem prodire. Sed non paruæ nec paucæ conatibus nostris interuenère remoræ. Atque vt alias sileam, Tempora, quibus ista commentati sumus, benignus Lector secum perpendat velim. Nempe scripsimus hæc inter forenses occupationes, & (quæ Musis longè sunt infestiores) tubas & tympana:

Dum nos congeries obnubit turbida rerum,
Ferratoque premunt millenæ milite curæ:
Legicrepi tundunt, latrant fora, classica turbant. Vetus Poëta apud Turneb. Aduers. lib. xix. cap. iii.

Dum, inquam, Ciuilibus tot iam annos, Externisque armis in Belgicam accensus Mauors oculis auribusque nostris obuersatur paßim ac debacchatur. Ne quis propitium Apollinem, animique alacritatē (sine quâ quidquid molimur, caducum est) nobis adfuisse existimet. Musæ Pacis filiæ sunt, & Tranquillitatis alumnæ: ipsarumque Lyras Πόλεμος δυσηχής, Bellum horrisonum *(vt Homerus ait) opprimere solet. Nihilominus tamen per turbulentißima ista, studiisque amœnioribus capitaliter inimica Tempora hæc exarauimus; ne vel officio nostro deesse, vel à decessorum nostrorum exemplo degenerare videremur.*

Neque verò hîc exspectare quemquam velim, vt Arcus cuiusque partes, & membra quæque; stylobatas, spiras columnarum, abacos, plinthos, echinos, flores ac tænias: nec non fastigij & apsidum proiecturas, fascias, metopas, zophoros, triglyphos, cymatia, simas, & quidquid est appendicum, quibus Arcus Honorarij solent exornari, sigillatim enumerarem & designarem. Neque enim Architectis ista à nobis scripta sunt: satisque habuimus Historica & Philologica, vbi res postulabat, vberiùs enarrare.

Omnes porrò Pegmatum, Arcuum atque Iconum Tabulæ ex Archetypis Rubenianis per Theodorum Tuldenum, Pictorem celebrem, & Rubenij olim discipulum, in hoc libro repræsentatæ & expressæ sunt aquâ ἐγκαυστικῇ, *quam* fortem *vulgò vocant. Istud quoque obiter monendum duxi, ad mensuras Arcuum & Pegmatum intelligendas, Pedem Antuerpianum cum antiquo Pede Romano omnino quadrare, ac pollices* XI. *complecti. Typicam eius descriptionem hîc subiiciendam curauimus.*

PEDIS ANTVERPIANI MENSVRA.

TABV-

TABVLÆ PRÆLIMINARIS,

SIVE

FRONTISPICII

BREVIS EXPLICATIO.



OPeræpretium duxi, Frontiſpicij vniuerſi conſpectum, rerumque ac figurarum quæ in eo exhibentur, Symbola breuiter & ſummatim hic indicare. Nam ſingula deinceps paſim in ſequentibus Arcuum ac Pegmatum deſcriptionibus copioſè explicabuntur.

In Portæ faſtigio, PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Indiarumque Regis, Belgarum Principis, cernitur effigies, quam CORONA partim LAVREA Triumphalis; partim QVERCEA, OB CIVES SERVATOS, ambit.

Inde geminum COPIÆCORNV Coronam fulcit. E dextro Cornu, Palmæ, Spicæ & Papauera, quibus Temporum Felicitatem priſci artifices denotabant; ex altero, Margaritæ. Vniones, Gemmæ eminent, quibus Imperij Hiſpanici Opulentia deſignatur.

HESPERVS, Stellarum maxima, HESPERIÆ, ſiue HISPANIÆ Symbolum, Regis vertici incumbit. Adſcriptum: HESPERVS.

HESPERVS EOIS LVCET ET OCCIDVIS.

AVRORA, INDIÆ ORIENTALIS Symbolum, à dextro latere alatis equis bigâ in Cælo vehens conſpicitur. AVRORA.

LVNA, INDIÆ OCCIDENTALIS Symb. equas geminas agit. Quo deſignatur, in Imperio Hiſpanico numquam Aſtra feriari. In hunc ſenſum ſuperba exſtant priſcorum ſcriptorum de Imperij Romani amplitudine elogia. Lucanus *Romam* ſic affatur: LVNA.

Lucan. libr. 1.

Te geminum TITAN *procedere vidit in Axem:*
Haud multum TERRÆ *ſpatium reſtabat* EOÆ,
VT TIBI NOX, TIBI TOTA DIES, TIBI CVRRERET ÆTHER,
Omniaq́, errantes Stellæ ROMANA *viderent.*

Rutil. Itinerar. lib. 1. Rutilius Numatianus, Vir Conſularis, eamdem ſic compellat:

Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia, PHOEBVS,
Eſq́, TVIS *ortus, in* TVA *condit equos.*

CYBELE, quam eamdem cum TERRA cenſebant veteres, Turrita, ORBEMQVE TERRARVM gemmatâ Coronâ præcinctum complexa, haſtamque manu tenens, ſub Regis effigie à dextrâ parte ſedet, TERRÆ IMPERIVM deſignans. Adſcriptum: CYBELE.

——TVO PAR CIRCVLVS AMBIT
TELLVREM IMPERIO.

LEO, CYBELÆ adſtat ad pedes, vt animantium quæ in TERRA degunt, Princeps. LEO.

OCEANVS, ORBI TERRARVM inſidens, & cruribus ſuis eumdem operiens, haſtamque tenens, ad læuam partem adiacet, MARIS IMPERIVM denotans. Cornibus paullùm è fronte protuberantibus expreſſus eſt OCEANVS: vnde idem *Ταυρόκερως*, *Tauriceps* Euripidi dicitur. OCEANVS.

* * * *

DRACO

DRACO. DRACO ingens OCEANO circumuolutus est, vnaque ORBEM ambit. Ita Socrates apud Platonem ait: Amnes quosdam spiras circum Terrarum Orbem replicare instar Anguium. Atque eo habitu visitur OCEANI effigies marmorea Romæ, in ædibus Far-
NAVIS. nesianis. NAVIS illi ad pedes. Adscriptum:

——TVVS CIRCVMFLVIT ORBEM

OCEANVS.——

Sic Theodosij Aug. Statua, à vetere Poëtâ in Anthologiâ describitur: Anthol. libro. capiv.

Ὠκεανὸν σὸν ποσὶν ἔχεις μεν' ἀπείρονα ταῦρε.

OCEANVM TERRAM*q*, *premens pede, sine carentem.*

In Tympano Portæ, REX CATHOLICVS in Solio sedens, scipionem Imperatorium tradit Ser^mo Principi FERDINANDO Fratri, armato, & ad iter accincto.

AQVILA. AQVILA, Romani Imperij Insigne, eiusdem vertici superuolitat & applaudit, faustum profectionis omen.

LEO. LEO, ORBEM BELGICVM complexus, ad pedes eiusdem se submittit & inclinat.

SALVS PVBLICA. SALVS PVBLICA adstans Ser^mo FERDINANDO, dextram versùs AQVILAM (quam ille ad NORLINGAM transiens, seruaturus erat) protendit. Læuâ virgam tenet, cui ANGVIS (Salutis Symbolum) circumuoluitur, Aramque amplectitur. Epigraphe ex personâ Regis Catholici:

TV REGERE IMPERIO BELGAS, GERMANE, MEMENTO: Paruler Marnix vi. Ein.

PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS.

MARS. MARS Paludatus & Galeatus, gladium exerens, Termini habitu ad dextrum Portæ latus molem sustentat. Epigraphe:

VLTOR ADES, GRADIVE, VIAM VI STERNE TRIVMPHIS.

VICTORIA. VICTORIA Laureata & Pennata, dextrâ Lauream, sinistrâ Palmam gerens, MARTI comes est. Epigraphe:

——ÆQVAT VICTORIA CÆLO. Iacon.

MERCVRIVS. MERCVRIVS Petasatus, dextram chlamyde operiens, lævâ Caduceum gestans, ad alterum Portæ latus conspicitur. Epigraphe:

PACE BONVS, DIVVM INTERPRES, SVADÆQVE MAGISTER.

PAX. PAX illi adstat, Cornucopiæ tenens, & face admotâ arma succendens, quemadmodum in Numis Traiani Aug. cernitur. Epigraphe: Cupiat. Tristd. XXIV. Silim.

PAX OPTIMA RERVM.

DE

Cœli progenies, Virtute Dei, Fidmen Iberæ,
Certa Salus Belgis, Deliciumq; suis,

FERNANDVS *sic ora gerit: sic Martius Ardor*
Et Pax Augusta spirat in effigie.

P. Paul. Rubens pinxit — *Boëtius Bolswert sculpsit et excudit.* — *C. Cesarius Exc.*

DE

SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI AVSTRIACI,

HISPANIARVM INFANTIS, ETC. IN BELGIVM PROFECTIONE

SVCCINCTA NARRATIO.

IMMORTALIS Gloriæ Heroina, ISABELLA CLARA EVGENIA, PHILIPPI II. Hiſpaniarum Indiarumque Regis, ſupra omnes retrò Principes potentiſsimi Filia, poſt coniugis ſui ALBERTI, Auſtriæ Archiducis, Pace ac Bello inclyti, ſine liberis è vitâ deceſſum, ſibi quondam dotale Belgium & Burgundiam PHILIPPO IV. Hiſpaniar. Indiarumque Regi, Fratris ſui, PHILIPPI III. Filio, pleno iure reſignauerat: habituque DIVÆ CLARÆ aſſumpto, quas Domina olim poſſederat prouincias, eaſdem pro Rege Gubernatrix pari affectu complectens, vera Patriæ & Caſtrorum Mater, ſapientiſsimè rexit.

Cùm autem iam ſenio grauis, ſucceſſorem ſibi, miſſo eius rei gratiâ in Iberiam legato, non ſemel flagitaſſet; Rex prouidentiſsimus de ſalute earum ditionum, ex quibus iam olim maximum Auguſtæ Familiæ ſuæ decus & incrementum acceſsiſſe non ignorabat, ſollicitus, vt iuſtiſsimis Amitæ ſuæ votis ac precibus quamprimùm ſatisfaceret, ſeriò cogitabat. Itaque cùm in regnatrice domo, fratrum ſuorum, CAROLI & FERDINANDI, Heroicam indolem, ac virtutes rerum maximarum capaciſsimas, conſideraſſet, FERDINANDVM quidem Belgicis prouinciis Gubernatorem, CAROLVM autem Luſitaniæ Proregem deſtinauit. Sed huius immaturus obitus eam prouinciam adire ipſi non indulſit.

At verò FERDINANDVS, v. Non. Maij, ann. MDCXXXII. à Rege Fratre ſuo Barcinonem deductus, ab eodem, dum ibi moraretur, Principatus Cathaloniæ cum ſuprema poteſtate Prorex conſtitutus eſt. Mox ad III. Id. Aprilis ſequentis anni, ingenti claſſe comparatâ, poſtquàm Deiparam in Monte Serrato veneratus, proſperum itineris ſui ſucceſſum illi commendaſſet, magno procerum comitatu ſtipatus, triremes conſcendit. Ac primùm varia tempeſtate vſus, ſub initium Maij Genuam feliciter appulit. Inde Mediolanum profectus, dum rebus Italiæ conſtituendis ſe impendit, de præpropero Ser^mæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Belgarum Gubernatricis, obitu peracerbum ſibi nuntium, alieniſſimo tempore, accepit.

FERDINANDVS Barcinonem deſtituit.

Genuam appellit, Mediolanū venit.

ISABELLA obiit.

Quocirca iter maturandum ratus, conſcripto è lectiſsimis Hiſpanorum, Neapolitanorum,

rum, Insubrum & Burgundionum legionibus validissimo exercitu, Rhæticis Alpibus superatis, per Tirolensem ditionem in Bauariam descendens, raptas festinatis itineribus copias, castris Ser^mi Hungariæ Regis, FERDINANDI III. ad obsessam Norlingam fulminantis, IV. Non. Septembr. iunxit: quartoque post die, cum eodem Rege, de Suecis & Imperij perduellibus victoriam longe nobilissimam retulit. Atque ita, cum iam pridem Alsatiæ pars magna, & Lotharingia Francorum & Suecorum armis occupatæ essent, transitusque per illas interclusus, aliud sibi in Belgium iter ferro pandens,

FERDINANDO RVM ad Norlingam villura.

per obstantes catervas Horat.

Explicuit suæ victor arma.

Cæterùm, Ser^mus Hungariæ Rex felicia FERDINANDI Principis arma & suppetias expertus, desiderabat vnicè vt hyemem in Germania exigeret, & secum reliquias factionis nefariæ opprimeret. Sed ille præsentiam suam difficillimis Belgicæ temporibus necessariam asserens, iter porrò vrgere non desinebat. Post subactam igitur Wirtembergicam prouinciam, FERDINANDVS per Palatinatum Inferiorem & Franconiam victricia arma, terroremque & metum latè circumferens, prona omnia & cedentia virtutibus suis sensit. Prorsus vt hæc Ser^mi Principis in Belgium profectio, non iter, sed continuus quidam victoriarum cursus, & Triumphus perpetuus esse videretur.

VVirtembergica Prouincia subacta.

FERDINANDVS Coloniam venit.

Mœno itaque & Rheno transitis, ad diem XVIII. Octobris Coloniam Agrippinam appulit, nullo non honoris genere in ea vrbe à Ser^mo Electore, vt & mox Iuliaci à Duce Neoburgico exceptus. Illic amitinum suum, Carignani Principem, THOMAM, Sabaudiæ Ducis fratrem, & Franciscum Moncadam, Aytonæ Marchionem (qui Belgicæ Gubernaculis ab excessu ISABELLÆ in Aduentum FERDINANDI à Rege feliciter admotus fuerat) aliosque Aulæ Belgicæ proceres cum iustis copiis obuios habuit. Inde Mosam ad Diui Stephani Insulam traiecit, quam præcedenti anno idem Marchio prouidè occuparat & Castrorum vallo munierat, post Traiectum oppidum ab hoste expugnatum. Hinc Brabantiam, primariam Belgicæ prouinciam, ingressus, Asperum-Collem, locum diuinis beneficiis ac miraculis inclytum, illustri pietatis auspicio venerabundus accessit: actisque ibidem Deiparæ de prospero itineris successu, per tot rerum discrimina, gratiis, Louanium, inde Bruxellam, Belgij Principum sedem, Prid. Non. Nou. insigni pompâ *introiit*.

Brabantiam ingreditur.

Bruxellam intrat.

Mira porrò & inusitata cæli temperies iter Principis toto Autumnali tempore prosecuta est. Adeò vt post longam tempestatem serenitatis iubar Belgio inferri omnes augurarentur. Sed & binæ AQVILÆ, rarò in his prouinciis conspectæ, victorem FERDINANDI exercitum vltrò comitatæ, dum Mosam ipse traiicit, in collimitio ditionis Leodiensis & Brabantiæ, haud procul Mollâ municipio, in patentibus campis, ab agrestibus, falconum aucupio intentis, captæ sunt. Omen haud obscurum, inuictum Cæsareæ virtutis robur FERDINANDI Castra comitari. Ita olim (Tacito teste) *lætum augurium Fabio Valenti, exercituiq; quem in bellum agebat, ipso profectionis die,* AQVILA *leni meatu, prono agmen incederet, veluti dux via, prauolauit: longumq; per spatium, ac gaudentium militum clamor, ea quies interrupta alitis fuit, vt haud dubium magna & prospera rei omen acciperetur.* Sic quoque bello Germanico, quod Imp. Cæs. CAROLVS V. AVG. aduersus Saxonem & Hessum feliciter gessit, *supra Hispanorum peditum veritatem inter profligiendum* AQVILA *diu volitauit. Quod siue casu, siue cælesti prouidentiæ & consilio, victoria lætitiam portenderet, multi sunt in omen felicis euentus conuertunt*: vt refert vir illustris Lud. Auila, Mirabellij Marchio, qui illi bello interfuit, & commentario eleganti descripsit.

AQVILÆ binæ in Brabantiam aduolant.

Tac. l. 1. Hist.

At

At verò, accurrentibus vndique Prouinciarum vrbiumque Delegatis, Ser^mo Principi de felici eius Aduentu gratulantibus, Magistratus quoque Antuerpiensis eius rei gratia, Nobiles & Equestris dignitatis viros, Nic. Varicium, Prætorem; Lud. Clarissæum, Ammannum; Rob. Tucherum & Ioan. Rosam, Consules; Nic. Roccoxium, Cornà Spangen, Senatores; & Iac. Edelherium, Syndicum, Bruxellas ablegauit, cuius in hunc sensum erat Oratio: *Antuerpiensium Congratulatio de principis Aduentu.*

SERENISSIME PRINCEPS,

AVspicatissimus SER^M.E CELSITVDINIS TVÆ *in Belgium Aduentus Orbi vniuerso manifestum reddidit singularem Regis Indulgentissimi affectum erga has Prouincias: quas pra tam variis, Orbe non vno, & sub alio, ut dicam, Sole, sparsis Regnis suis ac ditionibus, Fratris sui vnici Regali presentia, velut Cælestis pignore, honorauit & deuinxit. Vos verò tot laborum ac discriminum contemptus, quos in itinere ab extremis vsque Gadibus in has Prouincias sese obtulerunt, testatissimum fecit flagrantem SER^M.E CELSITVDINIS TVÆ zelum erga Religionem orthodoxam ac Regiæ Maiestatis iura, eiusq; subditorum commoda procurandæ; ita etiam Triumphales laureæ è clarissima ad Norlingam victoria relatæ, pergq; celsata tot immanium hostium cadauera stratum iter, manifesti probant, Diuinam illam & inuictam virtutem Tuam cælesti Numine affluri ac prouchi. Cuius quidem singularis fauor cum Te Regum Maximo, inconcusso Religionis Catholicæ columini & propugnaculo, Fratrum nostri dedarit, Heroicos illos conatus & labores Tuos, Regiæ Maiestatis causæ iustissimæ propugnandæ, & D.i Opt. Max. gloriæ propagandæ ergò, vel præsentissimo salutis vitæq; Tuæ discrimine susceptos, felici victoriarum cursu prosperare non desinet.*

Magistratus autem vrbis Antuerpiensis vna cum Orbe vniuerso perpetuo, Diuina Clementia fauorem, & Paternum Regiæ Maiestatis affectum, zelumq; SER^M.E CELSITVDINIS TVÆ adeò amicè conspirare ad prosperos votorum suorum ac Felicitatis publicæ successus; ineffabili quodam gaudio exultans, eius coram testificandi causâ nos delegauit.

Gratulatur itaque Senatus & vniuersa Ciuitas SER^M.E CELSITVD. T. felicissimum in has Prouincias Aduentum: non quantum dici, vel cogitari sed quantum nec dici nec cogitari, fas est. Deuotissimumq; obsequium & fidelitatem quantâ possumus submissione & veneratione offerimus: ac supremum Numen enixe precamur, vt SER^MAM CELSITVDINEM TVAM Salutem Orbis Christiani natam, in multos annos seruet incolumem, & muneribus suis perpetuitatem addat. Talemq; Te sentiat Germania hac Inferior, qualem cum immortali gloria Tua experta est Superior.

Serenissimus Princeps pergratum sibi esse vrbis officium atque obsequium, eiusque commoda sibi cum primis cordi fore (quod re ipsâ modò experimur) benignissimo responso testatus est.

Et auebat quidem ille Antuerpiam quamprimùm inuisere, sed necessariis Reip. negotiis desiderium suum posthabuit. Nam ineunte Anno M. DC. XXXV. cùm ad Calitium copias haud modicas coactas esse intellexisset, iam tum Francis infesta Belgio arma palam inferre parantibus, ac limitaneis Flandriæ oppidis insidias machinantibus, medio Ianuarij mense Gravelingam, summâ hiemis inclementiâ aduolauit, vrbique & Arci, auctis earum præsidiis, cautè prospexit. Mox Brugas, vrbem PHILIPPI AVSTRIACI, cognomento PVLCHRI, Belgarum Principis, ac Primi eius nominis Hispaniarum Regis, ortu inclytam, accedens, insigni apparatu à Ciuibus exceptus est. Hinc Gandauum, Flandriæ Metropolim, profectus, operosissimâ pompâ susciputur. In primis Arcu Colosseo, quem CAROLINVM appellabant, quòd IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. in ea vrbe nati, res gestas complecte- *Ferdinandus Gravelingam accedit.* *Brugas. in de Gandauum ingressus.*

retur. Et sanè meritò, vt olim Iouis incunabulis Creta, & alumno Hercule nobiles Thebæ;ita Flandria, Imperatoris omnium seculorum Maximi, eiusque Parentis, PHILIPPI natalibus sese iactitet. Extat Ser^mi Principis in eam Ciuitatem Triumphalis Introitus à Gul. Becano, de Soc. IESV, viro disertissimo, adornatus, & typis editus. Gandauo Antuerpiam accedere constituerat Princeps, sed Scaldi flumine, ob inusitatum hiemis rigorem ac glaciei, quam vehebat, immensam copiam, transitum vix admittente, in vernum tempus iter suum distulit, & Bruxellas est reuersus. Nullam interim rei benè gerendæ occasionem Princeps intermittit. Augusta Treuirorum, vrbs Imperialis, à multis retrò sæculis Duces Luceburgenses, eoque nomine Reges Catholicos, Protectores suos hereditarios, agnouit. Eius vrbis Antistes Francorum præsidia admiserat, Cæsaris ac Regis Catholici iure manifestè læso. Itaque missus eò cum validis copiis Christophorus, Orientalis Frisiæ Comes, Emdanus, Luceburgensis Prouinciæ pro Rege Gubernator, Cæsareis Regiisque auspiciis, Cerfontano & Meternitzio ducibus, ad diem XXVI. Martij, vrbem insigni stratagemate intercipit, & Francos eiicit. Moxque eò profectus Franciscus Moncada, Aytonæ Marchio, supremus Regiæ Militiæ Præfectus, vrbem præsidio munit, & Archiepiscopum Electorem, in Belgium secum comitem deducit.

Augusta Treuirorum Frãci pelluntur.

Dum hæc geruntur, verni temporis clementiâ iam spirante, ac Pompâ Introitus Antuerpiæ adornatâ, vrbeque totâ ad desideratissimum Principis Aduentum accensâ, FERDINANDVS, XVI. Kal. Maij Bruxellâ manè discedens, vnà cum Principe Carignani, THOMA, multis Aulæ Belgicæ Proceribus stipatus, circa meridiem ad pagum Willebrokam, Scaldi flumini adiacentem, peruenit, ibique nauem Prætoriam deauratam conscendit. Comitatum eius excepêre celoces variæ, quæ cum reliquis nauigiis Antuerpiâ Ser^mo Principi obuiàm missis, numerum vltra centum nauium explebant. Hac classe prono flumine delatus Princeps ad Kylam, suburbanum Antuerpiæ pagum, Arci proximum, appulit. Tantâ ciuium ex vrbe ad optatissimum Principis conspectum frequentiâ confluente, vt ipsa sedibus suis conuulsa Ciuitatis mœnia, obuiàm illi properare velle viderentur. Adeoque deficiente riparum solo, è lembis & scaphis, quibus flumen opertum erat, omnis ordinis ac sexus turba prospectabat.

FERDINANDVS Antuerpiam petit.

——— *Quæ numine tanto* Claud.
Littora fatidicus attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulsit Apollinis arcus?

Inter hæc, machinarum ænearum fragor tantus ex vtrâque ripâ, ac nauibus prætoriis, ad Scaldis custodiam in anchoris excubare solitis, ex Arcis vrbisque mœnibus ac propugnaculis, intonabat, vt tellus hiscere, cælum boare videretur. Princeps excensu facto, pedes Arcem ingressus est, per portam suppetiis admittendis destinatam, & ad domum Gubernatoris, Emanuelis Pimentellij, Comitis Feriæ, Castrorum Præfecti, eâ nocte diuertit.

PRO-

PROGRESSVS SERENISSIMI PRINCIPIS EX ARCE IN VRBEM.

SEQVENTI die ad xv. Kal. Maij, circa horam iv. pomeridianã Princeps Castro, per eamdem, quâ intrauerat, portã egressus, vrbem versùs perrexit, hoc ordine: Supremus mandatorum Militarium Curator, (Commissarium Generalem vocant) Ioannes de Vivero, primus in fronte Turmæ suæ, ex centum & quinquaginta leuioris armaturæ Equitibus compositæ, agmen ductabat.

Hunc sequebatur Ioannes Comes Nassavius, Eques Velleris Aurei, supremus Equitum Magister, ducentorum cataphractorum cohortem trahens. Stipabant illum plurimi turmarum equestrium Ductores.

Mox Doryphori custodiæ Alamanicæ tegebant latera turmæ Equestris quinquaginta Satellitum: qui omnes veste holoserica fuluâ, segmentis candidi & rubri coloris, limboque purpurato prætexta, ornati, ac cassidè Burgundicâ tecti, frameâ ac sclopo minore armati, non exiguum Pompæ vniuersæ splendorem addebant.

Excipiebat illos ingens Nobilium ac Procerum turba, insigni vestium cultu, equisque magnificè instratis conspicua. Quos inter spectabiles in primis

Henricvs a Varick, Eques Auratus, Bonendalæ, Baulæ & Olmæ Toparcha, Antuerpiæ Exprætor.

Andreas Francisvs de Pallant, Vicecomes d'Alpe.

Philippvs Francisvs de Croy, Vicecomes de l'Angle.

Ioan. Franciscvs d'Ognies, Villeruallij Comes.

Albertvs de Croy, Meghemi Comes.

Albertvs, Bossutij Comes.

Clavdivs Lamoraldvs de Ligne, Falcobergæ Comes, & S. R. I. Princeps.

Gvlielm. Ramondvs de Moncada, Osonæ Comes, Marchionis Aytonæ Fil.

Albertvs de Croy & d'Arenberg, Chimay & S. R. I. Princeps.

Hos sequebantur Aulæ Præfecti:

Franciscvs Zapata, Tribunus Militaris.

Godefridvs de Berghes, Grimbergæ Comes.

Rectè. Clavdivs de Croy, Rodij Comes.

Hvgo, Noyellæ Comes.

Ferdinandvs Andelotivs, Olani Toparcha.

Ludovicvs Lazvs de la Vega, Portollani Comes.

Hinc Megistanes Hispaniarum, quos *Grandes* vocant:

Carolvs Philippvs de Croy, Haurechij Dux, Marchio Rentiaci.

Albertvs Henricvs, Princeps de Ligne, d'Amblize, & S. R. I.

Franciscvs de Sandoval & Roxas, Lermæ Dux.

Mox Ser^mus Carignani Princeps, Franciscvs Thomas, Allobrogum Ducis Frater.

Tum Sereniſsimus & Inuictiſsimus Princeps, FERDINANDVS, HISPAN. INFANS, Belgicarum Prouinciarum & Burgundiæ Gubernator deſideratiſsimus & exſpectatiſsimus, albenti equo vectus, cuius frænum & ephippium auro & monilibus affabrè interſtincta erant, holoſericum rubri coloris ſagulum auro textili præfulgidum indutus, omnium in ſe oculos conuertit. Tanta in eius vultu formæ dignitas & venuſtas, heroicâ quadam grauitate mixtâ, elucebat, vt ambiguum omnino eſſet, vtrùm ſe magis ſpectantium ciuium mentibus eius Virtus, an oculis vultus inſinuaret. Adeoque illud Priami de Hectore ſecum animo voluebant:

ὰ δ' ὶέμεναι
Ἀνδρὸς γε θνητοῦ πάις ἔμμορε, ἀλλὰ θεοῖο. Hom. Iliad. 2.
——— *Haud ille videtur*
Mortali genitore ſatus, ſed ſemine Diuûm.

Ad ſiniſtrum Ser^mi Principis latus pedes incedebat DIDACVS DE SYLVA & MENDOZA, Orani (eſt illud Sardiniæ oppidum) & Almenaræ Marchio, Cubiculariorum Primicerius.

Ponè ſequebatur CAROLVS PHILIBERTVS, Eſtenſis Marchio, Aurei Velleris Eques, ſupremus ſtabuli Præfectus, ac Principi à Cubiculis.

BERTRANDVS VELEZ DE GVEVARA, Comitis Ognatenſis Filius, Alcantaræ Ordinis Eques, Principi à Cubiculis.

ALPHONSVS PEREZ DE VIVERO, Fontis-Saldanæ Comes, Eques Ordinis Alcantaræ, Principi à Cubiculis.

His ſuccedebant binæ Equitum turmæ, cuſtodiæ Militaris Ser^mi Principis.

Longum foret enumerare incredibilem Magnatum, togâque ac ſago illuſtrium virorum ſeriem, qui Ser^mo Principi comites Antuerpiam acceſſerant. Adfuit, vt ſolet, conſilij causâ, PET. ROSA, Eques, Concilij Sanctioris Belgici Præſes integerrimus: & R^mus P. IOAN. A ST^O AVGVSTINO, Ordinis Auguſtiniani Decus ſingulare, Ser^mo Principi à ſacrâ Exomologeſi. Vterque Cathol. Maieſtati à Conſiliis Status.

Princeps eo, quo diximus, ordine procedens versùs PORTAM CÆSAREAM, in conſpectu habuit ſex armatorum ciuium collegia. Hi ad mille circiter capita, ſtabant prope lateritium, quod ad Portæ aditum eſt, ſepimentum. Præfectus illis Ductorque erat Robertus Tucherus, Eques, Vrbis octauum Conſul, antiquâ & nobili apud Noricos ſtirpe oriundus. Is obuiam aduentanti Principi progreſſus, humique altero genu innixus, in hæc verba illum affatus eſt:

Conſulis Oratio ad PRINCIPEM.

SERENISSIME PRINCEPS,

FElicissimum SER^MÆ CELSITVDINIS TVÆ *in hanc Vrbem Aduentum pluribus mox gratulabitur Senatus. Ego, quod officij mei hîc eſt, ciues hos, vtut milites armatos, & deuota Catholicæ Maieſtatis obſequio pectora,* SER^MÆ CELSITVDINI TVÆ *ſiſto: qui Pacis artibus & mercimoniis gnaui & induſtrij, Bello etiam non indecores ſeſe præſtiterunt.*

His ſunt qui IMP. CÆS. CAROLVM V. AVG. *Pronum Tuum, in Hiſpaniæ proficiſcentem, vltrò comitati ſunt: Gallos Vrbis huius iugulo inhiantes mœnibus hiſce deiecerunt: Lyra oppidum à Batauis occupatum horum celeri ope & ſuppetijs receptum eſt. Hæc alij, manu prompti geſſerunt, gerentq́, in poſterum (fauentibus Superis) ſi ita res tulerit, ad Catholicæ Religionis tutelam, Maieſtatis Regiæ, ac* SER^MÆ CELSITVDINIS TVÆ *fidele obſequium.*

Hoc

Biblioteca Nacional de España

Hoc dicto, ciuium acies, submissis venerabunda vexillis, sclopisque explosis, optatissimum Principi Aduentum gratulabatur. Idem quoque factum à XIV. ciuium cohortibus, quæ in mœnibus ac propugnaculis vicinis stationem habebant.

Princeps, ciuium in tractandis armis alacritate ac promptitudine perspectâ, eos totidem exercitatissimos ac veteranos milites, sese credidisse asseruit. Post machinarum ænearum tonitrua, tubicinum in edito Portæ hypæthro stantium concentus, omnisque generis Musicæ artis moduli personabant.

Consul haud procul latere Principis, aperto capite incedens, illum viâ Triumphali per Arcus omnes & spectacula deduxit. Seniores quoque ciuium armatorum Decani, togati omnes, accensisque facibus, & aperto pariter capite, ad Palatium vsque illum comitati sunt.

PORTA CÆSAREA.

MOx Pontem lapideum Princeps transiens, PORTAM CÆSAREAM, operis elegantiâ ac mole cum Romanis substructionibus certantem, nitori pristino restitutam, ac multo auro obductam, admiratus est. Anni iam nonaginta sunt, quòd Geldro-Gallis (qui Roshemio Duce ANTVERPIAM obsederant) ciuium virtute fortiter repulsis, Portam hanc publicis impensis tunc exstructam IMP. CÆS. CAROLVS V. AVG. primus mortalium introgressus, CÆSAREAM nuncuparit, vt ex prisca, quæ ibidem conspicitur, Epigraphe constat.

In fastigio eiusdem Portæ, Insignia Ser^mi Principis eminebant. Sub illis hæc erat Inscriptio:

QVI RES CÆSAREAS STABILISTI VICTOR AD ISTRVM,
CÆSAREÆ, FERNANDE, SVBIS PER LIMINA PORTÆ,
AVSPICIISQVE BEAS LÆTAM REGALIBVS VRBEM.

Magnificum omnino ac gloriosum erat Ser^mo Principi, per diuina Inuictissimi CÆSARIS, Proaui sui, vestigia, cæsis paullò antè Suecorum ac Imperij perduellium immanibus copiis, victorem Triumphali Portâ ingredi.

In Zophoro supra Portæ fornicem, Gentilitia Vrbis Antuerpiensis spectabantur Insignia: nempe, *Gemina Manus supra Burgum erecta*. Adscriptum:

DEVOTAS TIBI CERNE MANVS, QVOCVMQVE VOCABIS.

Hæc velut communis, Vrbis vniuersæ, ciuiumque armatorum ante Portam in acie consistentium, vox erat, sese pro Maiestatis Catholicæ & Ser^mæ Celsitudinis Suæ obsequiis deuouentium.

Originem Insignium Vrbis Antuerpiensis, è priscis Pop. Rom. signis Militaribus ortam esse, non vana eruditorum hominum est sententia. Siquidem in variis Impp. Roman. Numismatibus signa Militaria conspiciuntur, quibus MANVS, Virtutis Bellicæ ac Fidei symbolum, est superposita, adscriptumque:

CONCORDIA EXERCITVVM: FIDES LEGIONVM: FIDES EXERCITVVM: SECVRITAS P. R.

a Goltz. Ins. Cæs. Tab. 49.
b In Croyacis Tab. 51.
c Chonl. pag. 51.
d Idem pag. 29.

Quin & in Allocutionibus Impp. ad Milites, Cohortium ERECTAE MANVS, signum erant *Fidei* & *Deuotionis* erga Ducem. Quod testatur Isidorus Hispalensium Præsul, Origin. lib. I. cap. XXV. *Mos erat Militaris, vt, quoties consentis exercitus, quia voce non potest,* MANV *promittat.* Ex hoc more Lucanus lib. I. vbi milites Cæsari operam suam deuouent:

——*Hic cuncta simul assensere Cohortes,*
ELATASQVE *alii, quacumque ad bella vocaret,*
Promisere MANVS.

Huius rei exempla non pauca apud Xenophontem exstant.

Similiter quoque in Concionib. Impp. ad Populum habitis, MANVS ELATAE, Assensus signum erant: vt in Numis sequentibus videre est:



a In Croyacis Tab. 51.
b In iisdem Tab. 38.

Adfert & Choulius vetus Numisma, in quo *gemina Manus iuncta*, cum Inscriptione: FIDES PROVINCIARVM.

Scio esse, qui à vulgatâ Fabellâ, de proiectis à Brabone Gigantis Antigoni præscisis *Manibus*, nomen ANTVERPIAE, patrio idiomate, (*Hands-werp*) eiusque Insignium originem, fluxisse asserant. Sed illos Goropius in Gigantomachiâ suâ, & Scribanius Orig. Antuerp. cap. V. abundè refutarunt.

Porrò, vrbis Insignia serto, è candidis puniceisque ROSIS contexto, antiquitus circumdata sunt. Et candidæ quidem ROSAE, Candorem ciuium Antuerpiensium; Puniceæ, Fidem, vel sanguinis sui effusione non semel testatam, denotant. Epigraphe:

VERE TVO, PRINCEPS, VRBICA SERTA VIRENT.

PORTAS autem in solemni Principum Ingressu olim quoque Encarpis floribusque ornari solitas, constat è Latini Pacati, Consulis, verbis, in Panegyr. Theodosij Aug. *Quid Portas* inquit, *virentibus sertis coronatas, accensis, funalibus auctum diem loquar?*

LAV-

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

LAVREA
SERENISSIMO PRINCIPI
OBLATA.

VRBEM iam intranti Principi Currus deauratus occurrit, cui Virgunculæ habitu repræsentata insidebat ANTVERPIA, quam sociæ aliquot virgines, splendido vestium cultu ornatæ, stipabant. ANTVERPIA autem Curru desiliens CORONAM LAVREAM, Victoriæ Norlinganæ Insigne, in paterâ auratâ repositam, Ser^mo Principi venerabunda offerebat, adstante VRBIS GENIO (quem ingenuus Adolescens referebat) atque hos versus pronuntiante:

ACCIPE VICTRICEM, PRINCEPS FORTISSIME, LAVRVM:
VTQVE NOVOS BELGIS PROGERMINET ILLA TRIVMPHOS,
OBSEQVIIS DEVOTA TVIS ANVERSA PRECATVR.

Perbenignè LAVREAM manu suâ attollens Princeps, eamque mox reponens, omen accepare visus est.

Triumphales coronas, quæ Imperatoribus ob honorem Triumphi mittebantur, antiquitus è LAVRO fuisse, testatur Gellius, & Festus Pompeius. Est enim LAVRVS, VICTORIAE symbolum semper habita, quòd perpetuò vireat, nec marcescat: vt & Victoriæ & vi- *LAVRVS cur Victoriæ symbolum.*
Gell. lib. 15. cap. 11.
uidæ Virtutis laus numquam obsolescit; sed ab annis semper decus & venerationem accipit. Aliam eius rei rationem adfert Plinius & Seruius, *Quòd* LAVRVS *fulmine non feriatur.*
Tertull. lib. de Coron. Apollinem, Delphico Dracone interfecto, LAVREAM induisse refert Tertullianus. Inde & Δαφνηφόρος, *Laurea-gestator*, idem dictus.

Romæ quoque Triumphantes coronam ex Lauro Delphicâ initio gestasse testatur
Plin. lib. xv. c. xxx. Ibidem. Plinius. Successit mox illa, quam DIVO AVGVSTO *è cælo missam* idem narrat, hoc euentu: *Liuia Drusilla, cùm pacta esset illa* CAESARI, AQVILA *ex alto gallinam conspicui candoris, quæ ramum* LAVRI, *baccis onustum, rostro tenebat, in gremium demisit illa sam. Conseruari auem & sobolem Aruspices iussere, ramumq; cum seri & ritè custodiri. Ac tam feliciter inde syluæ prouenit, vt ex ea Triumphans postea* CAESAR, *Laurum in manu teneret, & coronam in capite gestaret: atque* IMPERATORES CAESARES *cuncti inde mox ominis causâ* LAVREAS *decerperent. Traditusq; mos est, ramos quos tenuissent, consistim eodem loco serendi.* Videndi hac de re Suetonius in Galbâ, & Dio lib. XLVIII.

Multò autem fœcundiùs singulari Superûm fauore, germinauit hæc Arbor in Augustissimâ AVSTRIADVM Familiâ,

Claud. de Nupt. Honor. Aug. sat.
Vbi plena LAVREARVM,
Imperio fœta Domus
Vix numerat Triumphos.

Nec frustrà ad PORTAE CAESAREAE fores LAVREA Ser^mo Principi oblata est. Sic namque olim decretum fuit à Senatu in honorem AVGVSTI, vt ante Palatij Cæsarei limen

duæ LAVRI, cum Querneâ coronâ intermediâ, collocarentur, teste Dione lib. LIII. Et Plinius ideò LAVRVM, *gratissimam domibus* CAESARVM *inuitricem* vocat, *quæ sola & Domos exornat, & ante Limina excubat.* Hinc Apollo apud Naſon. ſic *Laurum* affatur: Plin. lib. XV. c. XXX. 1. Metamorph.

——— *Semper habebunt*

Te coma, te citharæ, te noſtra, LAVRE, pharetra:
Tu Ducibus lætis aderis, cùm læta TRIVMPHVM
Vox canet, & longas viſent CAPITOLIA POMPAS.
POSTIBVS AVGVSTIS *eadem fidiſſima cuſtos*
ANTE FORES *ſtabis, mediamq́, tuebere* QVERCVM.

Et porrò (vt cum eodem Naſone voueam) Lib. IV. Faſtor.

Stet Palatina LAVRVS, *prætextaq́,* QVERCV
Stet Domus:

nouiſque ſemper adoreis in Salutem generis humani aucta reſplendeat.

Nec certè omen vanum fuiſſe, quo ANTVERPIA nouos Triumphos è LAVREA hac germinaturos vouebat, gemini mox Gallorum & Batauorum in BELGICÆ totius exitium coniuratorum numeroſiſimi exercitus à Ser^mo Principe eodem anno feliciter profligati, atque arma victricia in hoſticum tranſlata, docuêre: Strala item, Herculanum & Limburgum, expugnata, ac Ditio Tranſmoſana reſtituta. Neque tantùm LAVREA Triumphalis, ob hoſtes deuictos; ſed & QVERNEA Ciuica, ob ciues ſeruatos; & GRAMINEA Obſidionalis, ob liberatum à grauiſsimâ obſidione Louanium; NAVALIS quoque, ob captam felicibus eius auſpiciis, ductu Gauerellij, ingentem Nauem Prætoriam, Lembosque hoſtium plurimos depreſſos, Ser^mo Principi acceſsêre. Vnde iure cum priſco Vate illi accinamus, licet:

Te cingat MVRALIS *Honos, Te* CIVICA QVERCVS
Ambiat, & domitis ornet ROSTRATA *carinis.*

ADVEN-

Biblioteca Nacional de España

BIBLIOTECA NACIONAL

Biblioteca Nacional de España

SOL BELGIS EXORTE TVIS, DECVS OMNE IBERI,
ADVERSAM, FERNANDE, VENIS OPTATVS AD VRBEM.
IN TE SPES ANIMVSQVE HOMINVM: TE PVBLICA VOTA
LAMPRIDEM ARCTOI FORMOSVM FVLVERE BELLI
EXCIPIVNT, GENIBVSQVE TVIS AFFVSA RECVMBENS

BELGICA SENIORTAS ATTOLLIT LAETIOR ARCES.
IN TE NOSTRA SALVS: TIBI SE SERARANDA RESERVANT
TEMPORA PVRPVREI BELLI FOECVNDA RVINIS.
ECCE VLTRO GRADIVVS ITER TIBI PANDIT, ET, AVSPEX
CRVDVM TE NERVII VOLITANT VICTORIA PENNIS.

C. Galle exc. Ant.

ADVENTVS SERENISSIMI PRINCIPIS GRATVLATIO.

PROGREDIENTI Principi ad DIVI GEORGII Ædem, insigne Pegma, triplici picturarum, sibi iunctarum, serie distinctum, sese offerebat, operis Ionici, è sex quadratis pilis striatis, auro obductis, constans, & in fornicem assurgens: altum pedes LXXX. latum LXXVIII.

Tabula media ADVENTVM Ser^mi Principis complectebatur. Expressus est PRINCEPS TARV. militari indutus sagulo, super strata hostium cadauera adequitans. Dextram Pacificatoris habitu, protendit versus BELGICAM: quæ turritum inclinans verticem, gratulabunda Principi ad genua procumbit, LEONE, Belgarum gentilitio, submissis iubis prono adiacente. LÆ. MEDIA. de scripsit.

Comites ad latus; hinc MARS GRADIVVS, Trophæum gestans: inde VIRTVS, & FORTVNA equum alterâ manu deducens, alterâ BELGICAM attollens, Principem velut sacro satellitio stipant & muniunt. VICTORIA supernè aduolitans, Lauream illi defert. SALVS PVBLICA adstat BELGICÆ. Vrbis Antuerpiæ Insignia GENIVS præfert. Supra Tabulam hæc Epigraphe:

SOL BELGIS EXORTE TVIS, DECVS ORBIS IBERI,
ANVERSAM, FERNANDE, VENIS OPTATVS AD VRBEM.
IN TE SPES ARRECTÆ HOMINVM. TE PVBLICA VOTA
IAM PRIDEM ARCTOI FORMOSVM PVLVERE BELLI
EXCIPIVNT: GENIBVSQVE TVIS AFFVSA RECVMBENS
BELGICA, SEMIRVTAS ATTOLLIT LÆTIOR ARCES.
IN TE NOSTRA SALVS. TIBI SE REPARANDA RESERVANT
TEMPORA, FVNESTIS BELLI FOEDATA RVINIS.
ECCE VLTRO GRADIVVS ITER TIBI PANDIT, ET AVSPEX
CIRCVM TE NIVEIS VOLITAT VICTORIA PENNIS.

VT autem Personarum Symbolorumque è priscis Numis desumptorum, quæ in præsenti Tabulâ continentur, breuem interpretationem subiungamus; exstat Numus *Imp. Cæs. Septimij Seueri Aug.* in quo Eques ipse dextram *Pacificatoris habitu* similiter protendit, cum Inscriptione: ADVENTVI AVG. FELICISSIMO. De eo gestu Quintilianus: *Fit & ille habitus, qui esse in statuis Pacificator solet, qui protenso brachio manum in flexo pollice extendit.* Eo habitu Equestris statua *Imp. Cæs. M. Aurel. Antonini Aug.* Romæ inter prima vrbis spectacula in areâ Capitolinâ hodie- Quintil. libr. 11. cap. 111. fuit habitum.

hodieque visitur. Similes quoque Numi exstant *M. Iul. Philippi,* & *Fl. Ioviani Augg.* aliorumque Cæsarum, cum Inscriptione: ADVENTVS AVG.

In Croyiacis. a Tab. LIII. b Tab. LVIII. c Baron. Tom. IV. Annal.

MARS GRADIVVS. MARS GRADIVVS, à gradiendo sic dictus est, teste Festo: quòd nempe per obstantia quæque gradu indomito perrumpens, peruia omnia sibi faciat. Qualis Ser^mi^ FERDINANDI per Germaniam in Belgicas Prouincias fuit profectio. Paludatus est Gradiuus: nam (auctore Varrone) *ad Bellum cùm exit Imperator, paludatus dicitur proficisci.* Trophæum humeris gestat, dextrâ hastam quatiens, qualis in priscis *Vitellij Aug.* Numismatibus conspicitur: vt

VIRTVS. & passim VIRTVS galeata, & clypeum ferens.

FORTVNA. FORTVNA gubernaculum penes se habet. Quâ formâ illam & antiquitùs pictam Lactantius asserit, *tamquam rerum humanarum regimen obtineat.* Hæc est quæ Græcis ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, BONA FORTVNA, dicta est, cuius simulacrum, Praxitelis opus, in Capitolio collocatum fuisse, ait Plinius lib. XXXVI. cap. V. (Lactant. lib. III. c. XXIX. Ant. Augustin. Antiq. Roman. Dial. 2.)

VICTORIA VICTORIA alata & præpes in Numis antiquis & marmoribus etiam cernitur. Hinc Ausonius Epigram. I.

Tu quoque ab aërio præpes VICTORIA *lapsu,*
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens.

Et eleganter Pacatus Consul, Panegyr. Theodosij Aug. *Recte profectò germana illa Pictorum Poëtarumq; commenta* VICTORIAM *finxere* PENNATAM. *Quòd hominum cum* FORTVNA *euntium non cursus est, sed volatus.* (cur Alata?)

SALVS PVBLICA. SALVS PVBLICA prisco more Anguem & Pateram tenet. Erat olim *Anguis* Salutis symbolum, tum quòd positis exuuiis quotannis iuuenescat; tum quòd (Plinio teste) *multa ei remedia inesse credantur, ideoq; Æsculapio dicatus sit:* qui & ipse apud Epidaurios sub Anguis formâ colebatur, vt refert Valer. Max. lib. I. cap. VIII. (Plinius lib. XXIX. cap. IV.)

SPEI *Statua.* Sub Fornice medio, SPEI statua est, Iuuenculæ habitu, è solido lapide affabrè sculpta, quæ alterâ manu thyrsum succrescentis herbæ gestat, alterâ verò syrma fluens, nec astrictum, diducit & attollit. Quo designatur, Prouincias Belgicas Aduentu Ser^mi^ Principis in Spem amplam pristinæ Securitatis & Pacis erectas esse. Epigraphe:

BONÆ SPEI SACRVM.

SPEM olim Diuinis honoribus cultam fuisse, constat è M. Tullio lib. II. de Leg. *Quoniam,* inquit, *exspectatione rerum bonarum erigitur Animus, rectè à Collatino* SPES *consecrata est.* Ad hunc ferè modum visitur SPEI effigies in Numo *Titi Aug.* cum Inscriptione: SPES PVBLICA. Sic Pedo Albinouanus Elegia de Druso Germanico:

Maximus ille quidem Iuuenum, SPES PVBLICA, *vixit:*
Et quâ natus erat, Gloria summa Domus.

Similis

Similis item exſtat *Hadriani Aug.* Numus, in quo SPES Cæſareanis Militibus herbam ſuam oſtentat, cum Inſcriptione: SPES AVGVSTA. Itemque Num. *Philippi Aug.* cum Inſcriptione: SPES FELICITATIS ORBIS.

In Cryptis a Tab. XVIII. b Tab. XXXVIII. c Apud Occon.



Poſtremus ille Numus, cuius eſt elegantiſsima illa Epigraphe: SPES FELICITATIS ORBIS, cuſus eſt à Senatu in honorem Imp. Cæſ. *M. Iul. Philippi Aug.*: quem primum inter Impp. Romanos Chriſtianis ſacris addictum fuiſſe, tradunt Euſebius & Oroſius. In quo autem Principe SPES FELICITATIS ORBIS CHRISTIANI vmquam lætiùs aut vberiùs effloruit, quàm in Ser^mo Principe FERDINANDO? *Cuius* (vt cum Auſonio loquar)

Euſeb. in Chron. Oroſius lib. VII. cap. XX.

——SPES *certa ſuit* RES:

Id eſt, poſt ſeruatam eius ductu vtramque Germaniam, SPEI iam Adultæ fructus vberrimus. Apud Ioan. Iacobum Chifletium, Equitem, Regis Catholici ac Ser^mi Principis FERDINANDI à cubiculis Medicum, omnium Elegantiarum Promum-condum, inter alia eius Muſæi cimelia vidi ſmaragdum annularem antiquiſsimum, in quo geminæ SPEI pulcherrima cernuntur ſymbola. Et typon eius hîc adiungendum curaui.

In hac Gemmâ (vt eruditè obſeruauit idem Chifletius) duplex eſt expreſſa SPEI, *Naſcentis* & *Adultæ*, teſſera. SPEM *Naſcentem* denotat herbeſcentis ſegetis germen, quod dextrà præfert ipſum SPEI Numen. SPEM *Adultam* oſtendit ſpica ante pedes Deæ è ſolo prodiens. Quæ quidem SPICA à SPE Varroni *dicta*, ſpei meſsis propinquæ ſymbolum eſt. *Conceptus* SPICÆ (inquit Plinius) *vbi* SPEM *ſui fecit, quatuor aut quinque vardiſsimi diebus frumenta florere incipiunt.* Poſt verticem Deæ, in eâdem Gemmâ, ardet SIRIVS, maturandæ meſsis cauſa præcipua. Hinc Ruf. Feſtus Auienus in Arati Phænomenis, de Virgine agens:

Varro lib. III. de L. L. Plinius Lxvii. cap. VII.

Seu tu Dina Ceres: ſic nam vibi flagrat ariſta,
Et ſeu SIRIACO *torretur* SPICA *calore,*
Pretentata manu.

Infrà, ſub Tabulâ maiore, puerorum variè ludentium Chorus eſt, ſcitè depictus. Alter corollam tenet: alteri lepuſculus adſilit. Appoſiti vtrimque calathiſci florum vbertate vernantes. Puer medius ſertum ingens ſuſtinet, cum Inſcriptione:

SPERATA
TEMPORVM FELICITAS.

LÆTITIA PVBLICA. LÆTITIA PVBLICA inter pilas medias adstat, muliebri habitu, dexterâ sertum, alterâ manu gubernaculum, Orbi impositum, tenens. Quòd nempe è prospero regimine Lætitia publica nascatur. Talis exstat Num. *Crispinæ Aug.* apud Ant. Augustinum, Dialog. II.

GENIVS *Vrbis Antuerp.* Ex alterâ parte, GENIVS VRBIS Antuerpiensis, iuuenili formâ, dexterâ pateram, læuâ cornucopiæ ferens (ita *Genius Pop. Rom.* in priscis Numis expressus) candidis puniceisque Rosis, Vrbis Insignibus, coronatus cernitur.

VOTA PVBLICA. VOTA PVBLICA, in sertis item Roseis vtrimque inscripta, incredibile Belgarum desiderium, quo Aduentum Ser^mi^ Principis flagitauerant, denotant. Sic de *Honorij Aug.* Aduentu agens Claudianus: Claud. de VI. Conf. Honorij Aug.

Acrior intereà visendi PRINCIPIS *ardor*
Accendit cum plebe Patres, & sæpe negatum
Flagitat Aduentum. Nec tali PVBLICA VOTA
Consensu tradunt ataui caluisse per vrbem,
Dacica Bellipotens cùm fregerat Vlpius arma,
Atque indignantes in iura redegerat ARCTOS.

In Num. *Lucillæ Aug.* ingens Corona Laurea conspicitur, cui inscriptum: VOTA PVBLICA. In Croyiacis Tab. L.

PALMA. In summo Acroterio, PALMA arbor est, cui Orbis vniuersi pondus incumbit. Nota est *Eius natura.* PALMÆ natura, vt aduersùs impositum pondus generosè obluctata, dum premitur, altiùs exsurgat, vti ex Aristotele & Plutarcho obseruat Gellius lib. III. cap. VI. cuius hæc verba sunt: *Si super* PALMÆ *arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas oneresque, vt magnitudo oneris sustineri non queat; non deorsum Palma cedit, nec intrà flectitur, sed aduersùs pondus resurgit, & sursum nititur recuruaturque. Propterea* (inquit Plutarchus) *in certaminibus Palmam signum esse placuit Victoriæ, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibusque non cedat.* Hinc arbori Symbolum adscriptum: Plutarc. Sympos. lib. VIII.

SVMIT DE PONDERE VIRES.

Hæc certè Augustæ Domus AVSTRIÆ propria ac natiua Virtus est, vt, quò magis conspirantium vndique hostium insidiis telisque petatur, eò celsior exsurgat, & inconcussa consistat stabilior;

Duris vt ilex tonsa bipennibus, Horat. lib. IV. Od. IV.
Nigra feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Ita Imp. Cæs. M. Aurel. Antoninus Aug. Philosophus, seipsum præclarè adhortatur: Imp. Cæs. M. Aur. Antonin. lib. IV. Τῶν εἰς ἑαυτόν.
Ὅμοιον εἶναι τῇ ἄκρᾳ, ᾗ διηνεκῶς τὰ κύματα προσρήσσεται· ἡ δὲ ἕστηκε, καὶ περὶ αὐτὴν κοιμίζεται τὰ φλεγμήναντα τοῦ ὕδατος. *Similis esse debes Promontorij, ad quod assiduè fluctus alliduntur: illud autem inconcussum perstat, vndæque æstuantes circa ipsum coërcentur.*

A trunco Palmæ, ἔγκαρπα, siue varij florum, fructuum, frondiumque contextus dependent, Itali *Festones* vocant.

FAMÆ *geminæ.* LEO. AQVILA. Fastigio vtrimque, FAMÆ binæ, alatæ & laureatæ, tubam inflantes, incumbunt; illi LEO, Belgicarum Prouinciarum; huic AQVILA, Imperij Insigne, adstant. LEO, Ser^mi^ Principis Aduentu, mansuetum se exhibet; AQVILA, ob Victoriam Norlinganam, passis alis clangit.

Dextrum

Biblioteca Nacional de España

NEPTVNO STERNENTE FRETVM, ET FELICIBVS AVSTRIS
VLVS ABIT PELAGO BOREAS: ET NOBILE ZELI
DEPOSITVM TYRRHENA VEHIT TRANS AEQVORA PVPPIS;

O QVANTOS GRACILI LIGNO, PRO PIGNORE TANTO,
HESPERIAE SIMVL ET BELGI COMPLEXA TIMORES!

DExterum Pegmatis latus insignis Tabula ornabat, quæ Ser^mi Principis NAVIGATIONEM Barcinone Genuam, repræsentat, incomparabilis Rubenij manu ad stuporem spectantium expressa. Tabvla Nauigationem Ferdinandi Barcinone Genuam referens.

In Tabulâ Tyrrhenum Mare cernitur, in eoque Classis plurimarum Triremium: atque inter alias Prætoria ingens, quâ Princeps vehitur.

NEPTVNVS Tridentiger, conchâ maiori, quatuor HIPPOCAMPIS tractâ, aurigante TRITONE, vehens, NYMPHISQVE tribus concham propellentibus, legem Ponto indicit: manuque versùs BOREAM elatâ, ipsum maturare fugam iubet. In superiore enim parte Tabulæ BOREAS, geminas in capite alas vibrans, brachiis in pennas desinentibus, & serpentinis pedibus, fugiens conspicitur. Instant illi à tergo AVSTER & ZEPHYRVS, alato pariter capite. Auster FVLMINE est armatus. Ambo autem BOREAM iam remissum, cælo pellunt.

Inscriptio Tabulæ superposita:

NEPTVNO STERNENTE FRETVM, AC FELICIBVS AVSTRIS
PVLSVS ABIT PELAGO BOREAS: ET NOBILE CÆLI
DEPOSITVM TYRRHENA VEHIT TRANS ÆQVORA PVPPIS;
O QVANTOS, GRACILI LIGNO, PRO PIGNORE TANTO,
HESPERIÆ SIMVL ET BELGI COMPLEXA TIMORES!

Ratio huius picturæ ex historicâ fide pondus trahit. Nam sub ipsum nauigationis initium, quasi Domitorem suum iam ex Hispaniis soluisse persensisset Septemtrio, BOREAM illicò suum Classi immisit, qui non leuem Tempestatem excitauit. Adeò vt Ser^mo Principi necesse fuerit hærere Cadaquiis (portus is est Comitatus Emporiarum) ad dies tredecim. Adeò, Itinerar. cap. 1v.

Tum verò, AQVILONE pulso,

—— *lenis crepitans vocat* AVSTER *in Altum*,

& molle fretum strauit. Est enim AVSTER ex Hispaniis in Italiam nauigantibus propitius & secundus.

Cæterùm, AVSTER in præsenti Icone FVLMEN non temerè dextrâ gestat. Soli enim illi Vento FVLMEN tribuitur à Physicis. Hinc Lucretius lib. v. AVSTER. Fulmine armatus.

Altitonans Volturnus, & AVSTER FVLMINE *pollens*.

Et Maro VIII. Æneid. vbi *Vulcani* officinam describit:

His informatum manibus, iam parte politâ
FVLMEN *erat, toto Genitor quæ plurima cælo*
Deiicit in terras: pars imperfecta manebat.
Tres Imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres Ignis, & ALITIS AVSTRI.

Ad quem locum Seruius: *Nonnulli Manubias* FVLMINIS *his Numinibus, Ioui, Iunoni, Marti, &* AVSTRO *Vento, asserunt attribui. Quod ex hoc Maronis loco ostendunt.*

AVSTRO rectè iunctus est ZEPHYRVS, qui & ipse in Italiam ex Hispaniâ soluentibus prosper est, & fauens. Proprium autem ZEPHYRI domicilium in Hispaniâ, ob vernam eius Regionis temperiem, veteres statuunt. Seneca, Hercule Oetæo: ZEPHYRI domicilium, Hispania.

—— *Qua* ZEPHYRO
Subdita Tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum.

Claudianus, de Laudibus Serenæ:

Deseritur iam ripa Tagi, ZEPHYRIQVE *relictis*
Sedibus, Auroræ famulas properatur ad vrbes.

Prope amnem Tarteſſum (ſic Bætis olim dictus teſte Strabone) Montem eſſe ZEPHYRO dicatum, eiuſque arcem, ZEPHYRIDEM appellatam, auctor eſt Ruf. Feſtus Auienus: (Strabo lib. III. — Auien. Orâ Maritimâ.)

———*Tarteſſius*
Ager his adhæret, alluitq; ceſpitem
Tarteſſus amnis. Inde tenditur iugum
ZEPHYRO *ſacratum. Denique arcis ſummitas*
ZEPHYRIS *vocata eſt.*

(Venti alati.) Cum ALIS quoque binis in capite Venti expreſsi ſunt, quâ formâ in priſcis ſtatuis cernuntur. Sic apud Naſonem lib. III. Triſt. Eleg. x.

———BOREAS *iactatis inſonat* ALIS.

Et Papinius v. Thebaid. *Zethen & Calain,* BOREÆ Filios, ita deſcribit:

— *Iſmarios,* AQVILONIA *pignora, Fratres,*
Vtraque queis RVTILA *ſtridebant tempora* PENNA.

De iiſdem Hyginus, Auguſti Libertus, in Fabulis, vbi de Argonautis agit: *Zethes & Calais,* AQVILONIS *Venti, & Orithyiæ, Filij. Hi capita pedesq;* PENNATOS *habuiſſe feruntur, quibus peruio aëre vſi ſunt.* Naſo, I. Metamorph. ſic de NOTO, ſiue AVSTRO:

———*Madidis* NOTVS *euolat* ALIS,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.

Sed quid profanos aduoco? Rex idem & Vates Diuinus, Pſalmo CIII. eleganti metaphorâ ait: Ὁ περιπατῶν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. *Qui ambulas ſuper* PENNAS *Ventorum.*

Romæ, in Columnâ ANTONINIANA, vbi Pluuia in Romanorum Caſtra ſiti penè enecta, & Fulmen in exercitum Barbarorum, precibus Chriſtianorum militum Diuinitùs miſſa, repræſentantur, cernere eſt *Figuram Alatam,* Caſtris vtriſque ſuperuolitantem, barbâ prolixiſsimâ, paſsiſque brachiis & toto corpore Imbres diffundentem, ac Fulmina ſpargentem. Eâ Figurâ, non IOVEM PLVVIVM, vt opinatur Baronius, Tomo II. Annalium; ſed potiùs AVSTRVM Ventum deſignari, præſtantiſsimo Rubenio noſtro aſſentior. Neque enim *Imbricitor* tantùm AVSTER priſcis dictus, ſed & *Fulminator,* vt ſuprà probaui. Nec certè *Alatum Iouem* vſpiam obſeruaſſe me memini. Sed de eâ re nos (Superis fauentibus) alibi copioſiùs. (Ennius: Spiritus AVSTRI Imbricitor.)

(Boreas Anguipes.) BOREÆ porrò Anguineos pedes olim attributos fuiſſe, patet ex Pauſaniâ, in Eliacis, vbi arcam cedrinam, aureis & eboreis emblematibus variegatam deſcribit: Τέταρτα δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι ἐξ ἀριστερᾶς περιιόντι ΒΟΡΕΑΣ ἐστὶν ἡρπακὼς Ὠρείθυιαν. Οὐραὶ δὲ ὄφεων ἀντὶ ποδῶν εἰσὶν αὐτῷ. *Ad quartum Arcæ latus, ſi à lauâ illam ambias,* BOREAS *eſt, Orithyiam rapiens.* ANGVIVM CAVDAE *illi pro pedibus ſunt.*

(Nymphæ.) Concham quâ NEPTVNVS vehitur, tres NYMPHAE Marinæ propellunt, margaritis in vertice ornatæ, &

Nutricum tenus exſtantes è gurgite cano. (Catull.)

Hæ Rotulam iuxta Concham verſant. Quâ re vortex marinus denotatur, qui in gyrum actus ipſam promouet. *Nymphas* autem dictas quaſi *Lymphas,* notum eſt.

(Triton.) TRITON *cochleam* minorem inflans, auriganſque, inter HIPPOCAMPAS prænatat.

De

De illis sic Nonius: HIPPOCAMPAE, *Equi Marini, à flexu caudarum, quæ piscosæ sunt.* Festus: HIPPOCAMPAS, *Marinos equos Græci à flexione posteriorum partium appellant.* Nempe à voce Κάμπτειν, *Flectere.* Hippocampæ, cur sic dicti?

Auctor Dissertationis ad Nonni Dionysiaca, censet: *Equos Neptuni vulgò* Ἱπποκάμπους *male vocari, quòd* (vt asserit) Ἱππόκαμπος *e genere sit locustarum.* Ceterùm, receptam vulgò sententiam disertè adstruit Philostratus, Icone *Neptuni*: Ἐνταῦθα δ' Ἱππόκαμποι τὸ ἅρμα, ἔφυδροι τὰς ὁπλάς, καὶ νευστικοί, καὶ γλαυκοί, καὶ νὴ Δία, ὅσα Δελφῖνες. *Hic verò* HIPPOCAMPI *ad currum, immersi vngulas, natatores, ac cæsij, &* (*per Iouem*) *velut Delphines.* Idem in Heroicis, *Achille*, de Thetide agens: Ἡ μὲν ἔτυχεν ἐπὶ Δελφίνων τε καὶ Ἱπποκάμπων ἀθύρουσα. *Accidit, vt hæc Delphinis ac* HIPPOCAMPIS *insidens luderet.* Adstipulatur quoque Plinius lib. XXXVI. cap. V. vbi Scopæ, nobilis statuarij, opera hæc recensentur: *Neptunus ipse & Thetis, atque Nereides supra Delphinos & Cete, &* HIPPOCAMPOS *sedentes.* Sed neque locustarum generi rectè accenseri *Hippocampos*, aduersus Marcellum Vergilium, & Matthiolum, Dioscoridis Interpretes, asserit Rondeletius.

Philostr. lib. I. Iconum.

Rondeletius lib. de Piscibus.

In Numis *C. Marij* & *Q. Creperij* cernitur Neptunus *Hippocampis* vehens. Et in Num. *Imp. Cæs. Gallieni Aug.* expressus est *Hippocampus*, vt Animal Neptuno sacrum, cum Inscriptione: NEPTVNO CONSERVATORI AVG.

a Goltzius in Fastis ad Annum DCXLVI. & Choul. Occo.

AD læuum PEGMATIS latus Tabula est, in quâ primus Congressus FERDINANDI Principis, cum Ser^mo Hungariæ & Bohemiæ Rege, FERDINANDO III. ad Norlingam. Complectuntur se mutuò maximi Principes iunctis dexteris. Vtriusque vertici AQVILÆ binæ, Fulmen vnguibus, ore Lauream, victoriæ Auspicium gestantes, superuolitant. Adstant vtrimque Proceres. Adiacet DANVBIVS, alterâ manu vrnam sanguinolentam effundens: alteram versùs Principes gratulabundus protendens. Atque ad GERMANIAM, Matronæ mœrentis habitu, passis crinibus asidentem, cubitoque caput innixam, atque Insignibus Imperialibus incumbentem, conuersus, illam Virtute & Auspiciis vtriusque FERDINANDI, adductis iam Hispanorum & Italorum inuictis suppetiis, ab exterorum iugo, quo opprimitur, breuî liberandam fore vaticinatur. Hæc quoque Tabula à venustissimo Rubenij penicillo erat. Inscriptio hæc est:

TABVLA Cõgressus Ser^morum FERDINANDORVM ad Norlingam.

VICTRICES SOCIANT DEXTRAS, DVO FVLMINA BELLI,
AVSTRIADÆ, DIVVM SOBOLES, FERNANDVS VTERQVE,
AD MVROS, NORLINGA, TVOS. GRATATVR ALVMNIS
ISTER, ET ELATAS IACTANTIOR INCITAT VNDAS.
QVIS NON ALCIDÆ SOCIATVM THESEA CERNI,
OEBALIOSVE PVTET SPARTANA AD MOENIA FRATRES?

Contigit felicissimus hic congressus ad diem II. Septembr. Anni M.DC.XXXIV. Ac Ser^mo Principi FERDINANDO, qui ex Italiâ cum florentissimo Exercitu in Germaniam de-

scendens, iam Donauerdam peruenerat, & NORLINGAM à Ser^mo Hungariæ Rege obsessam properabat, ad medium à statione suâ milliare, Rex ipse obuiàm progressus est, magno Principum Ducumque comitatu stipatus. Quos inter Matthias Medicæus, & Borsius Estensis; ille Magni Ducis Etruriæ, hic Mutinæ Ducis frater: Comites, Galassius, Picolominius, Tuffenbachius, Fuggerus, aliique summi Militiæ Cæsareæ Præfecti, cum lectissimis Cataphractorum turmis.

Ser^mo Principi FERDINANDO ingens quoque clarissimorum Ducum manus aderat: Marchiones, Leganezius, Balbacensis, Estensis, Oranius: Dux Nucerinus, Comes Serbellonius, aliique.

Vt primùm Augustissimi FERDINANDI in conspectum mutuum venêre, illicò vel ad centum passus à se remoti, equis desilientes, cupidissimo accessu, affectuque ac gaudio incredibili, in complexus inuicem irruêre.

——Arcana sic fama erumpere portâ Papin. vi. Theb.

CÆLICOLAS, si quando domos, littusq; rubentum
Æthiopum, & mensas amor est inuisere minores:
Dant Syluæ Montesq; locum. Tum Terra superbit
Gressibus, & paulùm respirat calcifer Atlas.

AQVILÆ. Ad AQVILAS quod spectat, quæ vertici vtriusque Principis superuolitant; exstat Numus *Diui Augusti*, in quo AQVILA inter geminas Lauros expressa *Coronam Quernam* vnguibus gestat: itemque *Traiani Aug.* Numus, in quo AQVILA cum *Fulmine*: similesque alij propè innumeri. Per vtramque verò AQVILAM, Cæsarea & inuicta vtriusque FERDINANDI Virtus & Indoles designatur. Sic Horatius *Drusum Germanicum, Augusti* priuignum, *Iuliæ Aug.* filium, AQVILAE comparat: & Pyrrhus, Epirotarum Rex, à suis AQVILA dictus. Lib. IV. Od. IV. Plutarc. Pyrrho.

DANVBIVS. DANVBIVS quoque simili formâ spectatur in Numis *Traiani* & *Constantini Augg.* partæ ad istud Flumen Victoriæ monumentum.



In Croyiech, a Tab. XXXV. à Lambèsse Numism. Impp. Rom. Bricce.

Pluteis Pegma medium distinguentibus, à dextero latere, Insignia Regis Catholici; ab altero, Ser^mi Principis FERDINANDI, superposita sunt. Eadem & in Vexillis, quæ à GENIIS vtrobique sustinentur, cernere erat. Vt in minoribus Labaris, hinc BRABANTIÆ, inde ANTVERPIÆ Insignia erant expressa.

GENII.

GRYPHES. TELAMONES. Exterioribus stylobatis GRYPHES insident. His incumbunt TELAMONES, Satyrorum habitu, qui Copiæ cornu gestant.

ARCVS

Biblioteca Nacional de España



Biblioteca Nacional de España

ARCVS LVSITANICI
PARS PRIOR.

Georgiano Pegmate digressis, via Hospitalaria, in conspectum se dedit, prope vicum Arenbergicum, egregia moles, in Triumphalem Arcum à Lusitanis hac in vrbe negotiantibus, excitata: qui soli exterorum, obseruantiam erga Ser^mum Principem FERDINANDVM, & affectum erga S.P.Q. Antuerpiensem (licet per diuturni belli calamitates ad magnam infrequentiam redacti) testari voluerunt. Tota eius altitudo, binis eleuationibus distincta, ad LXVI. pedes assurgebat. Latitudo XLIV. complectebatur.

In summo fastigio geminæ erant VICTORIAE Laureatæ, quæ dextrâ HISPANIAE Insignia, sinistrâ LVSITANIAE vexilla tenebant: quia Auspiciis opibusque PHILIPPI IV. potentissimi Hispaniarum Regis, GERMANICA VICTORIA parta. VICTORIÆ Laureatæ.

Infrà erat magna Tabula, in quâ Rex PHILIPPVS, Ser^mus Principem FERDINANDVM Fratrem vnicum, cum summo imperio in GERMANIAM mittit, vt Suecorum & Perduellium armis oppressam, in pristinam Libertatem restituat. Iacet illa mœstæ similis, turrito capite. Iuxtà sunt funera, & villarum incendia, atque hostes in fugam acti. Ser^mo FERDINANDO adstat MARS, frænatum equum manu tenens, & MINERVA cum Ægide. Tabulæ sensum subiecta Inscriptio explicabat: TABVLA Media.

FERDINANDO
AVSTRIACO
PHILIPPI
IV. HISPANIARVM,
III. LVSITANIÆ REGIS
FRATRI,
RESTITVTORI GERMANIÆ,
DEBELLATIS SVECIS ET ROMANI IMPERII PERDVELLIBVS,
HOSTIVM DVCE CAPTO,
LVSITANI
PVBLICÆ LÆTITIÆ ET PRIVATÆ PIETATIS ERGO,
P. P.

Ægis. MINERVÆ *Ægida* tribuerunt Poëtæ, quòd eius aspectu hostibus formidinem incutiat. Homerus Iliados E. graphicè illam describit: Homer. Iliad. E.

> Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ ὤμοισιν βάλετ᾽ Αἰγίδα θυσανόεσσαν
> Δεινὴν, ἣν περὶ μὲν πάντῃ Φόβος ἐστεφάνωτο,
> Ἐν δ᾽ Ἔρις, ἐν δ᾽ Ἀλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα Ἰωκή.
> Ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου
> Δεινή τε, σμερδνή τε, Διὸς τέρας Αἰγιόχοιο.

Quos versus ita expressit Helius Eobanus:

> ÆGIDA *post humero circumdat, dira minantem,*
> *Terribilem, horrendam. Grauis hic Contentio, & atrox*
> *Clamor, & insani Fremitus. Hic denique visu*
> *Gorgoneum caput horrificum, quo Iuppiter ipse*
> *Non aliud potuit truculentius edere monstrum.*

Ab Afris autem *Ægidas* inuentas, atque ad Græcos translatas, auctor est Herodotus in Melpomene: Αἰγίδας γὰρ περιβάλλονται ψιλὰς περὶ τὴν ἐσθῆτα θυσανωτὰς αἱ Λίβυσσαι, κεχρισμένας ἐρευθεδάνῳ. ἐκ δὲ τῶν αἰγέων τουτέων Αἰγίδας οἱ Ἕλληνες μετωνόμασαν. *Quippe Afra mulieres supra vestem amiciuntur caprinis pellibus fimbriatis, ac rubricâ delibutis: à quibus caprinis pellibus Græci nominauère Ægidas.* A fimbriis autem dependentibus Homerus *Ægida* θυσανόεσσαν, id est *fimbriatam*, vocat.

Ser^mo^ itaque FERDINANDO Principi eunti in Germaniam, MINERVA & MARS Belli Præsides, adstant, quia bella consilio viribusque geruntur, quibus Princeps fretus, splendidissimam de bellicosissimis hostibus, prope Norlingam obtinuit Victoriam; cæso veterano exercitu, captoque Illustri Duce, *Gustauo Hornio*. Quâ victoriâ Germaniæ Quies, Belgicæ Securitas parta.

Persæ. Tabulam vtrimque sustinebant PERSAE. Dicebantur Architectis PERSAE, viriles statuæ, oneri ferendo collocatæ, loco columnarum, in Porticu, aliisve operibus, in memoriam Persarum à Lacedæmoniis, Duce Pausania, Cleombroti filio, apud Plateam deuictorum. *In cuius rei memoriam* (inquit Vitruuius) *Porticum Persicam ex Manubiis, pro trophæo constituerunt; ibiq; captiuorum simulacra, barbarico vestis ornatu, sustinentia tectum, collocauerunt: vti & hostes horrescerent, timore eorum fortitudinis affecti, & ciues id exemplum Virtutis aspicientes, gloriâ erecti ad defendendam Libertatem essent parati.* Vitruu. lib. I. cap. I.

Equi marini. Inde ab vtroque latere erant EQVI MARINI (Ἱπποκάμπους Græci vocant) quibus insidebant Pueri Laureati, hostium spoliis ornati. Maroni IV. Georgicor. *Bipedes Equi* dicuntur: Virgil. IV. Geor.

> *Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor*
> *Et iuncto* BIPEDVM *curru metitur* EQVORVM.

Quo loco Seruius: *Qui enim Marini primâ parte Equi sunt, postremâ resoluuntur in pisces.* Respexit haud dubiè Seruius ad illum Papinij locum II. Thebaidos:

> *Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos*
> *In portum deducit Equos. Prior haurit arenas*
> *Vngula, postremi soluuntur in æquora pisces.*

Maronem imitatus est Valerius Flaccus II. Argonauticon:

> ——*Patriisq; manus cùm plenus habenis*
> *Orion,* BIPEDVM *flatu mare tollit* EQVORVM.

Mox

Mox vtrimque Trophæa cum captiuis vinctis. Epigraphe:

DE SVECIS ET PERDVELLIBVS.

Solemne enim Romanis, vt præter spolia & armorum congeriem, consp̃iceretur

——— *summo tristis captiuus in Arcu*,

Iuuenal. Satyr. x. vt ait Iuuenalis. Et testantur id non pauca veterum Numismata.

Supra Portam fulgebant LVSITANIÆ Insignia, quòd priuato eius gentis ære Triumphalis hic Arcus exstructus esset.

Vtrumque Portæ latus exornabant LVSITANIÆ Reges. A dextro, PHILIPPVS III. Ser^mi FERDINANDI Principis Pater. Supra caput Tabella monochromate depicta, quæ denotabat auxilia FERDINANDO II. Imperatori missa, & Palatinatum eius armis occupatum. Epigraphe:

PHILIPPVS III. HISPANIARVM REX.

CÆSAREAS AQVILAS, COGNATAQVE REGNA TVERI,
ATTINGIT SOLIVM IOVIS, ET CÆLESTIA TENTAT.

Imperator enim FERDINANDVS II. Bohemorum scelestâ coniuratione pænè Imperio deiectus, PHILIPPI III. potissimùm ope restitutus: Fredericus, Comes Palatinus, Regno Bohemiæ eiectus, auitâ Palatinatus ad Rhenum ditione etiam exuitur.

Ad sinistrum Portæ latus erat LVSITANIÆ Rex EMANVEL, cuius ex Filiâ abnepos Ser^mus Princeps FERDINANDVS. Superposita tabella ostendit Orientem eius auspiciis detectum, atque INDIAM deiectam. Epigraphe:

EMANVEL LVSITANIÆ REX.

PRIMVS ODORATOS INVICTIS CLASSIBVS INDOS
EDOMVI, GANGEMQVE TAGO SERVIRE COEGI.

Anno enim M. CCCC. XCIX. superato Bonæ Spei promontorio, inauditâ & felicissimâ nauigatione, Duce *Vasco de Gama*, in Indiam penetrauit, Christianam Religionem inuexit, & Lusitanicæ gentis nomen inuictum, maximo Barbarorum terrore, per Orientem latè diffudit.

ARCVS LVSITANICI

PARS POSTERIOR.

Ltera Triumphalis Arcus facies, pariter in vertice binas VICTORIAS Laureatas cum HISPANIÆ Insignibus, & LVSITANIÆ Labaro exhibebat. Subiecta Tabula referebat Ser^mum Principem FERDINANDVM militari habitu, candido equo insidentem, quem hinc inde comitantur VICTORIA cum Corona & Palma; ac BONVS EVENTVS vnâ manu Pateram, alterâ Spicas cum Papauere gestans. Subsequuntur Principem FELICITAS cum Caduceo & Cornucopiæ: CLEMENTIA cum hastâ purâ ac Lauri-ramo, & RELIGIO. Manum Princeps procumbenti BELGICÆ porrigit; diffugiunt FVROR, BELLONA, SEDITIO, aliæque Belli calamitates. Infra Tabulam hæc Inscriptio:

INVICTISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

AVSTRIACO

FVNDATORI PVBLICÆ QVIETIS,

SVSCEPTVM BELGICÆ REGIMEN,

ET

AVSPICATISSIMVM ADVENTVM

LVSITANI

GRATVLANTVR.

BONVS EVENTVS. BONVS EVENTVS cum Paterâ, Spicis & Papauere, à veteribus expressus fuit. Plinius vbi loquitur de *Euphranore*, nobili sculptore: *Fecit & simulacrum* BONI EVENTVS *dexterâ Pateram, sinistrâ Spicas & Papauer tenens.* Ita quoque in *Titi Aug.* Numis exprimitur. Plin. lib. 14. cap. VIII. Varro etiam inter XII. *Deos Consentes*, qui Agriculturæ præsunt, BONVM EVENTVM enumerat. Pateram gestat, vt Deum Vetustas designaret: Diis enim pateris sacrificabant. Templum BONI EVENTVS, Regione IX. Vrbis statuit P. Victor. Meminit eiusdem Varro lib. 1. de R. R.

Tem-



Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

Ammianus Marcellin. lib. XXIX. Templi Ammianus: *Claudius Vrbis Præfectus Porticum excitauit ingentem*, EVENTVS BONI *cognominatam eâ re, quòd huius nominis propè visitur Templum.* Hinc in *Getæ Cæs.* Numo Aræ adstat:

a Croyiac. Tab. 78. Occo. b In iisdē Tab. 54.



Spicæ, Annonæ Vbertatem; Papauera, vtpote soporifera, & ἀνώδυνα, Securitatem denotant. Quæ vtraque BONI EVENTVS munera sunt. Vetus Epigramma de Vitâ tranquillâ: *Papauer quid designet?*

Corycium mihi surgit olus, maluaq́; supinæ,
Et non sollicitos missura PAPAVERA *somnos.*

Phurnut. Fœcunditatis quoque symbolum est Papauer, ob seminis abundantiam. *Vescum Papauer* à Marone dictum lib. IV. Georg. ait Seruius, quòd veteres illo *vescerentur*. Idemq́; lib. I. eiusdem operis, *Cereale Papauer* sic interpretatur: *Vel quod est esui, sicut frumentum: vel quo Ceres vsa est ad obliuionem doloris. Nam ob raptum Proserpinæ, vigiliis fracta, gustato eo, acta est in soporem: vel quia pani adspergatur.* Dioscor. lib. IV. c. LXIII. Dioscorides lib. IV. cap. LXIII. Περὶ μήκωνος ἡμέρου, *de Papauere satiuo* agens: Ἧς τὸ σπέρμα ἀρτοποιεῖται εἰς τὴν ἐν ὑγείᾳ χρῆσιν. Καὶ τῷ μέλιτι ἀντὶ σησάμης αὐτῇ χρῶνται. *Cuius semen in panem densatur, qui sanis in vsu sit. Et cum melle pro sesamo, illo vtuntur.* Plinius lib. XIX. cap. VIII. Plinius: *Papaueris satiui tria genera: candidum, cuius semen tostum in secundâ mensâ cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis rustici crustæ inspergitur affuso ouo inhærens.* Panes huiusmodi Μακωνίδες, *Papaueracei* vocantur à Sosibio apud Athenæum lib. III. Inter bellaria olim fuisse testatur Galenus. Et Plautus Poenulo: Gal. n. lib. VII. de simp. Medic. Facult.

Obsecro, Hercule, vt mulsa loquitur! Nihil nisi laterculos,
Sesamum, PAPAVEREMQVE *tritum, & frictas nuces.*

Cato de R. R. cap. LXXIX. *Globulos melle vngito,* PAPAVERE *infriato: ita ponito.* Hinc apud Petronium: *Melliti verborum globuli, & omnia dicta factaq́; quasi* PAPAVERE *& sesamo sparsa.*

FELICITAS cum Caduceo & Cornucopiæ. Ita passim in Numis. Antiquitatis periti *Caduceo* Cælestia bona; *Cornucopia* verò, Terrena designari credunt, vt refert doctissimus Anton. Augustinus, Archiepisc. Tarracon. Antiquitatum Dialogo II. *Felicitas.*

CLEMENTIA cum hastâ purâ & Lauri ramo, nunc stantis, nunc sedentis habitu. Iustin. lib. XLIII. Hastæ innititur. Nam, vt ait Iustinus: *Ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres* HASTAS *coluere, ob cuius Religionis memoriam* HASTÆ *adhuc Deorum simulacris adduntur.* Hastæ verò puræ ferro carebant, quòd *Clementia* nulli noxam inferat. *Clementia.*

Tabulam vtrimque CARYATIDES ornabant. Erant Caryatides statuæ mulie-bres, quæ loco columnarum porticus arcusq́ue sustentabant; ita dictæ à *Caryâ*, Peloponnesi oppido, à Græcis diruto, quòd cum Persis contra communem Græciæ Libertatem conspirasset. Viris occisis, Matronæ in seruitutem abductæ. *In cuius rei memoriam* (teste Vitruuio) *Architecti ædificiis publicis designauerunt earum Imagines, oneri ferendo collocatas, vt etiam posteris nota pœna Caryatium, memoriæ traderetur.* *Caryatides.* Vitruu. lib. I. c. I.

Ab vtroque latere DELPHINES dorso gestabant pueros Laureatos ob Victoriam Germanicam. *Delphines.*

Ab exteriori parte, SPES dextrâ manu Surculum vel Florem tenet, sinistrâ fluentem stolam nonnihil subducit, vt veterum Numismata docent. *Spes.*

NOVA SPES REIPVBLICÆ.

M Inscri-

Inscriptio hæc ex *Arcadij Imp.* Numismate desumpta, Ser^mo Principi FERDINANDO egregiè conuenit. Sicut enim illâ tempestate Respub. Romana in Iuuene Principe *Arcadio Aug.* omnem Spem collocauerat, atque Imperij felicitatem non frustrà ab illo exspectauerat; ita etiam Belgica Ser^mi FERDINANDI Principis aduentu spondet sibi feliciora tempora. Nec Spes fuit irrita. Siquidem perturbatissimis temporibus, tamquàm Deus ex machinâ superueniens, hostium occultas molitiones discussit: Gallos Batauosque, qui vniuersam Belgicam, inito Fœdere, inter se diuiserant, à Louanij obsidione immortali cum laude non solùm submouit, sed victricia etiam signa vltra Vahalim transtulit. Croyiac. Minor. Tab. 12.

SECVRITAS. Ab alterâ parte, SECVRITAS cum Cornucopiæ, Columnæ innixa.

SECVRITAS PVBLICA.

Infra Tabulam ab vtroque Portæ latere visebantur duo Lusitaniæ Reges. A dextro,

ALPHONSVS I. LVSITANIÆ REX. ALPHONSVS Primus. Superposita Tabella referebat prælium illud memorabile, quo Ismarus Maurorum Rex, ac cum eo coniurati quatuor alij Mahometanæ sectæ Reges, Anno M. C. XXXIX. cum innumeris copiis cæsi. ALPHONSO ante pugnam CHRISTVM Dominum cum sacris stigmatibus apparuisse, Lusitanorum Annales asserunt. In memoriam celebertimæ huius Victoriæ, Regum Lusitaniæ Insignia mutata. Clypeo enim cæruleo, quinque alia minora scuta addita. Epigraphe:

VICTA IACET NVMIDVM METVENDA POTENTIA REGVM.

AVSPICIIS, ALPHONSE, TVIS, CÆLIQVE FAVORE.

IOANNES I. LVSITANIÆ REX. Ab altero latere, IOANNES Primus, qui compositis cum Ioanne I. Castellæ Rege, bellis, & pacato regno, animum vertit ad Hispaniæ securitatem procurandam. Quâ de causâ in Africam bellum transtulit, summâque celeritate Ceutam, siue veterum ABYLAM, expugnauit, Anno M. CCCC. XV. vt Mauris opportunissimam in Hispaniam traiiciendi commoditatem eriperet: quam Vrbem hodierno adhuc die Lusitani feliciter possident. Epigraphe:

IVNXIMVS HESPERIÆ LIBYAM, VICTRICIBVS ARMIS

CAPTA ABYLA. HERCVLEÆ RVRSVS COIERE COLVMNÆ.

Columnæ Herculis. Erat ABYLA, Herculis Columnarum vna, in Africâ: altera, CALPE dictata, in Europâ sita: de quibus Martianus Capella lib. VI. *Europa* CALPE, *Africa* ABYLA *monte despicitur. Quæ vtrimque prominentes, dici* COLVMNÆ HERCVLIS *meruerunt, quòd testimonio vetustatis laboris Herculei limes in illis fit consecratus.* Ab illis autem Columnis, nomen vrbes sortitæ: in Europâ *Calpe*, vulgò *Gibraltar* dicta; in Africâ *Abyla*, siue *Ceuta*. De iis Auienus, in orbis Terræ descriptione: Marc. Capella lib. VI. de Nupt. Philol. & Mercurij.

Maura ABYLA, *& dorso consurgit Iberica* CALPE.

Ioannes Lusitaniæ Rex expugnatâ *Abyla*, Herculis Columnas Hispaniæ Imperio iterùm coniunxit. Plura de illis in suâ HISPANIÆ Descriptione vir eruditissimus, Lud. Nonnius, Vrbis Antuerpiensis Medicus, amicus noster, cui huius Arcus Lusitanici Inuentio, eiusque Interpretatio debetur.

ARCVS

Biblioteca Nacional de España

ARCVS PHILIPPEI
PARS ANTERIOR.

AD initium viæ Coriariæ prope *Meram*, Arcus omnium maximus & splendidißimus erectus erat, operis compositi, qui Vnionem Augustæ Domus AVSTRIACÆ & BVRGVNDICÆ, per Coniugium MAXÆMILIANI Archiducis, FRIDERICI IV. Imp. Filij, cum MARIA, CAROLI Pugnacis, Belgarum ac Burgundionum Principis, Filiâ, & hærede vnicâ, complectebatur. Altitudo eius erat pedum LXXV. Latitudo, XXXVIII. Profunditas, XX.

In summo Arcus fastigio IVPPITER & IVNO sedent, qui de futuro MAXÆMILIANI & MARIÆ coniugio deliberant. Illos *Coniugales Deos* priscis habitos esse, testatur Dionys. Halicarnasseus de *Nuptiali oratione* agens: Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζυγνυῶτες θεοὶ καὶ συνδυάζοντες. Οὕτω τοι ὁ μὲν καὶ Πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δὲ Ζυγία, ἀπὸ τοῦ ζεύγνυσθαι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι. IVPPITER *&* IVNO *primi Coniugales Dij sunt & combinantes. Atque hic quidem* PATER *omnium vocatur; hæc verò* ZYGIA, *seu* IVGALIS, *quòd Feminam Mari coniungeret.* Musonius Philosophus: Ὅτι δὲ μέγα καὶ ἀξιοσπούδαστον ὁ Γάμος ἐστί, καὶ ταύτῃ δῆλον. Θεοὶ γὰρ ἐπιτροπεύουσιν αὐτόν, καθὸ νομίζονται παρ' ἀνθρώποις μεγάλοι. Πρῶτον μὲν Ἥρα, καὶ διὰ τοῦτο ΖΥΓΙΑΝ αὐτὴν προσαγορεύομεν. *Quòd Nuptiæ magnum quid, & studio dignum sint, hinc etiam patet, quoniam Dij ipsarum curam gerunt. Quare Magni ab hominibus censentur. Primùm* IVNO: *inde &* IVGALEM *ipsam appellamus.* Sic & ΓΑΜΗΛΙΑ ΗΡΑ, id est, NVPTIALIS IVNO, à Cecrope Atheniensium Rege, primùm dicta est, teste Phauorino. De illa sic Plutarchus in Præceptis connubial. Οἱ τῇ Γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ, τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς, ἀλλ' ἐξελόντες, ἔρριψαν παρὰ τὸν βωμόν. Αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου, τὸ μηδέποτε δεῖν χολὴν μηδὲ ὀργὴν Γάμῳ παρεῖναι. Id est, *Qui* IVNONI NVPTIALI *sacrificant, ij fel cum reliquâ non conficiunt victimâ, sed exemptum apud Altare abiiciunt. Innuente Legislatore, numquam debere bilem Iramq́ Coniugio interesse.* GAMELII IOVIS meminit D. Hieronymus aduersus Iouinianum.

IVPPITER & IVNO, *Dij Coniugales.*

Muson. apud Stob. serm. LXV.

AQVILA autem *Ioui* adstat cum Fulmine: *Iunoni* PAVO, *volucris Iunonia* Papinio dicta.

PROVIDENTIA dextro Iouis lateri aßistit, Orbem Terrarum manu ferens, Iouemq́ue alloqui visa. In vertice PROVIDENTIÆ, Oculus est. Nam & Orpheus *Deum*, ὄμμα ἄπειρον, *oculum infinitum* appellat. Et Ægyptij olim Regem suum designantes, Sceptro OCVLVM appingebant, vt Regiam subditorum commodis procurandis inuigilantem curam & Prouidentiam denotarent, Plutarcho teste: Τὸν δὲ Ὄσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γράφουσιν, ὧν τὸ μὲν τὴν Πρόνοιαν ἐμφαίνει, τὸ δὲ τὴν Δύναμιν. *Osirin, Oculo & Sceptro pictis, exprimunt: Oculo Prouidentiam, Sceptro Potentiam demonstrante.* Quin & iidem Regem suum patriâ linguâ OSIRIM, Græcè Πολυόφθαλμον, id est *Multi-oculum*, appellabant, vt refert Diodorus Siculus, Bibliothecæ suæ lib. I. cap. II. Videndus etiam Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XXI.

PROVIDENTIA: *Oculus eiusdem.*

Plutarc. lib. de Iside & Osiride.

Alata est PROVIDENTIA, vt præsentem & celerem Diuini Numinis opem & præsidium designet. Ac profectò numquam clariùs quàm in hoc Connubio Diuinæ Prouidentiæ Numen eluxit, iam tum firmißima MONARCHIAE AVSTRIACAE fundamenta iaciens: quæ non armorum vi, sed æquißimo & innocuo Connubiorum iure tot Regna coniunxit. Adeò vt, quod de ITALIA ait Plinius, de Augustißimâ AVSTRIAE Domo rectè dici poßit: *Illam Numine Deûm electam, quæ sparsa congregaret Imperia.*

Cur alata Prouidentia?

Plin. lib. III. cap. V.

TEMPVS, *Circulum Aureum cui geſtat.*

Ab altero latere TEMPVS eſt, dextrâ tenens CIRCVLVM AVREVM formâ *Serpentis quâ caudam ore deuorat*, quod Æui Symbolum erat Ægyptiis, teſte Horapolline in Hieroglyphicis: Αἰῶνα γραφόμενοι βουλόμενοι, Ὅταν ζωγραφῶσιν ἔχοντα τὸν ἱερὸν ὄφιν ὃν λοιπὸν σῶμα κροκοδείλου, ὃν καλοῦσιν Αἰγύπτιοι Οὐρόβοον ὃ ἐστιν ὑποδυόμενοι Βασιλίσκον. ὃν δὴ Χρῆσθαι ποιοῦντες, θεοῖς ἀναθήμασιν. Id eſt, ÆVVM *pictura exprimere volentes*, SERPENTEM *pingunt, cuius cauda reliquo innolauatur ac tegatur corpore. Hunc Ægyptij quidem linguâ suâ Vraum, Graci verò Baſiliſcum appellant. Eundem* AVREVM *facientes Diis circumponunt.*

Hinc Claudianus Æui Specum ſic deſcribit:



Claud. lib. 1. de laudib. Stilich.

——— *Complexitur Antrum,*
Omnia qui placido conſumit Numine SERPENS,
Perpetuumq́, vorat ſquammis, CAVDAMQVE REDVCTO
OREVORAT, *tacito relegens exordia lapſu.*

Huc facit, quòd veteres Platonici *Amorem Coniugalem* appellarent *Circulum de Bono in Bonum perpetuò reuolutum, Æternitatiſq́, Deſiderium.* Falcem auerſam ſiniſtrâ TEMPVS geſtat, quo perpetua & inabrupta Auguſtæ Domus AVSTRIÆ ſucceſsio denotatur.

AVSTRIA. BVRGVNDIA. TABVLÆ MEDIÆ *Deſcriptio.*

Vtrimque aſsident Laureatæ hinc AVSTRIA; hinc BVRGVNDIA, cum vexillo & Inſignibus.

In Tabulâ mediâ, quæ eſt ſuper primam Arcus eleuationem, ſtat Archidux MAXÆMILIANVS, fluente per humeros cæſarie conſpicuus: & MARIA Sponſa, turrito vertice, pro eius æui more, ornata, iunctiſque dextris Connubium ſanciunt.

Ad dextrum MARIAE latus, Pronuba ſtat CYBELE, Deorum Mater, Orbem Belgicum dotalem adferens, cui LEO (Cybeles pariter & Belgij Symbolum) inſidet. Sponſum inter & Sponſam medius eſt HYMENAEVS, Facem tenens.

MAXAEMILIANO adſtat FRIDERICVS IV. Imp. vt & Sponſæ adſiſtit Pater CAROLVS, cognomento Bellicoſus, Burgundiæ Dux, Paludatus, & gemmato diademate comam vinctus. Celebratæ autem ſunt hæ Nuptiæ Gandaui ad XIII. Kal. Sept. Ann. M. CCCC. LXXVII.

In Tympano Faſtigij hæc Inſcriptio:

AVSTRIA SE QVANTIS ATTOLLET GLORIA REBVS
CONIVGIO TALI!

Nullum certè Connubium maiori Principum Procorum ſtudio ac prenſatione vmquam ambitum eſt. Adeoque Orbis vniuerſus ſuſpenſus erat,

——— *Quem tanta thori Fortuna maneret.* Claud.

Imprimis autem de LVDOVICI XI. Galliarum Regis, Filio, CAROLO, tum vix octennè (is eſt qui Rex eius nominis *Octauus* mox dictus) ſeriò agebatur. Sed à D. Haloiniâ, Matronâ Aulæ Burgundicæ primariâ, reſponſum eſt: MARIAE *Principi, non puero, ſed viro opus eſſe; cùm ipſa iam eius eſſet Ætatis, qua proli gignendæ eſt natura. Quæ vna res Patriæ neceſſaria, ſummiſq́, omnium votis expetenda, collapſam Remp. in priſtinum ſtatum reduceret.* Itaque Archidux MAXAEMILIANVS, FRID. IV. Aug. Filius, de cuius Heroicâ Indole multus erat hominum ſermo, & voto ipſius virginis, & procerum ſuffragio, aliis prælatus fuit: cui & ipſe Dux CAROLVS, virginis Parens, biennio ante obitum, in Caſtris ad Noueſium cum FRIDERICO congreſſus, eam deſponderat. vt teſtatur ipſe MAXAEMILIANVS AVG. in libris *De vitâ ſuâ.* Aſſeritque *fauiſſe ſibi tum, & poſteà quoque Fortunam, quòd Gallorum Rex, cuti illum Filio ſuo obtineret, nihil non & auro & ferro attentarit.* Atque ita Cæſareo Iuueni, *ad maiora nitenti, Matrimonium hoc Decus ac Robur fuit.* Tacit. Gerard. Roius annal. augſt. lib. XX. Pontus Heuter. lib. 1. rer. Belg. Roius annal. augſt. lib. XIII.

PILAE,

AVSTRIA IVNXISTI, BVRGVNDA ET BELGICA IVRA
MAXIME, PER THALAMOS ÆMILIANE, TVOS.

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

PILAE, quæ vtrimque sunt ad latus Tabulæ Nuptialis, CHERVBINOS AVREOS duos, Marem & Feminam, in Arcâ Fœderis expressos, referunt, per quos Coniugium denotari, Rabbini asserunt. Idemque censet B. Arias Montanus, Hispalensis, lib. de Noë. CHERVBINI. Exod. CXXV. & XXXVII.

In exteriori parte vtrimque SIRENES, virginum alatarum formâ sedent. Ante illas, LAMPADES accensæ, quòd in Nuptiarum solennibus IGNIS semper adhiberetur. Hinc Papinius Epithal. Stellæ: SIRENES. *Ignis in Nuptiis olim adhibitus.*

——quatiuntq́ nouenâ
LAMPADE, *solennem Thalamis cœuntibus* IGNEM.

Infrà, supra Portæ Mediæ fornicem, HYMENÆI, Nuptiarum Præsidis, statua est lapidea. Alatus est, calathiscum floribus plenum capite gestans: collo corollam roseam, dextrâ facem, sinistrâ Cornucopiæ. Quâ formâ in priscis statuis spectatur. De Face & Serto, Bion Idyllio in mortem Adonidis: HYMENÆVS. *Sertum & Fax eiusdem.*

Εὕδετε λαμπάδα πᾶσιν ὅτι φλὰξ Υμέναιος, Καὶ σέφος ὀξύτατος γαμίλιον. Extinxitq́, Faces HYMENÆVS *limine in ipso, Et sertum abiecit geniale.*

Supra Tabulam Nuptialem, duo CVPIDINES sunt cum facibus, geminum Amaltheæ cornu, fœcunditatis Symbolum, cum fructibus omnigenis, manu complexi. Inter illa, Orbicularis Tabella est, in quâ inscripta illa IVNONIS Gameliæ vox, apud Maron. l. Æneid. CVPIDINES.

PVLCHRA FACIET TE PROLE PARENTEM.

Ex hoc enim Connubio PHILIPPVS, cognomento PVLCHER, PRIMVS eius Nominis, Hispaniarum Rex, Belgarum Princeps, natus est. In Zophoro, hæc Epigraphe:

POTENTISSIMO ET INVICTISSIMO MONARCHÆ

PHILIPPO IV.

HISPANIARVM INDIARVMQVE REGI,

BELGARVM PRINCIPI, ETC.

PHILIPPI III. FIL.

PHILIPPI II. NEP.

IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. PRON.

PHILIPPI I. ABN.

IMP. CÆS. MAXÆMILIANI AVG. ADN.

PIO FEL. PATRI PATRIÆ:

ET

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

FRATRI EIVS VNICO,

S. R. E. CARD.

BELGAR. ET BVRGVND. GVBERNATORI AVSPICATISS.

PRO SALVTE ET PERENNITATE

AVGVSTÆ DOMVS AVSTRIÆ

VOTO SVSCEPTO,

ARCVM HVNC PHILIPPEVM,

DEVOTISSIMI OBSEQVII SVI MONVMENTVM,

INCREDIBILI LÆTITIA DEDICABAT

S. P. Q. ANTVERP.

O VOTA

VOTA huiusmodi olim publicè susceipi solita, è priscis Inscriptionibus constat: Inprimis ex illâ quæ exstat in Gallîa Nouempopulanâ, apud Lactoratenses: Gruter. pag. xxx. Iac. Scalig. Aquitan. Lellian. lib. 11. Cap. VII.

PRO SALVTE
IMP. CÆS. M. ANTONI GORDIANI, PII, FEL. AVG.
ET SABINÆ TRANQVILLINÆ AVG.
TOTIVSQVE DOMVS DIVINÆ.
TAVROPOL. FECIT ORDO LACTOR.

Itemque ex illâ quæ visitur in Lusitaniâ, ad montem Lunæ: Gruter. pag. xxxi.

PRO ÆTERNITATE IMPERII
ET SALVTE
IMP. CÆS. SEPTIMII SEVERI, AVG. PII,
DRVSVS VALERIVS COELIANVS P.

Plinius Paneg. Traiani Aug. *Nuncupare vota & pro* ÆTERNITATE IMPERII, *& pro* SALVTE CIVIVM: *immò pro* SALVTE PRINCIPVM, *ac propter illos, pro* ÆTERNITATE IMPERII, *solebamus.*

MAXIMILIANVS I. AVG. In Intercolumnio dextro primæ eleuationis, IMP. CÆS. MAXIMILIANVS I. AVG. sedet, dextrâ sceptrum, sinistrâ Orbem tenens. Epigraphe:

AVSTRIA IVNXISTI, BVRGVNDA ET BELGICA IVRA,
MAXIME, PER THALAMOS, ÆMILIANE, TVOS.

Incomparabilis Principis, MAXIMILIANI AVG. omniumque suæ Ætatis, dotatissimæ virginis connubio dignissimi, laudes velut compendio quodam expressit vir æui sui eruditissimus, *Hermolaus Barbarus*, Patricius Venetus, Reipub. suæ Legatus, Oratione gratulatoriâ, coram ipso MAXIMILIANO AVG. iam tum Romanorum Rege declarato, Brugis Flandrorum, habitâ, vbi his verbis ipsum affatur: *Hermolai Oratio exstat lib. XII. Epistol. ang Politiani.*

Eiusdem Elogium ex Hermolao Barbaro.

Eminent ac prælucent in vno Te, sed Inuene (mirum dictu) virtutes omnes Imperatoria, Iustitia, Liberalitas, Animi Magnitudo, Clementia, Placabilitas, Abstinentia voluptatum omnium: & (vt complectar vno verbo multa) quàm immaturum aui Te cernimus, tam maturum Imperij Te cognoscimus. Perspexit hanc Iudolu altitudinem CAROLVS, *Rex Belgarum, experientissimus belli Dux, & acerrimi vir ingenij: quâ vsqueadeò exarsit, vt nihil prius habere videretur, quàm vt vnicam sibi Filiam, virginem magnæ spei, feminam lectissimam, heredem multarum gentium nationumq, futuram, & omnino quam multi Reges appeterent, obseruarent, ambirent, Tibi vni fere puero, nec vxorio, nec quarenti, desponsare posset.*

Vndeuigesimo Ætatis tuæ anno, cum Princeps ille, cui mox adsciscendus gener erat, ab Leucis & Heluetiis interceptus esset, Soceri tui Regnum à Gallis occupatum ingressus, paruâ manu fusis & trucidatis ingentibus hostium copiis, Seruitute liberasti vxorem defuncti Ducis & Filiam: fortunatissimæ modo feminæ, tum miserrimæ & exangues, nec plus mœrore, quàm metu confectas, omni Diuinâ & Humanâ spe destitutas, erexisti, subleuasti, redemisti: vitam earum & Dignitatem & Pudicitiam conseruasti.

Hic Mater, hîc Prouincia, tanto & tam immortali beneficio deuincta, Virginem ope tuâ recreatam, Virtute tuâ defensam, tuis armis inimicorum ereptam Iniuria, desponsatam à Patre priùs animo, tunc certatim opere tibi collocant. Videlicet, vt eumdem generum & virum habeant, quem habebant & Assertorem & Vindicem.

Huc vsque *Hermolaus*: cuius elegantissimum locum hîc adscribendum iudicaui, quòd dignissimus esset non ibi tantùm legi. Plura de rarissimis huius Principis Virtutibus, rebusque gestis, diximus in Elogio ad statuam eiusdem, in *Porticu Cæsareo-Austriacâ.*

PHI-

PHILIPPVS I. Hiſpaniarum Rex, cognomento PVLCHER, Parenti ſuo MAXÆMILIANO AVG. adſtat proximus in podio, ſolenni Velleris Aurei Equitum habitu inſignis. Qui ordo à Proauo eius materno cognomine, PHILIPPO BONO, Burgundionum Duce potentiſsimo, ac præcipuo Principatus Belgij Vniti conditore, primùm eſt inſtitutus. Epigraphe: PHILIPPVS I. Hiſpaniarum Rex.

BELGICA ET HESPERIÆ SOCIAVIT IVRA CORONÆ.

Hic cùm dotalium Hiſpaniæ Regnorum gubernacula ingenti omnium ordinum gaudio ac ſtudio ſuſcepiſſet, maximamque de ſe ſpem concitaſſet, Fatorum Inuidia illum vixdum octauo & vigeſimo ætatis ſuæ anno exacto, præmaturâ morte ſuſtulit,

Maxim. *Vix deguſtatam rapiens ſub flore Iuuentam.*

Hiſpaniarum Regnis, ac Germaniæ vtrique, incredibile ſui deſiderium reliquit: & in primis Imp. Cæſ. MAXÆMILIANO Aug. parenti ſuo, à quo iam & Romanorum Rex, & in Imperio ſucceſſor, deſtinatus erat. Comitas, Liberalitas ac Affabilitas tanta in eo eluxit, vt *Amor ac Delicium Generis Humani*, vti olim Titus, dictus fuerit.

Franciſc. Guicciardinus lib. XVI. Hentr. lib. XI.

Bellum vnicum geſit aduerſus Carolum Egmondanum, Geldriæ Ducem, qui LVDOVICI XII. Francorum Regis, auxiliis ſubnixus, grauiſsimas Brabantiæ clades ac damna intulerat. Sed PHILIPPVS auſpiciis ac ductu ſuo, Arnhemio, Geldriæ metropoli, occupato, ad quaſcumque præſcripſit conditiones, Ducem ſupplicem adegit.

Guicciardin. ibid. Reim lib. XI. Hentr. lib. VI.

In Intercolumnio ſiniſtro Imp. Cæſ. CAROLVS V. Aug. PHILIPPI I. Hiſpaniarum Regis Filius, laureatus ſedet, dextrâ gladium, ſiniſtrâ Orbem geſtans. AQVILA paſsis alis ipſi ad pedes. Supra illum geminæ Columnæ Herculis, inter quas hæc Epigraphe: Imp. Cæſ. CAROLVS V. Aug. Hiſpaniar. & Indiarum Rex.

HESSVS, SAXO, TVIS CAPTI, GALLVSQVE TRIVMPHIS:
BISQVE TVVM FVGIENS SOLYMANNVS INHORRVIT ENSEM,
CAROLE: NVMQVAM AQVILAS GENS VLLA IMPVNE LACESSIT.

Maximus hic omnium ſæculorum Imperator, plurimas ex omni hoſtium genere victorias tantâ Felicitate retulit, *vt à nullo fere* CAROLVS *prouocatus bello fuerit, quem non modo victum, ſed (quod raro legitur) victum etiam, captiuumq; non viderit.* At quâ Felicitate hoſtes ſuos in Potestatem redegerat, eâ Clementiâ iis ignouit.

Ramus. Strada lib. I. de Bello Belg. 10.

Lubet inſuitatæ ac propè Diuinæ Moderationis animi & Pietatis, quæ in eo Principe effloruit, exemplum, è nobiliſsimo eius temporis Hiſtorico, Franciſco Guicciardino, Italo, hic referre: *Cùm capto ad Ticinum* FRANCISCO, *Galliarum Rege, omnium oculi in* CÆSAREM *intenti eſſent, quo pacto tantæ Victoriæ nuntium excepturus eſſet; nullam ille geſtientis Lætitiæ aut Inſolentiæ ſignificationem vllo dicto, aut geſtu elatiore prabuit: ſed, prohibitis etiam publicæ Lætitiæ ſignis, rectà in Templum, vt Deo ob clariſsimam illam victoriam gratias ageret, ſe contulit. Sequenti die* SS. EVCHARISTIÆ *Sacramentum ſumpſit, ſolenneſq; ſupplicationes indixit.*

Guicciardin. lib. XVI. Hiſtor. Italiæ.

Regum verò in Aula ſua Legatis gratulantibus reſpondit: *Pergratum ſibi inprimis eſſe eius Victoriæ nuntium, quòd tam illuſtri teſtimonio, Deum ſibi, rebuſq; ſuis propitium eſſe videret; tum, quòd ad Pacem & Tranquillitatem Orbi Terrarum reſtituendam, Bellumq; in Chriſtiani nominis hoſtes transferendum, occaſionem ſibi nunc datum iri ſperaret: quodq; maiorem de Amicis benemerendi, Inimicis verò ignoſcendi facultatem eſſet habiturus. Quamuis enim hanc Victoriam, propterea quòd nullus amicorum ſibi ad eam conſequendam, opem tuliſſet, totam ſibi iure vendicare poſſe videretur; velle tamen ſe eius fructum ad communia Orbis Chriſtiani commoda, & Tranquillitatem Publicam redundare.* O Mentis aureæ dictum bracteatum! O vocem eo Imperatore

Ibidem.

tore dignissimam, *in quo præcipuum Pietatis studium fuisse, postquam ad Imperium euectus est, citra adulationem dicere possumus: eoq; omnia fermè quæ ille Pace vel Bello fecit, referri debere:* vt totidem verbis de CAROLO V. Aug. pronuntiat supremæ Galliarum Curiæ Præses.

Iac. Aug. Thuanus Histor. lib. XXI.

In Clementiam eiusdem, nobile istud exstat Epigramma:

Quis Te VICTOREM *dicat, qui vinceris ipse*
Inuictus victo, CÆSAR, *ab hoste tuo?*
Si veniam victus petat hostis, protinus illi
Parcis, & admissi Te meminisse piget.
Non hostis, CÆSAR, *sed Te Clementia vincit*
Et Ratio, cùm sis victor & ipse Tui.
Vincere, laus ingens, hostes, & parcere victis
Gloria; sed sese vincere, maior erit.

Verè autem in eâ Oratione, quâ sui ipsius victor CÆSAR Imperio Regnisque suis se abdicauit, testatus est: *Non nisi inuitum coactumq; se Bella suscepisse: illata verò sibi fortiter propulsasse.* Bellis Gallicis non rarò vox eius audita est: *Si,* inquit, *vel vniuersam Galliam occupare mihi contingeret, eamdem tamen vltrò* FRANCISCO *Regi restituerem, modò id exiguum, quod meum est, tutò mihi per illum possidere liceat.* An non hunc tantum Principem, memorabile illud Imp. Cæs. *M. Aurelij Antonini Aug.* Monitum semper animo voluisse credas, quo Principum ille sapientissimus aduersus Ambitionem, & Dominandi libidinem, cottidie se munire solitus? Πυνθάνεσθαι ἑαυτοῦ εὐθὺς ἐξ ὕπνου γενόμενον, μήτι διοίσει σοι, ἐὰν ὑπὸ ἄλλου γίνηται τὰ Δίκαια, καὶ καλῶς ἔχοντα; οὐ διοίσει. Id est: *Interroga ex teipso, statim à somno expergefactus, num tua intersit, si quæ Iusta sunt, & rectè habent, sub aliorum sint Potestate? Nihil interest.*

Io. Ant. Viperanus Orat. Funebr. CAROLI V. Aug. *Chytræus* Chron. Saxon. lib. XIX. *Imp. Cæs. M. Aur. Antonin.* lib. X. *τῶν εἰς ἑαυτόν.*

PHILIPPVS II. Hispaniarum & Indiarum Rex.

PHILIPPVS II. Hispaniarum Indiarumque Rex, ad latus Parentis sui, IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. in Podio adstat. Epigraphe:

EOVM HESPERIIS ADIVNXIT GADIBVS ORBEM.

Non immeritò, Diuinarum Humanarumque litterarum Princeps VRBANVS VIII. Pont. Max. in cælesti illâ Ode, quâ Hispaniæ columen, DIVVM LAVRENTIVM, Protomartyrem, inuictumque CHRISTI Athletam, longè elegantiùs, quàm suos Olympionicas Pindarus celebrat, inter alia,

——*Triumphos* CAROLI,
Ac temperatis viuidum
Consiliis animum PHILIPPI,

Maphæus Cardin. Barberinus, nunc VRBANVS PP. VIII. in Poëmatib.

extollit & deprædicat. Hîc enim ille est, qui LVSITANIÆ Regnum, quingentis penè annis à reliquo HISPANIÆ corpore auulsum, successionis iure sibi debitum, perduellium quorumdam factione refragari ausum, tum moderatis Prudentiæ suæ consiliis (nam Ius suum à grauissimis Theologis & Iureconsultis sedulò examinari antè iusserat) tum armis, CASTELLÆ Regno connexuit: vnaque INDIÆ ORIENTALIS disiunctissimos tractus, Lusitanorum classibus quondam occupatos, ditioni suæ adiunxit, ac æternis commeatibus, Fideique Christianæ lumine illato, Orientem Occidentemque, velut Herculeo lapide, colligauit. Ita sub hoc Rege, in immensum

I. Lips. Exempl. Polit. lib. II. cap. III.

——AVSTRIÆ
Creuère vires, Famaq; & IMPERI
Porrecta Maiestas AD ORTVM
SOLIS, AB HESPERIO CVBILI.

Horat.

De

De PHILIPPO Macedone, qui primus omnium Regum eius gentis, vniuersâ Græciâ subactâ, Macedoniæ Regnum ad summam Potentiam euexit, istud est Epigramma Alcæi Messenij: Antholog. lib. 1. cap. v.

Μάκυνε τείχη, Ζεῦ Ὀλύμπιε· ῥέξε Φίλιππος
Ἀμβατά. χαλκείας κλεῖε πύλας μακάρων.
Καὶ γὰρ χθὼν καὶ πόντος ὑπὸ σκάπτροισι Φιλίππου
Δέδμηται, λοιπὰ δ᾽ ἁ πρὸς Ὄλυμπον ὁδός.

Id est:

IVPPITER, *attollas tua Mœnia: quippe* PHILIPPO
Ænea Cælicolûm peruia claustra patent.
Iam Mare, iam Tellus Regis sub Sceptra PHILIPPI
Cesserunt: superest nunc ad Olympon iter.

Apud Pontum Heuter. in Reb. Belg. Quò allusisse videtur Guliel. Cripius, Gelriæ Cancellarius, in Elegiâ suâ de Familiâ AVSTRIACA, vbi de PHILIPPO II. agit:

Mœnia, quàm benè habet, cæli quòd dissita longè,
Nec volucres possint astra subire rates:
In cæli tutus staret vix Iuppiter Arce,
Forsitan & Regni pars quoque capta foret;
Regia ni Pietas audacia comprimat arma,
Atque piâ doceat mente timere Deos.

Ad dextrum Portæ latus, stat PHILIPPVS III. Hispaniarum Indiarumque Rex, PHILIPPI II. Filius. Epigraphe: PHILIPPVS III. *Hispaniarum & Indiarum Rex.*

MAVRVM RELLIQVIAS HISPANIS EXPVLIT ORIS.

In hoc Principe Mansuetudo, Pietas, & singulare auitæ Religionis Studium enituit. Sub illo Granatensium Maurorum conspiratio erupit, qui variis per Hispaniam prouinciis locisque dispersi, in totius Regni perniciem & interitum, (Turcarum Tyranno in auxilium adscito) coniurauerant. Sed eorum conatus, prauaque molimina feliciter à Rege oppressa sunt. Habitis enim priùs auditisque super eâ re doctissimorum Theologorum & Iurisperitorum consiliis, supra sexcenta Maurorum millia in vicinam Mauritaniam, vnde olim venerant, expulit. Atque hoc modo ab exitiali gentis nefariæ colluuie Hispaniam liberauit. Sed & Africæ claustra, *Larachiam, Mamorramque*, munitissimas piratarum stationes, aliis ante se Regibus frustrà tentatas, ditioni suæ feliciter adiecit. *Anton. Vasconcellius lib. de Regib. Lusitan.*

Alterum Portæ latus ornat PHILIPPVS IV. Hispaniarum Indiarumque Rex, PHILIPPI III. Filius. Epigraphe: PHILIPPVS IV. *Hispaniarum & Indiarum Rex.*

LATIVS AVRORÆ DOMINANS SOLISQVE CVBILI.

Superi Te sospitent,

Horat. ——*O, quà Sol habitabiles*
Illustrat oras, MAXIME PRINCIPVM:

qui Cælesti præcellentium Virtutum concursu, Diuinam Parentis Tui, PHILIPPI III. Mansuetudinem, Clementiam & Pietatem; Aui, PHILIPPI II. Prudentiam incomparabilem; Proaui, Imp. Cæs. CAROLI V. Aug. Fortitudinem & summam Felici-

tatem solus complecteris. Vnde meritò MAXIMI cognomentum, Orbis Terrarum consensu, Tibi collatum est. Enimuerò

HERCVLEAS *Prouius potuit transcendere* METAS;
BACCHÆAS *superauit Auus*; MAVRVSIA *late*
Agmina disiecit Genitor; *Tibi debent Orbis*
HÆRESEOS *fractam Rabiem, assertoq; Parentum*
Imperio, Rex Magne, sacros ex hoste Triumphos.

Etenim, illa Augustæ Domus Tuæ superba incunabulis, nobilitata Imperiis, Virtute seruata GERMANIA, Barbarorum velut Diluuio quodam oppressa; Tuis potissimùm felicissimis Auspiciis,

Te Copiæ, Te Consilium & Tuos Horat.
Prabente Diuos;

represis Barbarorum irruptionibus, denuò in libertatem asserta respirat: & CÆSAREA AVSTRIACÆ DOMVS Maiestas aduersus conspirantium vndique gentium, & totius Septemtrionis excitam sedibus suis molem, perstat inconcussa,

——*velut altus Olympi* Claud.
Vertex, qui ßatio Ventos Hiemesq; relinquit,
Perpetuum nullâ temeratus nube serenum,
Celsior exsurgit pluuiis, nudiq; ruentes
Sub pedibus Nimbos, & rauca Tonitrua calcat.

AR-



Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

DOTALES GEMINIS MVNDI DE FINIBVS INDOS
AVSTRIADVM DOMVS AVSPICIIS SORTITA ELCVNDIS;
SPARSAQ. REGNA TENENS PARITER CVM LVMINE, SOLIS,
MITIBVS ÆQVA REGIT FAMVLANTEM LEGIBVS ORBEM.
ALTIVS INVIDIA SCEPTRVM HOC, CVNCTISQ. VERENDVM
HOSTIBVS, ET PATRIO MAIESTAS PROXIMA CÆLO,
MAGNE PHILIPPE, TVA PERPES IN STIRPE PERENNET.

ARCVS PHILIPPEI

FACIES POSTERIOR

ARCVS ista facies, eiusdem cum anteriori Architecturæ & magnitudinis, *Meram* vicum respiciens, repræsentabat MONARCHIAM AVSTRIACAM, dotalium HISPANIAE Regnorum accessione in immensum auctam, per Matrimonium PHILIPPI, cognomento PVLCHRI, Imp. Cæs. MAXÆMILIANI AVG. Filij, Belgarum Principis, cum IOANNA, FERDINANDI & ISABELLÆ, Catholicorum Castellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Regum, Filiâ. Quorum posteris vastissima INDIAE vtriusque Regna deinceps obtigerunt.

In Tabulâ Mediâ stat PHILIPPVS, Archidux, Sponsam suam IOANNAM, Regali pallâ indutam, dextrâ complexus. IVNO Pronuba Orbem vtrâque manu tenens, HISPANIÆ Regnum Sponso ostentat, ad illum suo tempore peruenturum. Id innuit CRONVS adstans, alatus, & falcem premens. Iuxta Sponsam CYBELE est, Turrita, Deorum Mater, cui LEO ad latus. HYMENÆVS infrà stat, facem attollens. In Zophoro hæc Inscriptio: TABVLA Media.

DOTALES GEMINIS MVNDI DE FINIBVS INDOS
AVSTRIADVM DOMVS AVSPICIIS SORTITA SECVNDIS:
SPARSAQVE REGNA TENENS PARITER CVM LVMINE SOLIS,
MITIBVS ÆQVA REGIT FAMVLANTEM LEGIBVS ORBEM.
ALTIVS INVIDIA SCEPTRVM HOC, CVNCTISQVE VERENDVM
HOSTIBVS, ET PATRIO MAIESTAS PROXIMA CÆLO,
MAGNE PHILIPPE, TVA PERPES IN STIRPE PERENNET.

Hauter. lib. 4. Rerum Belg. Francis. Haræus Tom. II. Annal. Belg. IOANNA, Hispaniarum Infans, centum & triginta quinque nauium classe, ex Hispaniâ in Belgium appulit anno M. CCCC. XCVI. ad diem XII. Kal. Octob. Ac militibus, sociisque naualibus in Walachriâ, Zelandiæ Insulâ, ad classem manere iussis, ANTVERPIAM ipsa, cum præcipuâ Nobilitate accessit, & summo cum honore, ingentique omnium nationum pompâ, recepta est. PHILIPPVS ARCHIDVX vix è Germaniâ reuersus, Sponsam suam Antuerpiâ venientem, Liræ, territorij Antuerpiensis oppido, excepit, ac ibidem Kal. Nouemb. eiusdem anni, in vxorem duxit. IOANNÆ Hispaniarum Infantis in Belgium aduentus.

CRONVS Deus in Tabulâ expressus, SATVRNVS est, Temporum Pater, ideoque à Græcis ΚΡΟΝΟΣ, quasi ΧΡΟΝΟΣ, immutatâ litterâ, dictus, teste Macrobio lib. I. Saturnal. cap. XXII. & M. Tullio lib. II. De Naturâ Deorum. Merito autem CRONVS velut Fidei CRONVS.

Vinant. Santinel. De vitâ CAROLI V. AVG. lib. I. cap. III. iussor in Tabulâ appictus est, vt designetur, non in præsens PHILIPPO Archiduci Regnum Hispaniarum conferri, sed suo Tempore. Nempe IOANNE, FERDINANDI Regis Filio, & MICHAELE, Nepote, priùs vitâ functis, quod paucis post hoc connubium annis contigit. Falcem Cronus gestat, quòd Tempus omnia demetat, sternatque.

Euripides in hunc ſenſum:

——ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν.

——*Vita omnibus*
Metenda, vt fruges. Sic iubet Neceſſitas.

vt interpretatur M. Tullius Tuſculanar. lib. III.

CYBELE. CYBELE priſcis Μεγάλη Μήτηρ, καὶ Θεῶν Μήτηρ, *Magna Mater, & Mater Deorum* dicta. Orpheus in Hymnis:

Μήτηρ μὲν τε Θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Hæc vna eſt Materq; hominum, Materq; Deorum.

Videre eſt CYBELEN ſedentem inter duos Leones, dextrâ pini ramum, ſiniſtrâ haſtam puram, tenentem, ac Tympano innixam, in Numis *Iulia Pia* & *Fauſtina*, Augg. apud Anton. Auguſtinum, Archiepiſcopum Tarraconenſem, Dialogo v. Antiquitatum Rom.

Cur eadem Turrita? Cur TVRRITA, & cum LEONE ad latus, fingatur CYBELE, rationem reddit Varro apud Auguſtin. VII. De Ciuit. Dei, cap. XXIV. *Tellurem*, inquit, *eamdem dicunt Magnam Matrem: quòd Tympanum habeat; ſignificari, eſſe Orbem Terræ: quòd Turres in capite; Oppida: quòd Sedes fingatur circa eam; cùm omnia moueantur, ipſam non moueri.* Et mox: LEONEM, inquit, *adiungunt ſolutum ac manſuefactum, vt oſtendant, eſſe nullum genus Terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non ſubigi coliq; conueniat.*

Iugum Aureum. Supra Tabulam IVGVM AVREVM Coniugale expreſſum eſt, cui inſcriptum illud Maronis:

IVNONE SECVNDA.

De illo IVGO idem Maro lib. IV.

IVNONI *ante omnes, cui* VINCLA IVGALIA *curæ.*

Et ibidem:

Ne cui me VINCLO *vellem ſociare* IVGALI.

Quo loco Seruius: IVGALI, inquit, *propter* IVGVM *quod imponebatur Matrimonio coniungendis.*

IVGO geminæ inſident COLVMBÆ, Coniugij Symbolum. Addita eſt CORONA è floribus contexta, Sponſo olim offerri ſolita. Adſunt & FACES NVPTIALES. Claudianus:

Tu feſtas, Hymenæe, FACES, *tu Gratia* FLORES
Elige: tu geminas Concordia necte CORONAS.

De his omnibus videndus Barn. Briſſonius lib. ſingulari de ritu Nuptiarum.

Ad Pilas laterales, inde COR ARDENS, inde DEXTRAE GEMINAE, ſerto circumdatæ, Concordiam, Fidemque coniugalem denotant.

Copiæcornu geminum. Sub ipsâ Tabulâ in Zophoro, geminum COPIAE CORNV hinc inde ſpectatur, quo Coniugij huius Fœcunditas, ac natorum inde Auguſtiſsimorum Liberorum fructus deſignantur. Ex vno, Mares duo, CAROLVS & FERDINANDVS, Cæſares; ex altero Femellæ qua-

quatuor, Reginæ omnes, eminent. Nempe HELEONORA, Lusitaniæ primùm, mox Galliæ; CATHARINA, item Lusitaniæ; ISABELLA, Daniæ; MARIA, Hungariæ, Regibus, raro Felicitatis exemplo, nuptæ. Sic in Numo *Drusi*, Tiberij Aug. filij, expressa sunt in duplici cornucopiæ bina puerorum, eius liberorũ, capita, medio caduceo. Itemq; in alio, qui penes me est, *Titi Antonini Aug.* Numo, cum Inscriptione: TEMPORVM FELICITAS.

a Tertull. a Suetonium. Calig. cap. xiv. b Choul. pag. 124.

Ad vtrumque Tabulæ latus, gemini TRITONES Delphinis insident, Coniugiumque hoc splendidissimum buccinis promulgant. De illis ita Macrob. TRITONES *cum Buccinis fastigio Saturni edis superimpositi sunt, quoniam ab eius cõmemoratione ad nostram ætatẽ Historia elata & quasi vocalis est.* TRITONES. Lib. I. Saturn. c. VIII.

DELPHINI vtrimque, Maris vtriusque imperium, Orientalis & Occidentalis, denotant. DELPHIN enim ceterorum piscium quodammodo Rex est. Vnde Oppianus lib. II. de Piscatu, sic canit: DELPHINI.

Δελφινες σ' ἀγλαον ἀλὸς μέγα κοιρανίουσιν,
Ἐξοχα ποφίῃ τε καὶ ἀγλαίῃ κομόωντες,
Γιγνῆτ' ὠκυάλῳ. διὰ γὰρ βέλος ὠκὺ θάλασσαν
Ἵπανται, φλογόεντι σέλας πίμπουσιν ὀπωπαῖς
Ὀξύτατον, καί που τὺ ὑπαπτήσσοντα χαράδευσε,
Καί τιν' ὑπὸ ψαμάθοις αἰνομόρῳ ἐδέγμενον ἰχθύι.
Ὅσσον γὰρ κούφοισι μετ' οἰωνοῖσιν ἄνακτες
Αἰεῖδι, ἢ θήρεσσι μετ' ὠμηστῆσι λέοντες,
Ὅσσον ἀερσιβίοισιν ὑφ' ἑρπετῶσι δράκοντες,
Τόσσον καὶ Δελφινες ὑπ' ἰχθύσιν ἠγεμονῆες.

Id est, Laurentio Lippio Interprete:

DELPHINES *regnant ponto, gentesq; natantûm*
Imperio sceptrisq;, regunt, & robore præstant,
Ac formâ, ac volucri nimium se corpore iactant,
Et saliunt, veluti neruis excussa sagitta:
Ardentem emittunt flammam, splendore micantem,
Ex oculo, tenuem visu, si forte timentes
Aspiciant lustru pisces, fabulosq; latentes.
Est inter pictus quantùm Regina Volucres
Magna Tonantis Anis; vel quantùm dira ferarum
Agmina magnanimi ducunt Virtute Leones;
Squammigeri quantùm regnant, præstantq; Dracones
Inter Serpentes; tantùm sua regna gubernant
DELPHINES, *liquidis tantùm dominantur in vndis.*

Extat vetus Numus, SEGOBRICÆ, Hispaniæ Tarraconensis vrbe, cuius, in quo AVGVSTI caput cernitur, medium inter DELPHINVM & SPICAM. Et per DELPHINVM quidem, Maris; per SPICAM, Terræ imperium designari, censet vir maximus, Ant. Augustinus, Antiquitat. Romanarum & Hispan. Dialog. VII.

Hieronymus quoque Aleander in explicatione Tabulæ Heliacæ, adfert gemmam antiquam, in quâ expressus hinc DELPHIN, inde CORNVCOPIÆ, cum fructibus omnigenis. In medio, Caduceus Mercurij, in clauam Herculis desinens, Palmâ hinc inde eminente:

In elegantissimâ eâ gemmâ, per DELPHINVM, Maris; per FRVCTVS qui in Cornucopiæ, Terræ imperium, vt in Segobricensi Numo, designatur: illudque tam Mercurij eloquio, quàm armis Herculeis parari & seruari. Est & elegans Palladæ Epigramma in Cupidinis statuam:

Οὐδὲ μάτ'ὼ παλάμαις κατέχυτο Δελφὶς καὶ Ἄνθος·
Τῇ μὲν γὰρ Γαίαις, τῇδὲ Θαλάσσαις ἶσα. Antholog. lib. IV.

Quod sic vertimus:

Altera DELPHINVM *gestat manu, altera* FLORES:
Quippe SOLO *pariter iura dat atque* SALO.

Supra Portæ fornicem HYMENÆVS est, eâ formâ quâ in anteriori facie.

MONARCHIA AVSTRIACA. In summo Arcus culmine MONARCHIA AVSTRIACA sedet. Augustæ Heroinæ habitu, cui Bonus GENIVS, alatus, in genu procumbens, GLOBVM TERRESTREM offert. Illa sceptrum CRVCE insignitum Globo dextrâ infigit: alterâ manu Caduceum tenet, Spicas & Papauera. ZODIACVS Monarchiam Austriacam ambit. HESPERVS, supra verticem eiusdem Monarchiæ in medio Zodiaci, radios quàm latissimè diffundit.

SOL ORIENS. A dextrâ eius parte, SOL ORIENS Laureatus, Orbem radiatum alterâ manu gestans: vexillum alterâ, cum Insignibus LVSITANIÆ.

INDIA ORIENTALIS. Assidet illi INDIA ORIENTALIS, caput, collum, brachia gemmis onerata, Cornucopiæ aromatibus & vnionibus plenum complectens.

LVNA. A sinistrâ, LVNA, Orbem crescentem præferens, & vexillum cum Insignibus Regni CASTELLÆ.

INDIA OCCIDENTALIS. Huic assidet INDIA OCCIDENTALIS pennis versicoloribus in vertice ornata, annulum ingentem ex aure (more Gentis) suspensum gerens, aureos Numos è Cornucopiæ largiter effundens. Symbola porrò ista obiter illustranda.

VEGENIVS Globum Terrestrem MONARCHIAE HISPANICAE offert, sic in aureis *Titi & Neruæ* Augg. Numismatibus, PROVIDENTIA spectatur, quæ Orbem Terrarum illis tradit. Pulcherrimum autem Numisma exstat *Imp. Cæs. M. Iul. Philippi Aug.* in quo conspicitur GENIVS Pop. Rom. qui similiter Orbem Terrarum PHILIPPO AVG. in manus porrigit, cum Inscriptione: FELICITATI POP. ROM.

a Croyius. Tab. XXVIII. & ibid. Tabul. XXXIII. & Erizzo pag. 314.

Hunc

Hunc verò PHILIPPVM AVG. primum omnium Impp. Romanor. Christianis sacris addictum fuisse, ex Eusebio & Orosio iam suprà retulimus.

SCEPTRVM CRVCE insignitum, ORBI que infixum, denotat Catholicos Hispaniæ Reges, CRVCE AVSPICE, vastissima Indiarum Regna ad verum CHRISTI cultum adduxisse. *Imp. Cæs. Theodosius Magnus*, gente Hispanus, Princeps religiosissimus, ORBI seu GLOBO, Cæsarum manibus gestari solito, primus CRVCEM infigi curauit. vt apparet ex eius Numo aureo, in quo Roma noua, seu Constantinopolis, galeata sedet, dextrâ Orbem, cui Crux infixa, gestans. *Crvx orbi infixa.*

Croyiac. Minor. Tab. LIX.

Suidas, voce Iustinian. Procop. de Ædificiis Iustin. Aug.

Sic quoque *Imp. Cæs. Iustinianus Magnus* (Suidâ teste) Ἔστησε τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐπὶ κίονος ἐφ' ἵππου. Καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος τοῦ σταυροῦ ἐν αὐτῇ ὑποσημαίνοντος, ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως, τῆς γῆς ἐγκρατὴς γέγονε. Σφαῖρα μὲν γὰρ ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος· Πίστις δὲ ὁ Σταυρὸς, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ σαρκὶ προσηλωθέντα Θεόν. *Equestrem sibi statuam in columnâ posuit, quæ sinistrâ manu fert* GLOBVM, CRVCE *in eo infixâ: significante, quòd per Fidem in* CRVCEM, *Terræ Dominus sit factus. Globus enim Terra est, ob eius rotundam formam: Fides verò est* CRVX, *quòd in illâ Deus humanâ carne assumptâ, suffixus esset.*

Ab horum laudatissimorum Impp. exemplo non degenerans RODOLPHVS I. cognomento *Magnus*, Gentis Austriacæ conditor, CRVCEM vice Sceptri coluit. Qua de re infrà latiùs in eius Elogio. Et anno superioris sæculi primo, cùm *Petrus Aluarus Capralis*, Auspiciis EMANVELIS, Lusitaniæ Regis, in Indiam Orientalem tendens, tempestate actus, ad Brasiliæ littora, ab Anthropophagis habitata, primus mortalium ex Europâ appulisset, columnam marmoream, cui CRVX erat incisa, ibidem collocari iussit, totamque eam Regionem *Terram sanctæ* CRVCIS indigetauit, Osorio teste. *Osorius lib. II. de Reb. Eman.*

CADVCEVM, SPICAS & PAPAVERA alterâ manu MONARCHIA AVSTRIACA tenet. CADVCEVS Pacis studium; SPICÆ, Annonæ Abundantiam; PAPAVERA, Securitatem denotant. In Numo *M. Antonij*, tria hæc Symbola simul iuncta conspiciuntur. *Caduceus, Spicæ, Papauer.* Croyiac. Tab. VII.

Per HESPERVM, stellarum maximam, designatur HESPERIA, siue Hispania. Homerus: HESPERVS.

Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.
HESPERVS, *in cælo radiis qui sidera vincit.*

Siue, (vt Catullus ait:)

HESPERE, *qui cælo lucet iucundior ignis?*

Pulcherrimè autem eamdem Stellam describit Papinius VI. Thebaidos:

Sic vbi tranquillo pellucent SIDERA *ponto,*
Vibraturq́; fretis cæli stellantis Imago,
Omnia clara nitent; sed CLARIOR OMNIA SVPRA
HESPERVS *exercet radios. Quantusq́; per altum*
ÆTHERA, *cæruleis tantus monstratur in vndis.*

Isidorus Hispalensium Præsul, Originum lib. III. HESPERVS, *Stella Occidentalis, quam cognominatam perhibent ab* HESPERO, *Rege Hispaniæ.*

T Per

ZODIACVS. Per circulum ZODIACI, Magnitudo MONARCHIÆ AVSTRIACÆ designatur, eiusque Æternitas. Sic in Numo aureo *Hadriani Aug.* conspicitur Figura gradiens per Zodiacum, sinistrâ Globum tenens, cui insistit PHOENIX, Æternitatis Symbolum, cum Inscriptione: SÆCVLVM AVREVM. Ectypon eius hic subiunxi ex Musæo Rubeniano:

Vide Occonem.

Talis etiam exstat Imp. Cæs. *M. Iul. Philippi Aug.* apud Occonem Numus, in quo Virgunculæ habitu stat ÆTERNITAS, dextrâ tenens Globum, cui PHOENIX insidet. In Numo quoque *Alexandri Seueri Aug.* apud Choulium, itemque in Numo *Valeriani Aug.* & *Iuliæ Mæsæ*, ZODIACVS est expressus. vt videre est apud Octau. Stradam lib. de Vitis Impp.

SOL & LVNA Amplitudinem MONARCHIÆ AVSTRIACÆ denotant, quòd sidera illa immensa Terrarum spatia, Hispaniæ ditioni subdita, assiduis cursibus permeant, nec vmquam ab iis declinent.

SOL & LVNA Æternitatis Symbola. Eadem quoque Sidera, ÆTERNITATEM designant. Sic in Numis *Vespasiani* & *Traiani* *in numis. Dialog. 11.* *Aug.* figura stolata conspicitur, dextrâ caput SOLIS radiatum; sinistrâ gestans LVNÆ crescentis cornua, cum Inscriptione: ÆTERNITATI AVG. Et hoc quidem ex disciplinâ Ægyptiorum, qui illa sidera Æterna esse asserebant. Horus Apollo: Αἰῶνα σημαίνοντες, Ἥλιον καὶ Σελήνην γεγραφασι, διὰ τὸ Αἰῶνα ἀϊδιον εἶναι. *Ævvm designantes*, SOLEM & LVNAM *pingunt, quòd hæc Æterna sint Elementa.* Huc quoque respexit Martialis, de Templo Flauiæ gentis agens: Lib. XI. Epigr. 1.

Manebit altum FLAVIÆ *Deum* GENTIS
Cum SOLE & ASTRIS, *cum*, *Luce Romana*.

Numos hic apponi curaui.

Crop. ac Tab. XXVII. & Tab. XXXVII.

In Tympano fastigij, sub MONARCHIA AVSTRIACA, hæc Inscriptio:

HIS EGO NEC METAS RERVM, NEC TEMPORA PONO:
IMPERIVM SINE FINE DEDI.

Verba hæc sunt Iouis apud Maronem l. 1. Æneid. quibus Veneri de Æneæ sui fatis sollicitæ, Imperium, vt Terrarum metis & spatiis, ita Tempore infinitum pollicetur. Id autem longè verius de MONARCHIA AVSTRIACA efferri potest, quam omnibus, quotquot ab Orbe condito floruêre, vastissimis Regnis & Imperiis maiorem longè & latiorem, statuit singularis vir eruditionis, Iustus Lipsius, vbi PHILIPPVM III. Hispaniarum & Indiarum Principem, PHILIPPI II. Filium, sic affatur: *Nil blandimur Tibi: nec publice locus est, aut gratiæ: sed ab* ORBE CONDITO *non fuit, qui* MAIOR *in* REAVE SPE *fuerit, quàm Te Fata videntur destinasse. Præsertim diu* MAXIMVS REGVM, *Pater Tuus, tot Regnis. In* VTROQVE ORBE *iura reddit,* VETERI & NOVO. I. Lips. Prælect. Militiæ Romanæ.

Atque

Atque ecce, nouam ad Potentiam Fortuna viam nuper aperuit, adiectâ LVSITANIA: *quæ sola adhuc lacinia deerat pulcherrimæ & solidæ* HISPANIARVM *Purpuræ. Adnexa est: & vnà cum ea* AFRICÆ & ASIÆ *Portui nata Insula, id est Claustra vtraque editus, quibus ipsas illas inuadatis, & totas subiiciatis in leges & Iura vestra.* PIETAS *tamdiu huc vocat, &* RELIGIO: *sed recentior etiam Iniuria, quam immanis illic Hostis* AVSTRIACIS *Tuis infert, factus & solens violare, rapere, Regna Regnis adiicere, nullo nisi Armorum iure.* Ita Lipsius.

Vberiùs autem & pleniùs, HISPANICI IMPERII Amplitudinem describit, eamdemque priscis ROMANORVM & MACEDONVM vastissimis Imperiis, Gentibusque omnibus hodie quàm latissimè dominantibus, longè antistare asserit vir celeberrimi nominis, versibus hisce luculentis:

H. Grotius In Poëm. lib. 11. Siluar.

— Vbi LAVRENTES *aduexit cominus* ARCES,
Magnum Regu opus, solio sublime sedentem
Conspicit in multa gemmarum luce PHILIPPVM.
Centum illinc populi centum responsa petebant:
Hinc quibus ÆTNÆAS *datur adspectare* FAVILLAS,
Et quos SIRENVM *mittit Domus; inde superbus*
INSVBER, *& rapida tortor* BALEARIS *habena,*
Et quas tot titulis distinguit IBERIA *Gentes:*
Et LIBYS, *& primi mirator luminis* INDVS:
Ignotisq; nuium velat quæ corpora pennis
MEXICA, *vel fului dines* PERVANA *metalli.*
Inq; NOTOS vergens alius quos deficit Axis.
Non tot continuit ROMANA POTENTIA *Terras*
Tunc cum summa fuit. Nec ad hæc fastigia rerum
Sub Duce Pellæo MACETVM *venere Sarissæ.*
Nunc quoque BISTONII *quamuis sint vasta* TYRANNI
Regna, nec exiguo claudatur limite PARTHVS;
Et latè gelidi glacialia Littora Ponti
SARMATA *possideat; plausterisq; vagantibus exul*
Mutet sæpe domos SCYTHICORVM *Rector equorum;*
Multaq; perpetuo defendat millia muro
SINARVM *Dominus; vix & sua nouerit arua*
Qui regit ÆTHIOPAS, *damnatum Solibus orbem;*
HESPERIIS NEMO REGNORVM FINIBVS EXIT
LONGIVS.

Bodin. lib. 1. cap. 11. de Republicâ.

Hactenus ille. At verò, iuxta Ioan. Bodini Andegauensis, Galli, sententiam, *Latitudo Terrarum Catholico Hispaniarum Regi subiectarum,* DECIES *excedit* TVRCICI IMPERII *dimensionem.* Scribebat hæc Bodinus, antequam LVSITANIA, & cum illâ, ORIENTALIS INDIA, Insulæque innumeræ, Regi Catholico accessissent. Nam post istam Regnorum accessionem (si rectè

Cesare Turrian. lib. 1. de Ecclesiæ Pontificis. cap. 11. Hispanarum Regis.

calculum ponat Ceuera Turrianus) Imperium Hispanicum VIGESIES maius factum, quàm fuerit Romanorum. Eius verba sunt: ROMANI *Imperatores, quorum Dominatio latius protecta est, quàm cuiusquam alterius antecedentium Chaldæorum, Assyriorum, Persarum, Medorum, vel etiam Græcorum (teste Dionysio Halicarnassæo) tertiam tamen Europæ partem integram non possederunt. Non item Africæ quartem, aut quadragesimam Asiæ. Nullam verò Americæ & Insularum Occidentalium, Insularumq; Oceani*

Meridionalis, vti neque Indiarum Orientalium. Quòd si quis iam Terrarum Orbem diligentiùs contempletur, diuidatq́; in partes æquales, vt facere solent Cosmographi; reperiet imperium Regis Hispaniæ PARTE VIGESIMA *maius, quàm fuerit* ROMANORVM. Hæc Turrianus. Atque hinc est, quòd Lud. Tribaldus Toletus in Epæneſi Ibericâ, HISPANIAM sic compellat:

BIS DECIES *Sceptrum, superant tua Sceptra,* QVIRITVM,
Latius è Latio fulsit vbi Hesperio.
Perq́, tot ingentes tractus Terrasq́, Mariſq́,
CHRISTIFERÆ *ostentas candida signa* CRVCIS.
Salue igitur, Rerum Columen, Regina: Decusq́,
PERPETVVM *hoc, Superùm Rex velit esse Tibi.*

Porrò de Latitudine MONARCHIAE HISPANICAE fusiùs tractant Thomas Bozius, Philippus Honorius, Gregorius Lopez Madera, Iacob. Valdesius, Boterus, aliique.

FERDINANDVS *Hispaniarum Rex.* In Intercolumnio dextro, primæ eleuationis, ſtat FERDINANDVS ARAGONIVS, Hiſpaniarum Rex Catholicus, à quo prima MONARCHIAE HISPANICAE fundamenta iacta ſunt: Heros Prudentiâ, Conſilio, Induſtriâ, & Felicitate ſpectatiſsimus. Qui continuo victoriarum vſus curſu, Mauros ex Bæticâ Regione, quam magno Chriſtianorum Principum opprobrio, octingentos propè annos tenuerant, expulit. Mox Neapolis quoque, & Nauarræ Regna ſuo adiecit Imperio. Epigraphe:

VINDICE ME, PVLSIS EXVLTAT IBERIA MAVRIS:
PARTHENOPES DOMVI POPVLOS, ATQVE APPVLA RVRA,
VASCONIÆQVE SIMVL SALTVS, CELSAMQVE PYRENEN.

ISABELLA *Hiſpaniarum Regina.* In Intercolumnio ſiniſtro ſpectatur ISABELLA, IOANNIS II. Caſtellæ & Legionis, Regis, Filia, FERDINANDI Catholici vxor, ORBEM NOVVM manu complexa. Hæc enim eſt illa Heroina, nulli veterum cedens, quæ Chriſtophoro Columbo, Liguri, alterius, & nullis antè ſæculis cogniti Terrarum Orbis, à ſe detegendi, certam ſpem facienti, armatam claſſem ſuppeditauit, cùm FERDINANDVS Rex, eius maritus, cunctantior & timidior eâ in re videretur. Atque ita ad aurifera Mexicanorum & Perûanorum Regna, ab aliis mox detecta, pulſiſque Idololatriæ tenebris, diuino Fidei lumine illuſtrata, aditum patefecit. Epigraphe:

ME CVRANTE NOVOS DETEXIT IBERIA MVNDOS:
VERAQVE BARBARICIS OSTENDENS NVMINA TERRIS,
MEXICA CASTELLÆ IVNXIT, PERUANAQVE SCEPTRA.

ERNESTVS *Archidux Auſtriæ.* Paullò infrà, in eodem Intercolumnio ſtat ERNESTVS, Imp. Cæſ. MAXÆMILIANI II. Filius, Archidux Auſtriæ, Belgicarum Prouinciarum pro Rege PHILIPPO II. Auunculo ſuo, Gubernator, Princeps Optimus, & longiori vitâ digniſsimus. Nam dum ad pacificandas Prouincias animum leriò conuertiſſet, vix primo Præfecturæ ſuæ anno expleto, ingenti omnium Belgarum luctu extinctus eſt. Hinc meritò adſcriptum:

OSTENDVNT BELGIS HVNC TANTVM FATA. —

ALBERTVS *Archidux Auſtriæ, Belgarum Princeps.* In Podio, ſupra Portæ fornicem, viſitur ALBERTVS, Imp. Cæſ. MAXAEMILIANI II. Filius, Archidux Auſtriæ, Belgarum Princeps, Pietate, Iuſtitiâ, Conſtantiâ, Fortitudine, Prudentiâ,

dentiâ, Liberalitate, aliisque Virtutibus Regiis inclytus. Hic cùm post ERNESTI, Fratris sui, obitum, Belgis Gubernator per annos aliquot feliciter præfuisset, & aduersus Gallos & Batauos strenuè rem gessisset; mox ductâ in vxorem ISABELLA CLARA EVGENIA, Philippi II. Hispaniarum Indiarumque Regis Filiâ, Belgicas has Prouincias & Burgundiam dotali iure possedit. Epigraphe:

BISSENIS MARTIS RABIEM COMPESCVIT ANNIS.

Franciſc. Haræus Annal. Belg. To. III. anno. Cæſarea lib. XVI. cap. XV. Thuanus lib. 138. Bentius lib. I. de Inſtitutis Belg.

Siquidem, post Oſtendam, Wachtendonckam, Rhenobergam, Grollam, Oldesaliam, Lingam, aliaque oppida à Batauis recepta, BELGICAM, ciuili XL. annorum Bello æstuantem, respirare, almæque Pacis otia gustare indulsit, Duodecennalibus Induciis cum hoste pactis, & ANTVERPIÆ anno CIↃ. IↃ. C. IX. ad V. Id. April. conclusis, & promulgatis. Quâ in re, P. Ioan. Naij, Seraphici Ordinis per Belgium summi Præfecti, sedula opera eluxit. Cùm paullò antè Ser^mus Archidux Walrauium Wittenhorstium, Horstij Toparcham, & Ioan. Geuartium, Iurisconsultum, primis eius Tractationis fundamentis iaciendis in Batauiam delegasset.

Imperij Romani diadema à Septemuiris Electoribus bis delatum; nempe post RODOLPHI II. & mox, post MATTHIÆ I. Augg. Fratrum suorum, obitum, recusauit. Archiducatum AVSTRIÆ, Ducatum Sileſiæ, aliosque plurimos Principatus, hereditario iure ad se deuolutos, FERDINANDO II. Imp. Patrueli suo, raro & inaudito hactenus exemplo, donatione inter viuos, cesit ac resignauit.

Cluzdian.

Restitit ingestum, quod vi, quod poscere ferro,
Posthabitâ Pietate solent. Tunc Purpura primùm
Inferior Virtute fuit, meruitq́; repulsam
Obuia Maiestas. Doluit Fortuna, minorem
Se confessa viro. Magnum delatæ Potestas,
Maiorem contempta probat. —

Coniugi suo, ALBERTO, ad læuum Podij latus, adstat ISABELLA CLARA EVGENIA, PHILIPPI II. Filia, Belgarum & Burgundionum Domina: Heroina magnæ illius ISABELLÆ, Hispaniarum Reginæ (cuius suprà meminimus) Abauiæ suæ, virtutibus simillima. Quam Matrem Patriæ, viuumque Pudicitiæ, Pietatis, Clementiæ, Fortitudinis ac Sanctitatis exemplar, Belgica vniuersa experta & venerata est. De illa latiùs infrà, ad Pegma eius defunctæ Honori dicatum. Epigraphe.

ISABELLA CLARA EVGENIA, *Hispaniarum Infans.* *Belgarum Princeps.*

CLARA, IVBAR BELGIS NVPER, NVNC SIDVS OLYMPO.

In dextro Intercolumnio, sub FERDINANDO Catholico, visitur Ser^mus PRINCEPS FERDINANDVS Hispaniarum Infans, S. R. E. Card. Belgarum & Burgundionum pro Rege PHILIPPO IV. Catholico, Fratre suo, Gubernator, &c. Epigraphe:

FERDINANDVS *Hispaniarum Infans.*

DIVINVM HVNC FESSO IVVENEM SVCCVRRERE SÆCLO,
NE, SVPERI, PROHIBETE. —

Versus hic est Maronis, per parodiam obiter immutatus, ac desumptus è I. lib. Georgic.

vbi vota facit pro Imp. Cæs. OCTAVIO AVGVSTO, cui à Victoriâ Actiacâ, (quam ætatis suæ anno XXXII, retulit) reduci, opus suum Poëta recitauit: Auctor Vitæ Marcus.

Dij Patrij, Indigetes, & Romule, Vestaq; Mater,
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana Palatia seruas:
HVNC SALTEM EVERSO IVVENEM SVCCVRRERE SÆCLO
NE PROHIBETE. *Satis iampridem sanguine nostro*
Laomedontæa luimus periuria Troiæ.
Iampridem nobis cæli Te Regia, Cæsar,
Inuidet, atque hominum queritur curare Triumphos:
Quippe vbi fas versum atque nefas, tot Bella per orbem,
Tam multa scelerum facies: non vllus aratro
Dignus honos: iacuit toto Mars impius Orbe.

VT verò sub AVGVSTO CÆSARE, Pace Terrâ Mariq́ue partâ, Templo IANI cluso, Orbis Terrarum longâ Felicitate ac Securitate potitus est; ita quoque à Ser^mi Principis FERDINANDI felicissimis Auspiciis, & Virtute incomparabili, speratam diu Tranquillitatem, post decumanos Ciuilium Bellorum fluctus, Prouinciæ Belgicæ meritò sibi pollicentur.

PORTI-



PORTICVS CÆSAREO-AVSTRIACA.

MEram, latissimum & pulcherrimum Vrbis Vicum, ingressò Principi, splendidissimum Pegma, ferè ad semi-Hexagoni formam constructum, eius oculis sese obtulit, architectonicâ magnificentiâ & argumenti gravitate nobilissimum. Diameter eius ad pedes centum & x. porrigebatur: Altitudo, vsque ab Obelisci apicem, pedum erat LXXX. Ichnographiam infrà subiunximus.

PORTICVM CÆSAREO-AVSTRIACAM appellauimus, quia XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM Statuæ, è solido lapide affabrè sculptæ, auroque variegatæ, sub totidem fornicibus in eâ collocatæ erant. Et singuli quidem fornices quatuor Columnis marmoreis innitebantur, encarpis (vt & passim vniuersum Pegma) ornati.

Inter primarias Græcarum Romanarumque vrbium substructiones, non infimum locum olim obtinebant PORTICVS: in iisque visebantur priscorum Heroum, bene de Repub. meritorum, Statuæ, cum Elogiis. Sic Imp. Cæs. Octauius Augustus (teste Suetonio) *Proximum à Diis immortalibus Honorem Memoriæ Ducum præstitit, qui* IMPERIVM *Pop. Rom. ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cuiusque, manentibus Titulis, restituit, &* STATVAS *omnium, Triumphali effigie, in vtraque Fori sui* PORTICV *dedicauit.* PORTICVS Principum, seu & alia Statuæ. Suet. in Aug. c. XXXI.

Ad initium lateris dextri, supra pilam angularem hæc erat Inscriptio:

ADSPICE MAIORVM SERIEM, FERNANDE, TVORVM,
CÆSAREOS PROCERES, QVOS AVSTRIA IACTAT ALVMNOS,
IMPERII FATALE SOLVM: VICTRICIBVS ARMIS
DEFENSVM, ASSERTVMQVE TIBI.

AVSTRIA, olim PANNONIA SVPERIOR à Romanis dicta, Prouincia est bellicosissimæ nationis ferax: adeoque antiquitus IMPERATORVM SEDES semper habita. Auctor Descriptionis Orbis Terrarum, qui sub *Constantio* & *Constante* Impp. floruit: Εἰτα ΠΑΝΝΟΝΙΑ χώρα, γῆ πάντα ἐν πᾶσι καρποῖς τε καὶ κτίσεσι, & ὑμετέροις. Καὶ αὐτὴ οἰκεῖς τῶν ἀρχόντων ἡσυ. *Deinceps*, PANNONIA *Regio, Terra omnibus dites, tuis frugibus, tuum & iumentu, & mercibus, semperq; ea* IMPERATORVM SEDES *est.* Septimius Seuerus, PANNONIARVM Præfectus, Pertinace Aug. Principe optimo, Romæ cæso, Imperator à Pannonicis Legionibus est consalutatus: earumdemque virtute cædem Pertinacis vltus est, teste Herodiano. AVSTRIA olim PANNONIA Superior.

Ant. Aug. Dialog. II.

Exstat *L. Ælij Cæs.* qui Pannonijs Dux & Rector ab Hadriano Aug. datus est, Numus, in quo Matrona turrito capite, dextrâ vexillum gestans, & sinistram vestis laciniam attollens: in sinu quasi pilas quasdam tenens, velut auri argentique copiam designans, cum Inscriptione: PANNONIA.

Exſtat & Numus *Imp. Cæſ. Traian. Decij Aug.* ortu Pannonij, in quo vtraque ſpectatur Prouincia; altera iuxta ſignum militare conſiſtens; altera (vt videtur) clauam tenens, cum Inſcriptione: Pannoniae.

a Erizzo. Croyiac. Tab. xl. b Ibid. Tab. lix.

Pannonias *Imperiis grauidas*, non immeritò appellat Auſonius Epigramm. iv. vbi Danvbivs *Valentinianum & Gratianum Augg.* ſic alloquens introducitur:

Danvbivs *penitis caput occultatus in oris,*
Totus ſub veſtrâ iam ditione fluo:
Quà gelidum fontem mediis effundo Sueuis;
Imperiis gravidas *quà ſeco* Pannonias.

Hæ etenim illæ ſunt Prouinciæ, quæ olim Avrelianvm, Probvm, Maximianvm, Decivm, Iovianvm, Valentinianvm, Valentem, Gratianvm, & Valentinianvm Ivn. Auguſtos, Imperio pepererunt. Vnde eleganter Mamertinus Conſul in Panegyrico Maximini Aug. ait: *Quis dubitat, quin multis iam ſæculis, ex quo vires* Pannoniæ *ad nomen acceſſere Romanum*, Italia *quidem ſit gentium Dominæ gloriæ vetuſtate, ſed* Pannonia *virtute?* Atque ita quidem de æuo ſuo Mamertinus. At mirandum profectò magis, noſtrâ ac Proauorum memoriâ, Pannoniæ ſuperioris prouinciam, Avstriam, vel ex vna Domo, continuâ penè ſucceſsionis ſerie, Cæsares xii. protuliſſe: quibus (dum hæc ſcribimus) xiii.ius ex eâdem Familiâ feliciter acceſsit, Imp. Cæſ. Ferdinandvs iii. Pius, Fel. Auguſtus, in Diui Parentis ſui, Ferdinandi ii. locum, bono Orbis Chriſtiani, ſurrogatus. Nempe, quod de Româ ait vir Conſularis Rutilius: Rutil. Itinerar. lib. i.

Semina Virtutum, demiſſa & tradita cælo,
Non potuère aliis digniùs eſſe locus.

Certè, feliciſsima Imperij propago, quæ in Auguſtiſsimâ hac Domo floret, Familias omnes quæ à condito Imperio, eius gubernacula tractarunt, longè ſupergreſſa eſt.

Siquidem progenies Cæsarvm à Ivlio orta, in ſexto eius ſucceſſore defecit.

Carolinorvm ſtirps in Occidente, à Carolo Magno vſque ad Lvdovicvm iv. ſub nouem Imperatoribus, continuâ ſerie, annis centum & vndecim, Orbi præfuit.

Palæologorvm Familia in Oriente, à Michaele vſque ad Constantinvm xv. ad annos centum & nonaginta tres in ſtirpe ſuâ Imperij gubernacula conſeruauit.

At verò Auguſtiſsima Avstriadvm Familia iam ſupra ducentos & quadraginta annos, atque ex iis ducentos continuos, Orbi Chriſtiano diuinitùs præeſt: ac tot tantoſque Heroas protulit, vt omnibus omnium gentium ac Ætatum clariſsimis Familiis magnitudine ſuâ caliginem inductura videatur. Pindar. Nem. Od. viii.

Σὺν Θεῷ γάρ τοι φυτευθεὶς
Ὄλβος ἀνθρώποισι, παρμονώτερος.
Quæ enim à Deo ſata eſt
Proſperitas hominibus, æternior eſt. vt ait Pindarus.

Ad

Ad dextrum latus, sub primo Fornice, statua armata erat, DIVI RODOLPHI MAGNI, Pij Fel. Aug. Primi è Familiâ Habsburgicâ Romanorum Imp. & Augustissimæ Domus AVSTRIÆ Conditoris. Supra fornicem in ouali Tabellâ hæc Epigraphe:

AVGVSTÆ DIADEMA DOMVS MIHI SVEVICA VATES,
FATIDICAQVE PIVS FIRMAVIT VOCE SACERDOS.

Francis. Guliman. Habsburgici lib. VI. cap. VI. Lips. Exemp. Polit. c. cap. II.

De singulari Imp. Cæs. RODOLPHI I. Pietate, & in primis erga SS. Synaxin cultu, (vnde Imperium illi promissum grauissimi Auctores testantur) latiùs egimus in breui eiusdem D. RODOLPHI Elogio, quod mox subiungitur. Is certè aureum illud Synesij præceptum rectè percepisse visus est: Εὐσεβεία ὑπερτὸν κοσμοκράτορα, κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἰσχὺς ἐκ ἰσχύος τὸ ἀγαθὸν ἐμπεδοῖ τὸ Βασιλεῖον. PIETAS *primium substernatur, sulcrum & crepido, cui firmiter insistat stabilis Imago* IMPERII.

SOLIS & MINERVÆ effigies habitu Termini, hinc inde adstant lateri D. RODOLPHI I. Sed de illis, aliisque DIIS CONSENTIBVS ordini XII. CAESARVM insertis, etiam opportunius infrà, post Elogia, disseremus.

Supra ALBERTVM I. AVG. in ouali Tabella:

VICTOR BISSENO CONFLIXI MARTE: COEGI
NASSOVIVM AVSTRIACIS PROSTRATVM CEDERE SIGNIS.

Supra FREDERICVM III. Pulchrum:

VISA POTENS NIMIVM, SVPERI, GENS AVSTRIA, VOBIS,
SI SOLVS LATIAS REGERET FREDERICVS HABENAS.

Supra ALBERTVM II. AVG.

IMPERIVM MERITIS PARTVM DOS CONIVGIS AVXIT,
BINAQVE CÆSAREÆ CONIVNXIT REGNA CORONÆ.

Supra FREDERICVM IV. AVG.

LVSTRIS BIS QVINIS, IVNCTA TRIETERIDE, SCEPTRVM
GESSI PACIFICVS, NON VANO * NOMINE, CÆSAR.

*Fredericus Pacificus.

Supra MAXÆMILIANVM I. AVG.

IN VENETOS GALLOSQVE TVLI VICTRICIA SIGNA,
ATQVE AQVILIS DOCVI BELGAS PARERE LEONES.

Supra CAROLVM V. AVG.

SALVE AVGVSTORVM, NVMERI NON ORDINE, PRIME,
SED MERITI: LIMES REGNI CVI TERMINVS ORBIS.

Supra FERDINANDVM I. AVG.

IAM SENIO FESSVS FRATER DVM DESTITIT ATLAS,
IMPOSITVM ALCIDES GESSI CERVICIBVS ORBEM.

Supra MAXÆMILIANVM II. AVG.

SVADA DISERTA MIHI, RARA ET CLEMENTIA: SÆPE
CONATVS SVM, BELGA, TVOS COMPONERE MOTVS.

Supra RODOLPHVM II. AVG.

ET PACIS STVDIIS BONVS ET FELICIBVS ARMIS,
OMNIGENAS FOVI DONIS ET HONORIBVS ARTES.

Supra MATTHIAM I. AVG.

CORVINO HVNNIADÆ SCEPTRIQVE ET NOMINIS HERES,
THREICIVM DOMVI NON VNO MARTE TYRANNVM.

Supra FERDINANDVM II. AVG.

CAVSA DEI, SCOPVS EST TIBI, FERDINANDE, NEC VMQVAM
DESTITVENT, CONFIDE, SVAM PIA NVMINA CAVSAM.

Harum Inſcriptionum vberior interpretatio & ſenſus, ex Elogiis vniuſcuiuſque CÆSARIS ſtatuæ ſubiunctis, infrà petiteſt.

In medio Pegmatis, fornices inter & pluteos ſuperiores, interuallo, quod panno purpureo veſtitum erat, ſpectabantur SERAPHINI XII. candidi, alis & crinibus deauratis. SERAPHINI XII.

Ad Portæ Mediæ latus dextrum, ſupra Pilas geminas, hæc Inſcriptio:

HIS NEQVE PER DVBIVM PENDET PORTVNA FAVOREM,
NEC NOVIT MVTARE VICES, SED FIXVS IN OMNES
COGNATOS PROCEDIT HONOS. QVEMCVMQVE REQVIRAS
HAC DE STIRPE VIRVM, CERTVM EST DE CÆSARE NASCI.

Ad ſiniſtrum eiuſdem Portæ latus:

PER LAVROS NVMERANTVR AVI, SEMPERQVE RENATA
NOBILITATE VIRENT, ET PROLEM FATA SEQVVNTVR,
CONTINVVM SIMILI SERVANTIA LEGE TENOREM.

E Claudiano (paucis per παρῳδίαν mutatis) iſta & ſuperior deſumpta eſt Epigraphe. Eſt autem Elogium Nobiliſsimæ & Chriſtianiſsimæ apud Romanos Familiæ, ANICIÆ, quæ ſuo auo, Chriſtianorum vnicum præſidium & aſylum erat, vt latè deducit Baronius ad ann. CHRISTI CCC.XCV. Atque ex eâdem Familiâ ANICIA Principes AVSTRIACOS originem ducere, multis argumentis adſtruit Arnoldus Wionus. Claud. Panc. IV. Conſul. Honor. Arnold. Vranus lib. de Ligno Vitæ.

Supra Portæ Fornicem geminæ hinc inde VICTORIÆ pictæ, quæ verſus tranſeuntem Principem LAVREAM dextrâ protendunt.

Ad extremum Porticus latus, altera ex Claudiano Parodia:

HÆC DOMVS INVIDIÆ FINES VIRTVTE RELIQVIT,
HVMANVMQVE MODVM. QVIS ENIM LIVESCERE POSSIT
QVOD NVMQVAM PEREANT STELLÆ? QVOD IVPITER OLIM
POSSIDEAT CÆLVM? QVOD PERMEET OMNIA PHOEBVS?

Plutei ex humilioribus columellis, Pegmati vniuerſo ſuperimpoſiti erant.

In

In illis prænitebant XII. CORONÆ LAVREÆ, quibus Palmæ decussatim innexæ. Et merito quidem. Nam, vt de Alcimidæ Domo ait Pindarus: *LAVREÆ XII.*

Pind. Nem. od. VI.

Σὺν Θεοῦ δὲ τύχᾳ
Ἕτερον οὔ τινα οἶκον
Ἀπεφάνατο πυγμαχίᾳ ταμίαν
Στεφάνων μυχῷ Ἑλλάδος ἁπάσας.
Dei Fauore,
Aliam nullam Domum
Protulit Pugillatus, adeò custodem
CORONARVM, *in sinu Græciæ vniuersæ.*

Candelabra cum accensis Funalibus alternatim Laureis erant interposita.

Acroterio dextri lateris, VICTORIA alata insistit, alterâ manu Lauream, alterâ Vexillum cum Insignibus Imperialibus tenens. *VICTORIA.*

Paulò inferiùs, Augustæ Domus AVSTRIÆ Insignia Gentilitia: nempe Scutum coccineum, candidâ zonâ distinctum. Gryphes gemini illud tuentur. *AVSTRIÆ Domus Insignia, eorumq. origo.*

De origine illorum Insignium ita Cuspinianus, in suâ AVSTRIÆ Descriptione, vbi de Accone, Palæstinæ Vrbe, à Christianis expugnatâ, agit: LEOPOLDVS *Dux* AVSTRIÆ, *cum suis vnà turri ciuitatis captâ, primus muro eius loci superato, ante omnes cum hostibus conflixit, veste albâ ornatus: quam totam cruentam, multoq. sanguine conspersam post pugnam reperit, solo spatio albo, quo Baltheus medium hominem cingebat, relicto. Vt plerique pro Insignibus & Armis quibus nunc vtuntur Principes* AVSTRIÆ, *arbitrentur à Cæsare in rei memoriam Clypeum rubrum cum lineâ intersectum albâ donatum.*

GRYPHES, vt Custodes, Insignibus adiuncti. Herodotus in Melpomene, τοὺς Χρυσοφύλακας Γρῦπας, *Auricustodes Gryphes*, supra Arimaspos, Scythiæ populos, habitare asserit. De iisdem agit Philostratus lib. VI. cap. I. de Vitâ Apollonij: ΓΡΥΠΕΣ δὲ Ἰνδῶν, καὶ μύρμηκες Αἰθιόπων, εἰ καὶ ἀνόμοιοι τὴν ἰδέαν εἰσὶν, ἀλλ᾽ ὅμοιά γε ὥς φασι βούλονται. Χρυσοῦ γὰρ φύλακες ἐν ἑκατέρᾳ ᾄδονται, τὸ χρυσόγεων τῆς ἠπείρου ἀσπαζόμενοι. *Indorum autem* GRYPHES, *& Æthiopum Formicæ, licet sint formâ dissimiles, eadem tamen (vt ferunt) agere student. Nam Aurum vtrobique custodire perhibentur, & terram auriferacem adamare.* Plura de illis Ctesias in Indicis, & Ælianus de Animalium Naturâ, lib. IV. cap. XXVII. *GRYPHES Auricustodes.*

Mox, Vrbis ANTVERPIÆ Insignia, Gentilitio Rosarum serto ornata. Epigraphe:

AVSTRIACIS SACROS HOC SERTVM SPIRAT ODORES.

Plutarch. Sympos. lib. III. Quæst. I. & in Præcept. connub. Erat olim Corona Rosea Musis sacra, Plutarcho teste, in Symposiacis: Πλὴν ὅτι γε ταῖς Μούσαις ὁ τῶν Ῥόδων στέφανος ἐπιπεφήμισται, μεμνῆσθαί μοι δοκῶ Σαπφοῦς λεγούσης πρός τινα τῶν ἀμούσων καὶ ἀμαθῶν γυναικῶν· Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, οὐδέ τις μναμοσύνα σέθεν ἔσεται. οὐ γὰρ μετέχεις Ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίης. *Sanè Musis consecratam fuisse Roseam Coronam, memini me legere in Sapphus versibus, quibus indoctam quamdam mulierem sic alloquitur: Mortua iacebis, nec vlla tui erit Memoria. Neque enim particeps es Rosarum ex Pieriâ prouenientium.* *CORONA ROSEA Musis sacra.*

Acroterio sinistri lateris similiter VICTORIA superstat alata, Lauream & Vexillum Austriacum gestans: quod & alibi supra Porticum volitabat.

Paulò inferiùs, REGIS CATHOLICI Insignia, aureo Vellere circumdata: atque hinc inde gemini LEONES, vt Vigiles & Custodes adstant. Horus Apollo lib. I. de Hieroglyphicis Ægyptiorum Notis: Ἐγρηγορότα δὲ γράφοντες, ἢ καὶ φύλακα, Λέοντος γράφουσι κεφαλήν, ἐπειδὴ ὁ Λέων ἐν τῷ ἐγρηγορέναι, μέμυκε τοὺς ὀφθαλμούς, κοιμώμενος δὲ ἀνεῳγότας τούτους ἔχει, ὅπερ ἐστὶ τοῦ φυλάσσειν σημεῖον. Διόπερ καὶ συμβολικῶς τοῖς κλεῖθροις τῶν ἱερῶν Λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασι. *Vigilantem sedulumq. hominem, aut etiam Custodem designantes, Leonis caput pingunt, quoniam Leo vigilans oculos claudit; eosdem, cùm dormit, apertos habet. Quod quidem* *LEONES Insignibus cur adiuncti?*

custodiæ atque excubiarum signum est. Vnde & non absque significatione, Templorum claustris Leones, qui custodum loco sint, appinxerunt.

OBELISCVS. Fastigio Portæ mediæ OBELISCVS erat impositus, auro obductus, intrinsecus cauus, ac vndique pellucens, ex quo lumen de nocte quaquauersum radios quàm longissimè

SOL AVREVS. spargebat. In eius apice SOL AVREVS radiabat. Reges Ægyptij Obeliscos SOLIS honori consecrarunt, teste Plinio: *Ex Syenite lapide* (inquit) *quem ante pyrrhopœcilon vocabant, trabes fecere* Plin. lib. XXXVI. cap. VIII. *Reges quodam certamine, Obeliscos vocantes, SOLIS Numini sacratos. Radiorum eius argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis vrbe* (Heliopolin vocant) *regnabat.* Hinc Prouerbium apud Suidam: Ἄξιος ὀβελίσκου, ἐπὶ τῶν σφόδρα τιμίων, *Dignus* OBELISCO, *de iis qui maximis honoribus sunt digni.*

Infrà, in basi Obelisci, in quo SOL, Epigraphe:

ORBI SVFFICIT VNVS.

Nota Alexandri vox apud Plutarchum: Μήτε τὴν γῆν Ἡλίους δύο, μήτε τὴν Ἀσίαν δύο βασιλεῖς ὑπομένειν. Plutarch. Apoph. Regum & Impp. *Neque Terram duos Soles, neque Asiam duos Reges tolerare.*

A posteriori eiusdem Obelisci parte, Homericum illud: Homer. Iliad. B.

ΕἿΣ ΚΟΙΡΑΝΟΣ ἘΣΤΩ.

Ad pedem Obelisci, S.R. Imperij Insigne: AQVILA biceps, Gentilitia AVSTRIÆ Domus Insignia pectore præferens. Adstant aliæ hinc inde geminæ AQVILÆ, Fulmen vnguibus gestantes, obuersis vultibus.

AQVILA *Legionum Insigne.* AQVILAM Romanis Legionibus Insigne olim fuisse, nemini paullò humaniori ignotum est. Rationem eius rei eleganter tradit Flauius Iosephus: Ἀετὸς παντὸς ἄρχει Ῥωμαίοις τάγματος, βασιλεύς τε οἰωνῶν ἁπάντων καὶ ἀλκιμώτατος ὤν. Ὃ δὴ καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν, ἐφ' οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ. Fl. Ioseph. lib. III. de Bell. Iud. Cap. V. *AQVILA omni Legioni apud Romanos præest: Rex ipsa omnium Auium, & eadem valentissima. Vnde etiam* IMPERII *signum ipsis est, & velut omen Victoriæ in quoscumque eant.* Fabulatur Anacreon, Iouem cùm aduersus Titanas proficisceretur, sacrificium Cælo fecisse, AQVILAMque supernè aduolantem prospero ei auspicio Victoriam portendisse, fulmenque aduersus hostes subministrasse. Ante Romanos, etiam Persis AQVILAM signum Militare fuisse, constat ex Xenophonte: Ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. Καὶ νῦν δ' ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. Xenophon Cyrop. Lib. VII. *Erat ei signum* AQVILA AVREA *in hasta longa extensa, & nunc quoque ipsum hoc Insigne Persarum Regi manet.* Philostratus quoque id innuit, vbi Themistoclem coram Xerxe Rege perorantem depingit: Τὸ σημεῖον τὸ βασίλειον, ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τῆς πέλτης Ἀετός. Καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου στικτὸς, οἷον ταώς. Philostrat. Icon. lib. II. *Insigne Regium* AVREA *super Peltam* AQVILA: *& Rex ipse in solio aureo, maculis, vt Pauo, distinctus.*

Paullò infrà, in Portæ Tympano, geminas inter Nymphas Marinas, alatas, sub S.R. Imperij Insignibus, hæc Epigraphe:

IMPERII COLVMEN, NVTANTIS ET ANCHORA MVNDI,
AVSTRIA PERPETVO VIGEAT SPLENDORE PROPAGO:
QVA NON VLLA DOMVS DIVVM FOECVNDIOR VMQVAM,
ÆTHERA SIDERIBVS, TERRAS VIRTVTIBVS IMPLET.

Athenæ, *Columen & sustentaculum Græciæ*, ἔρεισμα Ἀθᾶναι, à Pindaro rectè vocantur. Et Plutarchus magnificè *Imperium Romanum* πᾶσιν ἀνθρώποις Ἑστίαν ἱερὰν ὡς ἀληθῶς καὶ ὀνησιδώραν, καὶ πεῖσμα μόνιμον, καὶ στοιχεῖον ἀΐδιον, Plutarch. de Fortunâ Rom.

ἀίδιον, ἀποφερομένοις τοῖς πράγμασιν ἀγκυροβόλιον σάλυ καὶ πλάνης. *Omnibus mortalibus Larem ſacrum atque beneficum: Firmamentum ſtabile: Elementum æternum: Fidam* ANCHORÆ *iaciendæ ſtationem, rebus humanis ſalo atque errore fluctuantibus*, appellat. Nihil profectò aptiùs de Auguſtiſsimâ AVSTRIÆ Domo dici poteſt, quæ in his morum & temporum vitiis, in infinito huius ſæculi errore, in tantâ confuſione ac perturbatione rerum omnium, Barbaris vndique in Imperij ac Religionis exitium conſpirantibus, Pietatis ac Iuſtitiæ Aſylum eſt vnicum. Ideoque AVSTRIA iampridem COR & CLYPEVS *Romani Imperij* à Friderico II. Aug. dici meruit. Cuſpin. vita Friderici II.

Ad Obeliſci latus, COLVMNÆ HERCVLIS, figurâ tortili, hinc inde erant erectæ, quibus corona Cæſarea erat ſuperpoſita. Columnæ vtrique ingens lacinia argentea circumuoluta erat, cui inſcriptum: COLVMNÆ HERCVLIS.

PLVS VLTRA.

Aluar. Gomez. de Reb. geſt. Franc. Ximenij lib. VI.

Symbolum illud, VLTERIVS, ſiue (vt vulgò effertur) PLVS VLTRA, in Imp. Cæſ. CAROLI V. AVG. gratiam primus excogitauit vir eruditiſsimus, Bartholomęus Marlianus, Mediolanenſis, Aulæ Cæſareæ familiaris, qui deinde Tutetenſis Epiſcopus fuit creatus.

Sub Columnis Herculis, à poſteriori parte Porticus, in Tympano Portæ, hæc Inſcriptio:

HERCVLIS ET BROMII METAS, MACETVMQVE SARISSAS,
AVSTRIADVM HEROVM POTVIT TRANSCENDERE VIRTVS.

Omnium omnis æui maximorum Regum, Ducumque, terminos ac metas, quos quàm latiſsimè arma ſua circumtuliſſe prodidit Antiquitas, Auſtriaci Imperij Felicitas ac Potentia longè ſupergreſſa eſt. Clearchus Solenſis ait, HERCVLEM cùm Terram omnem habitabilem Triumphis & Victoriis ſuis peragraſſet, & ad finem continentis verſus Inſulas Fortunatas penetraſſet, binas ibi COLVMNAS æreas portentoſæ altitudinis erexiſſe, in quibus ſcriptum erat: ΟΥΤΙ ΠΟΡΡΩΤΕΡΩ, NIHIL VLTERIVS; vt denotaret, neminem progredi Vlteriùs poſſe. De iis quoque Pindarus Olymp. Odâ III. de Therone:

Νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θή-
ρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων, ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος στηλᾶν. τὸ πόρσω
δ᾽ ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον, κἀσόφοις.

Theron domeſticis virtutibus clarus
Et HERCVLIS *attingit* COLVMNAS,
VLTRA *quas nec ſapientem*
Neque inſipientem progredi par eſt.

At verò IMP. CÆS. CAROLVS V. AVG. in Auſtrali Noui Orbis plagâ, hoc eſt, ad Polum Antarcticum, & Fretum Magellanicum, ARAS & COLVMNAS ſuas feliciter conſtituit. Ideoque illis meritò VLTERIVS, è Marliani ſententiâ, adſcriptum fuit.

LIBERI PATRIS COLVMNAS in Orientali Indiâ deſcribit Dionyſius Alexandrin. COLVMNÆ BACCHI.

Ἔνθα τε καὶ στῆλαι Θηβαιγενέος Διονύσου
Ἑστᾶσιν πυμάτοιο παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο,
Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν· ἔνθα τε Γάγγης
Λευκὸν ὕδωρ Νυσαῖον ἐπὶ πλαταμῶνα κυλίνδει.

——*Quà* THEBANO *poſitæ* DIONYSO
Oceani fines geminæ tenuere COLVMNÆ,
Indorum extremis in montibus: hìc vbi Ganges
Nyſſæos vitreo campos perlabitur amni.

Et Curtius de Alexandro: *Transierat iam* LIBERI PATRIS *Terminos, quorum Monumenta lapides, crebris interuallis dispositi, arboresq; procera, quarum stipites hedera contexuerat.* Q. Curt. l.b. VII.

COLVMNA ALEXANDRI. De ALEXANDRI COLVMNA apud Indos sic Philostratus, vbi de Hyphasi Indorum flumine agit: Φασὶ δὲ καὶ Στήλην ἀνακεῖσθαι χαλκῆν, ᾗ ἐπιγεγράφθαι, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΕΝΤΑΥΘΑ ΕΣΤΗ. *Æneam quoque* COLVMNAM *eodem loco erectam tradunt, his verbis inscriptam:* ALEXANDER HIC STETIT. Subiungit Philostratus: Τοὺς μὲν δὴ ΒΩΜΟΥΣ ἈΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ἡγούμεθα, τὸ τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς τέρμα τιμῶντος· τὴν δὲ ΣΤΗΛΗΝ τὴν μετὰ τὸν Ὕφασιν Ἰνδοὺς ἀναθεῖναι δοκεῖ μοι, λαμπρυνομένους ἐπὶ τῷ Ἀλέξανδρον μὴ προελθεῖν ΠΡΟΣΩ. *Et* ARAS *quoque* ALEXANDRI *opus esse arbitramur, Imperij fines hoc monumento signantis.* COLVMNAM *verò Indos, qui vltra Hyphasim degunt, erexisse puto, gloriantes, non fuisse* ALEXANDRVM *progressum* VLTERIVS. Indi hodierni asserunt, Alexandrum non transisse sinum *Iaquetam*, qui est ad Ostium Indi Fluminis, vt refert Linschotanus, Itinerarij Indici cap. VII. Philost. de vitâ Apollonij lib. II. cap. XV.

At verò hos LIBERI PATRIS & ALEXANDRI Terminos Austriacorum Potentia etiam superauit, quando Lusitaniâ ad PHILIPPVM II. Hispaniarum Regem deuolutâ, India quoque Orientalis eius Ditioni accesit.

GESTA *Principum statuis eorum præfigi solita.* Ceterùm, moris olim fuisse, vt Statuis Principum, gesta illorum in tabulâ æneâ, loco publico, apponerentur, testatur Lampridius in Vitâ Imp. Cæs. Alexandri Seueri Aug. his verbis: STATVAS, inquit, *Colossæas, vel pedestres nudas, vel equestres,* DIVIS IMPERATORIBVS *in foro D. Neruæ locauit, omnibus cum* TITVLIS, & COLVMNIS ÆREIS, *quæ* GESTORVM *ordinem continerent. Exemplo* AVGVSTI, *qui summorum virorum statuas in foro suo, è marmore collocauit, additis* GESTIS.

Naso lib. v. Fastorum, de Statuis, quæ in eodem Augusti foro, ACTISque Principum subscriptis, sic canit:

Hinc videt ÆNEAN *oneratum corpore caro,*
Et tot IVLÆÆ NOBILITATIS AVOS:
Hinc videt ILIADEN, *humero Ducis arma ferentem,*
CLARAq; *dispositu* ACTA *subesse viris.*

Vetus Scholiastes Iuuenalis, ad illa verba Satyr. x.

——— *Longa atque insignis* HONORVM
PAGINA;

hæc adnotat: ÆNEA PAGINA, *quæ ante Imaginem Heroum stans, omnes eorum gradus* HONORVM *inscriptos continet.*

Hunc veterum morem æmulati, Elogia breuia singulis laudatissimorum CÆSARVM statuis subiunximus: ac pauca Diuinarum, quæ in Augustissimis Principibus effulsêre, Virtutum rerumque gestarum miracula, ex innumerabili eorum copiâ selecta, deque probatissimis hausta scriptoribus, proposuimus. Imp. Cæs. OCTAVIVM AVGVSTVM quoque imitati, qui rerum à se gestarum Breuiarium, in duabus aheneis pilis incidi Romæ curauit. Cuius exemplar hodieque Ancyræ in Asiâ, marmoreis insculptum parietibus, in Prætorio exstat. Quod insigne Antiquitatis κειμήλιον à se descriptum, Augerius Busbequius, Belga, Imp. Cæs. FERDINANDI I. Aug. ad Solymanum Turcarum Imp. Legatus, secum in Europam attulit, virisque doctis communicauit. Sueton. Aug. cap. 101. Gruter. Inscript. Roman. pag. cc. Schottus ad Aurel. Victor.

IMP.

IMP. CÆS.
RODOLPHVS I.
PIVS, FEL. AVG.
REX GERMANIÆ,
HABSBVRGI ET KIBVRGI COMES,
LANDGRAVIVS ALZATIÆ, &c.
AVGVSTÆ DOMVS AVSTRIÆ
CONDITOR.

HIC EST MAGNVS ILLE, AC PRORSVS DIVINVS PRINCEPS, RODOLPHVS, COMES HABSBVRGIACVS, QVI SINGVLARI DIVVM NVMINE AC PROVIDENTIA, POST INVSITATVM XXIII. ANNORVM, A FREDERICI II. AVG. OBITV INTERREGNVM, IMPERATOR ORBI DATVS, PLVRIMORVM PRINCIPVM AMBITIONE AC DISCORDIA INCERTVM DIV, ET QVASI VAGVM IMPERIVM SVSCEPIT AC STABILIVIT.

NATVS EST IPSIS KAL. MAII, ANN. SAL. M. CC. XVIII. EX ANTIQVISSIMA ET FLORENTISSIMA HABSBVRGENSIVM COMITVM STIRPE, PATRE ALBERTO, QVI AVSPICIIS FREDERICI CÆSARIS IN SYRIAM AD BELLVM SACRVM PROFECTVS, ACCONE OBIIT: MATRE HEDVIGE, KIBVRGENSIS COMITIS FILIA.

ADOLESCENTIAM IN AVLA IMP. CÆS. FREDERICI II. AVG. EXEGIT: EVMDEMQVE DVODEVICESIMO ÆTATIS SVÆ ANNO IN ITALIAM, ADVERSVS MEDIOLANENSES EXPEDITIONE SVSCEPTA, COMITATVS, IN PRÆLIO AD CASAS SCANARIAS, PRIMA MILITIÆ TIROCINIA FELICITER POSVIT.

POST FREDERICI IMP. OBITVM, CVM AD OTTOCARVM BOHEMIÆ REGEM, PER EA TEMPORA MILITIÆ LAVDE CELEBREM, SESE CONTVLISSET, AB EODEM PALATIO PRÆFECTVS, ET BELLO ADVERSVS BELAM HVNGARIÆ REGEM EXORTO, SVPREMVS EQVITVM DVCTOR CONSTITVTVS, POTISSIMVM VICTORIÆ MOMENTVM EXSTITIT.

EXINDE, VBI RELICTA REGIS OTTOCARI AVLA, IN PATRIAM REDVX EST FACTVS, VARIIS CONTRA VICINOS QVOSDAM COMITES AC PRINCIPES, A QVIBVS INIVRIA IPSI ILLATA ERAT, CONFLICTIBVS, VIRTVS EIVS EST SPECTATA. VNDE ET AB ALPHONSO X. CASTELLÆ ET LEGIONIS REGE, CINGVLO MILITARI DONARI MERVIT. TOTQVE ET TAM EXIMIA PRIVATIS ADHVC REBVS A RODOLPHO GESTA SVNT, VT REGIVM DECVS FACTIS ANTEVENISSE, NIHILQVE NISI SVPREMÆ FORTVNÆ EXPERIMENTVM DEDISSE VIDERETVR.

IMPERII AVSPICIVM, SINGVLARIS QVÆ IN IPSO ELVCEBAT PIETAS, PRÆBVIT. NAM CVM VENATVM FORTE, DIE PLVVIO, EQVES EXISSET, OBVIVMQVE SIBI SACERDOTEM, QVI SS. EVCHARISTIAM, EXTREMVM ÆGRO SOLATIVM, VIIS FRACTIS AC SORDENTIBVS, PEDES DEFEREBAT, EQVO SVO DONASSET, POSTERO DIE, FARENSE, APVD HELVETIOS, MONASTERIVM ACCEDENS, IBIDEM A SACRATA DEO VIRGINE, PROPINQVA SVA, ÆTATE GRANDI, HOC VATICINIVM ACCEPIT:

„ TIBI, O, RODOLPHE, SVPEROS HESTERNA LVCE PROPITIOS FACTOS DENVNTIO:
„ PROQ. PIETATIS AC LIBERALITATIS OFFICIO, TIBI, POSTERISQ. TVIS, SVMMVM
„ RERVM IN TERRIS HONOREM, ET OPVLENTIÆ FASTIGIVM AFFIRMO.

NON VOCEM, SED ORACVLVM FVISSE, EVENTVS MOX CERTO COMPROBAVIT.

QVIPPE ANNO SAL. M. CC. LXXIII. OB HEROICAS TOTOQVE ORBE CLARISSIMAS VIRTVTES, RODOLPHVS COMMVNIBVS PRINCIPVM ELECTORVM SVFFRAGIIS, SOLO BOHEMIÆ REGE OTTOCARO, (QVI ET IPSE AD IMPERIVM ADSPIRABAT) FRVSTRA RENITENTE, REX ET IMPERATOR ROMANORVM, FRANCOFVRTI REI IGNARVS ET ABSENS, RENVNTIATVS EST, III. KAL. OCTOB. DIE CÆLESTIS MILITIÆ PRINCIPI, MICHAELI SACRO.

CESSIT ILLI VLTRO ALPHONSVS X. CASTELLÆ ET LEGIONIS REX, PRIDEM A MAGNA PRINCIPVM ELECTORVM PARTE CÆSAR DECLARATVS. QVASI NON INDECORVM IVDICARET DELATOS SIBI IMPERII FASCES ILLI IAM TVM SVBMITTERE, CVIVS POSTERI NON CASTELLÆ TANTVM LEGIONISQVE, SED VNIVERSÆ HISPANIÆ, ALIARVMQVE PLVRIMARVM GENTIVM IMPERIIS ESSENT POTITVRI.

AQVISGRANI SOLEMNI RITV CORONATVS, CVM PRINCIPES IN EIVS VERBA IVRATVRI, TERGIVERSARI ALIQVANTVLVM VIDERENTVR, QVOD SCEPTRVM AD MANVS NON ESSET; CÆSAR, ARREPTA CRVCE, QVÆ PROPE ADERAT; EN, INQVIT, SIGNVM VNDE NATA SALVS GENERIS HVMANI: HOC EGO SCEPTRO IN OMNES MIHI ET IMPERIO INFIDOS VTAR. HIS DICTIS MOTI QVI ADERANT PRINCIPES, CRVCEM EXOSCVLATI, FIDELITATIS IVRAMENTVM ILICO PRÆSTITERVNT.

QVIN ET CÆLVM IPSVM HVIC ELECTIONI FAVISSE, NON DVBIIS SIGNIS APPARVIT. ETENIM GRAVISSIMI AVCTORES TESTANTVR, IPSO INAVGVRATIONIS TEMPORE, CRVCEM AVREAM, SVPRA TEMPLVM, IN QVO DIADEMA RODOLPHO IMPONEBATVR, SPARSIS LATE RADIIS EFFVLSISSE, ET A MVLTIS MAGNO CVM STVPORE CONSPECTAM ESSE. OMEN HAVD DVBIVM, PER ILLVM POSTEROSQVE EIVS, SS. CRVCIS GLORIAM FORTITER PROPVGNANDAM, ET QVAM LATISSIME AD IPSOS VSQVE ANTIPODAS PROPAGANDAM ESSE.

INDE AD RES IMPERII COMPONENDAS CONVERSVS, PRIMO QVIDEM EBERHARDVM COMITEM VVIRTENBERGICVM, MARCHIONES BADENSES, FRIBVRGENSES QVOQVE AC NEOBVRGENSES COMITES, ALIOSQVE GERMANIÆ REGVLOS XV. QVI INTERREGNI TEMPORE PER SVEVIAM, ALZATIAM, FRANCONIAM, BRISGOIAM, VARIAS IMPERII DITIONES INVASERANT, DVCTO IN EOS VALIDO EXER-

EXERCITV, AC CONSPIRATIONE EORVM OPPRESSA, ABLATA REDDERE, PACEM SVPPLICES PETERE, ET DEBITA OBSEQVIA PRÆSTARE COEGIT.

OTTOCARVM ITEM BOHEMIÆ REGEM, QVI FREDERICO, EX BABENBERGICA GENTE POSTREMO AVSTRIÆ DVCE, VNAQVE CONRADINO, SVEVIÆ PRINCIPE, A CAROLO ANDEGAVENSE, NEAPOLITANORVM REGE, BELLO CAPTIS ET SECVRI PERCVSSIS, AVSTRIAM HEREDIBVS VACVAM INIVSTVS POSSESSOR OCCVPARAT, AD PRINCIPVM COMITIA SÆPIVS FRVSTRA VOCATVM, HOSTEM IMPERII DECLARAT, BELLOQVE IN ILLVM DECRETO, VIENNAM, AVSTRIÆ METROPOLIM, CAPIT.

TVM OTTOCARVS PACIS CONSILIA AMPLEXVS, IN CASTRA AD RODOLPHVM CÆSAREM VENIT: AVSTRIA, STIRIA, CARINTHIA, CARNIOLIA, ALIISQVE IMPERII DITIONIBVS A SE PER INTERREGNVM OCCVPATIS, CEDERE; ET BOHEMIAM CVM MORAVIA, EIVS BENEFICIO RECIPERE, VTQVE CLIENTEM SE GERERE PARATVM DECLARAT.

CVMQVE SVB TENTORIO, CORAM SOLIS PRINCIPIBVS GENV FLEXO, FIDEM CÆSARI PRÆSTARE ADNISVS ESSET; ELVSA EIVS SVPERBIA, TENTORIVM DE INDVSTRIA SOLVTIS VNDIQVE VELARIIS ADAPERTVM EST: VISVSQVE EST OTTOCARVS AB VTROQVE EXERCITV IN GENV PROCVMBERE, ET FIDEM DE MORE PRÆSTARE: PLAVDENTIBVS OB HOC FACTVM GERMANIS, BOHEMIS VERO NEQVIDQVAM FRENDENTIBVS.

SEMPER ALIAS ELATVM AC SVPERBVM OTTOCARI INGENIVM VXOR EIVS CVNEGVNDIS, FEMINA SVPRA SEXVM FEROX, TRANSVERSVM AGEBAT. ILLA MARITVM REDVCEM VERBIS ACERBISSIMIS EXCIPIT, IGNAVIAMQVE EIVS ET VECORDIAM INCREPAT, QVOD NOBILISSIMAS PROVINCIAS CITRA PRÆLII ALEAM, NVLLA NECESSITATE COACTVS, ABDICASSET.

ITAQVE, VT EXSTINCTA PARVM FIDELITER INCENDIA MAIORI FLAMMA REVIVISCVNT; SIC OTTOCARVS DE INTEGRO AVCTIS COPIIS, TOTA DENIQVE REGNI SVI MOLE, SOCIORVMQVE AVXILIIS SVBNIXVS IN AVSTRIAM RVRSVS PROPERABAT.

OCCVRRIT ILLI CÆSAR XX. MILLIBVS EQVITVM A STEPHANO HVNGARIÆ REGE ADIVTVS, DVCTORE LADISLAO, EIVS FILIO; COLLATISQVE AD OPPIDVM LAHAM SIGNIS, OTTOCARVS DESIDERATIS XIV. SVORVM MILLIBVS, CASTRIS EXVITVR, ET A STIRO QVODAM NOBILI MVLTIS VVLNERIBVS CONFOSSVS INTERFICITVR, VII. KAL. OCTOB. ANN. M. CC. LXXVIII.

MOX CONVENTV IGLAVIÆ INDICTO, CÆSAR VVENCESLAO, OTTOCARI FILIO, PACEM DEDIT, ET IN REGNO CONFIRMAVIT, HAC LEGE, VT IVDITHAM CÆSARIS FILIAM VVENCESLAVS, ET VICISSIM RODOLPHVS IVNIOR, CÆSARIS FILIVS, AGNETEM, OTTOCARI FILIAM, MATRIMONIO SIBI IVNGERET, CVM CERTA SVCCESSIONIS SPE, SI VVENCESLAVS PROLE MASCVLA NON SVSCEPTA DECEDERET.

INDE CÆSAR VIENNAM VICTOR INGRESSVS, FAVSTISQVE OMNIVM ACCLAMATIONIBVS EXCEPTVS, REIPVB. CONSTITVENDÆ, REBVSQVE SVPERIORIS BELLI TEMPORE COLLAPSIS, IN MELIOREM STATVM REDVCENDIS, ANNVM INTEGRVM ILLIC COMMORATVR.

ÆDEM, QVAM HONORI SS. CRVCIS, SI VICTORIA ADVERSVS OTTOCARVM POTIRI DEVS CONCEDERET, VOVERAT, TVLNÆ AVSTRIÆ OPPIDO, EX BOHEMICIS MANVBIIS VOTI DAMNAS POSVIT.

COMITIIS AVGVSTÆ VINDELICORVM INDICTIS, EX PRINCIPVM SENATVS-CONSVLTO, ALBERTO FILIO SVO, AVSTRIAM, STIRIAM, CARNIOLIAM, ET VINDORVM MARCHAM; MEINARDO TIROLENSIVM COMITI, CARINTHIAM, TARVISIVM, ET VICINA LOCA, IMPERII BENEFICIO CONCEDIT.

RODOLPHVM ITEM, ALTERVM FILIVM SVVM, SVEVIÆ DVCEM, ALSATIÆ LANDGRAVIVM, ET ERGOVIÆ COMITEM DECLARAT.

PERACTIS COMITIIS, IN EBERHARDVM VVIRTEMBERGICVM SECVNDO BELLVM MOVIT, STVDGARDIAM OPPIDVM, VBI IS AGEBAT, OBSIDET; SED MOGVNTINI PRÆSVLIS INTERVENTV PACATVS CÆSAR, OBSIDIONEM SOLVIT, ET BELLO ERIPTA EIDEM RESTITVIT.

SVEVIÆ SVPERIORIS LOCA, ESLINGAM, REVTLINGAM, HEILBRVNNAM, MOENIBVS CINGI, ET EX PAGIS OPPIDA FIERI IVSSIT.

PRÆDONVM ARCIBVS LXXX. EXPVGNATIS, ITINERA PER GERMANIAM TVTA ET SECVRA PRÆSTITIT.

PSEVDO-FREDERICVM, IMAGINARIVM ET SCENICVM IMPERATOREM, QVI SE PRO FREDERICO II. CÆSARE, MVLTOS IAM ANNOS IN APVLIA MORTVO, OSTENTABAT, NOVANDISQVE REBVS STVDEBAT, NEC PAVCAS VRBES AD SE PELLEXERAT, CAPTVM NOVESII EXVSSIT.

PATERNIACVM ET MORATVM, HELVETIORVM OPPIDA, EXPVGNAVIT, ET COMITI SABAVDIÆ ERIPVIT.

RODOLPHVM HOHENECCIVM, IMPERII VICARIVM PER ITALIAM CONSTITVIT, VRBESQVE IN EA IMPERIALES PER EVMDEM PARTIM IMPERIO RESTITVIT, PARTIM LIBERTATE DONAVIT.

IN REGINALDVM MONTIS-BELGARDI, ET OTTONEM BVRGVNDIÆ COMITES, FRATRES, EXPEDITIONEM SVSCIPIENS, MONTEM-BELGARDVM OCCVPAT, VESONTIONEM OBSIDIONE PREMIT; COMITES, VRBEMQVE AD OBSEQVIVM REDVCIT.

OBSERVATIONE DIGNISSIMVM EST, AVGVSTAM AVSTRIÆ DOMVM, A RODOLPHO CÆS. EO IPSO TEMPORE, COMMVNI ORBIS CHRISTIANI BONO, ESSE CONDITAM, QVO OTTOMANNICA FAMILIA, DAMNO PVBLICO EMERSIT: EIVSDEMQVE TYRANNIDI INTRA LIMITES COERCENDÆ, VELVT INCONCVSSVM PROPVGNACVLVM DIVINITVS OBIECTAM ESSE.

DEMVM CÆSAR GERMANIA PACATA, IMPERIOQVE RESTITVTO, IAM SENIO CONFECTVS, DVM SPIRAM TENDIT, IN ITINERE FEBRICVLA CORREPTVS, MORITVR IN OPPIDO GERMERSHEMIO, ANNO SAL. M. CC. XCI. AD XVII. KAL. AVG.

VIXIT ANNOS LXXIII. MENS. II. DIES XV.

IMPERAVIT ANNOS XVIII.

IMP.

IMP. CÆS.

ALBERTVS I.

DIVI RODOLPHI FIL.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX STIRIÆ,

COMES HABSBVRGI, LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

DOMINVS CARNIOLIÆ, VINDORVM MARCHÆ, PORTVS NAONIS, &c.

ALBERTVS I. RODOLPHO AVG. ET ANNA HOHENBERGICI COMITIS FILIA NATVS, MILITIÆ TIROCINIA SVB PATRE CÆSARE FELICITER EXORSVS, IN PRÆLIO ILLO MEMORABILI QVO OTTOCARVS, BOHEMIÆ REX, OCCVBVIT, SIGNVM MILITARE CVM CHRISTI SERVATORIS IMAGINE, CRVCI AFFIXA, PATRI RODOLPHO PRÆTVLIT.

PRIMVS EX FAMILIA HABSBVRGICA, AVSTRIÆ, LEGITIMO HEREDE VACVÆ, ARCHIDVX A CÆSARE IN COMITIIS AVGVSTÆ VINDELICORVM HABITIS, DECLARATVS EST, ANNO M. CC. LXXXII. NON PRINCIPVM MODO, ORDINVMQVE IMPERII CONSENSV, SED ET PRECIBVS EARVM PROVINCIARVM, QVAS E SERVITVTE REGIS OTTOCARI, IMPERATOR VINDICAVERAT.

INITIO PRINCIPATVS IN HVNGARIAM MOVENS, DE GVNZENSIBVS COMITIBVS, QVI AVSTRIÆ FINES FERRO ET IGNE VASTAVERANT, OPPIDIS EORVM ET ARCIBVS OCCVPATIS, VINDICTAM SVMPSIT.

ANDREAM, STEPHANI HVNGARIÆ REGIS FILIVM, VENETIIS, VBI CVM MATRE EXVLAVERAT, PER AVSTRIAM AD CAPESSENDA REGNI INSIGNIA, ITER FACIENTEM, OB GRAVIA AB HVNGARIS DAMNA SIBI ILLATA, APVD SE DETINVIT, DONEC IVREIVRANDO DE PACE SERVANDA, FILIAQVE ALBERTI DVCENDA, CAVERET.

CVM SALISBVRGICO, ALIISQVE PRINCIPIBVS VICINIS, CONTROVERSIIS HINC INDE COMPOSITIS, FŒDVS ET AMICITIAM INIIT.

RODOLPHO AVG. VITA FVNCTO, ELECTORVM QVORVMDAM STVDIIS, PATRI SVCCESSOR DESTINATVS ERAT ALBERTVS; SED PRÆSVLIS MOGVNTINI ARTIBVS ADOLPHVS NASSOVIÆ COMES, ILLI PRÆLATVS EST. CVI CVM FACVLTATES, DIGNITATI ET SPLENDORI IMPERII SVSTINENDO PARES, DEESSENT, DE COMMVNI ELECTORVM, ADEOQVE IPSIVS MOGVNTINI ANTISTITIS, DECRETO, IMPERIVM ILLI ABROGATVM EST, ET ALBERTVS, IN EIVS LOCVM, CÆSAR DESIGNATVS.

IS ADOLPHVM IMPERII TITVLOS ET INSIGNIA ABDICARE DETRECTANTEM, ARMISQVE EA SIBI ASSERENTEM, APVD VANGIONES, IN AGRO SPIRENSI, PRÆLIO SVPERAVIT ET OCCIDIT, VI. NON. IVL. ANNO M. CC. XCVIII.

MOX FRANCOFVRTI SOLEMNI RITV ALBERTVS IMPERATOR RENVNTIATVS, ET PAVLLO POST AQVISGRANI CORONATVS EST: EO HOMINVM CONCVRSV AC FREQVENTIA, VT AB INFVSA MVLTITVDINE DVX SAXONIÆ OPPRESSVS EXPIRARIT.

PRIMA COMITIA CELEBRAVIT NORIBERGÆ, VBI PRINCIPVM INTERCESSIONE, CVM CÆSARE IN GRATIAM REDIIT OTTO DVX BAVARIÆ.

RODOLPHVS, CÆSARIS FILIVS, ARCHIDVX AVSTRIÆ IBIDEM CREATVS EST, QVI MOX BLANCAM, PHILIPPI PVLCHRI, GALLORVM REGIS, FILIAM, VXOREM DVXIT.

DIETHERVM NASSOVIVM, ADOLPHI CÆS. FRATREM, TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPVM ET ELECTOREM: THEOBALDVM, PHYRETARVM COMITEM, ALIOSQVE IMPERII PRINCIPES, IN SE CONIVRATOS, RESQVE NOVAS MOLIENTES, IN ORDINEM REDEGIT.

IN VVENCESLAVM BOHEMIÆ ET POLONIÆ REGEM, OB NEGATAS ARGENTIFODINARVM CVTHNENSIVM APVD BOHEMOS DECVMAS, ARMA MOVIT.

CVM ANDREA ITEM HVNGARIÆ REGE, QVI AVSTRIAM LATROCINIIS INFESTABAT, VARIA GESSIT BELLA. REGE MORTVO, HVNGAROS, QVI AGNETEM EIVS VXOREM VIDVAM, ALBERTI FILIAM, CVM NEPTE COGNOMINE, IN CVSTODIAM ABDIDERANT, NEC PRO DIGNITATE TRACTARANT, VT EASDEM CVSTODIA LIBERAS, IN AVSTRIAM REMITTERENT, ARMIS COMPVLIT.

VVENCESLAO V. EIVS NOMINIS, BOHEMORVM REGE, SINE HEREDE E VIVIS SVBLATO, RODOLPHVM FILIVM SVVM AD BOHEMIÆ REGNVM, IVXTA PACTVM CVM VVENCESLAO IV. INITVM, EVEXIT. SED ET ILLO VIX PER ANNVM SVPERSTITE, CVM FRIDERICVM FILIVM, RODOLPHI FRATREM, SVCCESSOREM ILLI ALBERTVS DESTINAT, HENRICVS CARINTHIÆ DVX, ADNITENTIBVS QVIBVSDAM BOHEMIÆ PROCERIBVS, REGNVM OCCVPAT.

CÆSAR DVM, INGENTI QVINQVAGINTA MILLE PEDITVM, ET III. MILL. EQVITVM EXERCITV COMPARATO, IN BOHEMIAM ADVERSVS HENRICVM EXPEDITIONEM ADORNAT, A IOANNE, FRATRIS SVI FILIO, ADOLESCENTE PRODIGO, ALIISQVE QVIBVSDAM CONIVRATIS, INFANDO SCELERE INTEREMPTVS EST, CVM RHENVM TRANSIT PROPE VINDONISSAM, CELEBREM OLIM ROMANORVM, APVD HELVETIOS, COLONIAM, ANNO M. CCC. VIII. IPSIS KAL. MAII.

HVNC TAM MISERANDVM VITÆ EXITVM HABVIT CÆSAR, RERVM GESTARVM GLORIA, TRIVMPHATORIS COGNOMEN PROMERITVS. ET QVI TOT BELLIS A POTENTISSIMIS HOSTIBVS LACESSITVS INVICTVM SE PRÆSTITERAT, AC DVODECIES COLLATA ACIE CONFLIXERAT, NEFARIO SVORVM PARRICIDIO CONFOSSVS IACVIT.

CONIVRATI OMNES DEINDE, IVSTIS AFFECTI SVPPLICIIS, DIGNAS ATROCISSIMI FACINORIS POENAS LVERVNT.

IMPERAVIT ANNOS IX. MENS. IX.

IMP.

IMP. CÆS.

FREDERICVS III.

PVLCHER,

DIVI ALBERTI FIL. DIVI RODOLPHI NEP.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SVEVIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS,

LANDGRAVIVS ALSATIÆ, &c.

FREDERICVS ALBERTI I. AVG. ET ELISABETHÆ CARINTHIÆ FILIVS, OB FORMÆ ELEGANTIAM PVLCHRI COGNOMENTO DONATVS, CVM LEOPOLDO FRATRE ACERRIMVM SESE PATERNÆ CÆDIS VLTOREM PRÆSTITIT.

AB HENRICO VII. AVG. LVCEMBVRGICO, ALBERTI SVCCESSORE, IN AVSTRIÆ AC STIRIÆ, ALIARVMQVE PROVINCIARVM POSSESSIONE CONFIRMATVS, MOTVS A PROCERIBVS IN AVSTRIA CONCITATOS OPPRESSIT.

IN BAVARIAM MOVENS CVM SALISBVRGICO ANTISTITE, BELLI SOCIO, RIETHVM OPPIDVM ATQVE ARCEM AD DEDITIONEM COMPVLIT.

HENRICO CÆS. ANNO M. CCC. XIII. IN ITALIA REBVS HVMANIS EXEMPTO, POST ANNI VNIVS INTERREGNVM, FREDERICVS AB ELECTORIBVS NONNVLLIS AD IMPERIVM VOCATVS, CVM EXERCITV FRANCOFVRTVM PERGIT.

ORTVM MOX INTER SEPTEMVIROS DISSIDIVM: HIS IN FREDERICVM ARCHIDVCEM; ILLIS IN LVDOVICVM, BAVARIÆ DVCEM, RODOLPHI AVG. EX FILIA NEPOTEM, CONSOBRINOS, INCLINANTIBVS.

AMBO IGITVR, A SVA QVISQVE FACTIONE, ELECTI, FREDERICVS BONNÆ A COLONIENSI: LVDOVICVS AQVISGRANI A MOGVNTINO, CORONATI SVNT.

HINC CVM ALTER ALTERVM VITIO CREATVM ESSE CONTENDERET, AC NEVTER IMPERII INSIGNIA DEPONERET, MVLTIS MAGNISQVE CLADIBVS, ET INTESTINO BELLO GERMANIAM INVOLVERVNT.

FREDERICVS HEIDELBERGAM, LVDOVICVS OPPENHEMIVM VIRES VNDIQVE CONTRAHVNT; ET QVAM POTEST QVISQVE PLVRIMOS, DONIS, PROMISSIS, PRECIBVS, MINISQVE AMICOS ET FAVTORES SIBI CONCILIANT.

SVPERIORES AD RHENVM VRBES AVSTRIACVM, INFERIORES BAVARVM AGNOSCEBANT.

AD ESLINGAM, SVEVIÆ OPPIDVM, COLLATIS SIGNIS INTER EOS PRÆLIVM COMMISSVM EST, IN QVO MVLTIS VTRIMQVE NOBILIBVS VIRIS, INTER CETEROS, PARTIM CÆSIS PARTIM CAPTIS, DVBIO MARTE EST DISCESSVM.

BINA EQVITVM MILLIA CVM MAGNIS PEDITVM COPIIS FREDERICVS, HENRICO FRATRE SVO DVCTORE, IN ITALIAM PONTIFICI SVPPETIAS MISIT, ADVERSVS GIBELLINAM FACTIONEM, LVDOVICI PARTES FOVENTEM.

ELISABETHAM, IACOBI ARRAGONVM REGIS FILIAM, MAGNA PRINCIPVM ET NOBILIVM FREQVENTIA, BASILEÆ IN VXOREM DVXIT.

AD ARGENTORATVM DEINDE CÆSARES, CVM VALIDO VTERQVE EXERCITV, CONVENIVNT. FREDERICVS AD PVGNAM SE COMPARAT, SVOSQVE EXTRA VALLVM IN ACIEM EDVCENS, DECERTANDI POTESTATEM LVDOVICO FACIT. IS VERO AVSTRIACVM ITA ANIMATVM ESSE, VT VLTRO PROVOCARET, ADMIRATVS, PVGNAM IN TEMPVS MAGIS IDONEVM DIFFERENDAM ESSE DECERNIT, ET HAGANOAM SE RECIPIT.

INTERIECTIS DEHINC ALIQVOT ANNIS, FREDERICVS AVXILIIS A CAROLO HVNGARIÆ REGE SVBMISSIS, INSTRVCTVS, CVM NVMEROSO EXERCITV BAVARIAM INGREDITVR, CVI LVDOVICVS, SVIS ET BOHEMICIS COPIIS FRETVS, OCCVRRIT.

FREDERICVS DVM PVGNÆ AVIDVS LEOPOLDVM FRATREM, QVI CVM INGENTI SVEVORVM ET RÆTORVM MVLTITVDINE AD IPSVM PROPERABAT, EXPECTARE LONGVM PVTAT, ET AD PRÆLIVM TEMERE FESTINAT, EXEMPLO SVO DOCVIT, NIMIA FIDVCIA QVANTÆ CALAMITATI SOLEAT ESSE.

AD MVLDORFIVM COMMITTITVR ATROX PVGNA, IN QVA FREDERICVS OMNIA EGREGII IMPERATORIS ET STRENVI MILITIS OFFICIA EXECVTVS, CVM HVNGARI TVRBATIS ORDINIBVS IN EFFVSAM FVGAM SESE DEDISSENT, CAPTVS EST, VNAQVE EIVS FRATER HENRICVS, ANN. M. CCC. XXII. IV. KAL. OCTOB.

LEOPOLDVS, QVI NON TOTO DIEI VNIVS ITINERE ABERAT, AVDITA FRATRVM SVORVM FORTVNA, MOESTVS BASILEAM REDIIT.

FREDERICVS IN ARCE TRAVSNITZIA PER TRIENNIVM ASSERVATVS EST.

DEMVM CERTIS CONDITIONIBVS INITIS, PARI (VT AVCTORES NON PAVCI TESTANTVR) POTESTATE ET IVRE IN POSTERVM CVM LVDOVICO IMPERATVRVS, LIBERTATI RESTITVITVR, ANNO M. CCC. XXV. AC VIENNAM IN AVSTRIAM REVERSVS, INGENTI OMNIVM ORDINVM LÆTITIA RECIPITVR.

Cuspinian. Austriâ. *Lazius,* Genealog. Austriacâ.

DECESSIT IN ARCE GVTENSTAINIA, ANNO SALVTIS M. CCC. XXX. IMPERII XV.

IMP.

IMP. CÆS.

ALBERTVS II.

DIVI ALBERTI I. ABN. DIVI RODOLPHI I. ADN.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX SILESIÆ ET LVXEMBVRGI,

MARCHIO MORAVIÆ ET LVSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, &c.

FORTVNAM OLIM DVPLICI NOMINE, PRIMIGENIAM, ET REVERTENTEM, COLVIT ANTIQVITAS. ILLAM SIC DIXERE, QVÆ A PRIMO CVIVSQVE ORTV, INOFFENSO FELICITATIS CVRSV, ALVMNOS SVOS FOVERET; HANC VERO, QVÆ SOLITO EIVS FAVORE DESTITVTIS, BENIGNAM SESE DENVO FIDAMQVE COMITEM ADIVNGERET.

ET SANE PRIMIGENIA AVSTRIACORVM ARCHIDVCVM FORTVNA, POST IMP. CÆS. FREDERICVM III. COGNOMENTO PVLCHRVM, BAVARIS ET LVXEMBVRGICIS TOTO SÆCVLO IMPERIVM OBTINENTIBVS, PAVLISPER DEFECISSE VISA EST.

AT MOX REVERTENS, BENIGNIORI OCVLO EOSDEM PRINCIPES RESPEXIT, DVM ALBERTVM, AVSTRIÆ ARCHIDVCEM, IMP. CÆS. SIGISMVNDI AVG. GENERVM, VELVT ERROREM SVVM CONFESSA, FESTINATIS CVMVLATISQVE HONORIBVS, AD HVNGARIÆ BOHEMIÆQVE SCEPTRA, IPSVMQVE ROMANI IMPERII FASTIGIVM, VNIVS ANNI SPATIO, INVSITATO FELICITATIS EXEMPLO, EVEXIT.

ALBERTVS PATREM, AVVM, PROAVVM, ABAVVMQVE, AVSTRIÆ EX ORDINE ARCHIDVCES, SIBI COGNOMINES HABVIT, ATAVVMQVE ITEM, ALBERTVM I. RODOLPHI I. AVG. FILIVM: MATREM, IOANNAM, ALBERTI BAVARI, HANNONIÆ, HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ PRINCIPIS, FILIAM.

PVER ANNVM ÆTATIS X. AGENS, PATREM IN OBSIDIONE ZNOYMÆ, MORAVIÆ OPPIDI, AMISIT. IDEOQVE DE EIVS TVTELA DIGLADIANTIBVS INTER SE PATRVIS, AVSTRIA GRAVISSIMIS CLADIBVS AFFLICTA EST.

PVBERTATEM EGRESSVS, PRINCIPATVS GVBERNACVLA IPSE ADIIT, AC PROVINCIAM INTESTINIS MOTIBVS ET LATROCINIIS DIV VEXATAM, PRISTINÆ SECVRITATI RESTITVIT.

BELLO DEINDE ADVERSVS HVSSITAS, ZISCA DVCE, IN BOHEMIA TVMVLTVANTES, EXORTO, CVM IV. EQVITVM MILLIBVS, EGREGIAM SIGISMVNDO CÆ-

SARI OPERAM NAVAVIT. VNDE FACTVM, VT SPECTATA ALBERTI VIRTVTE, EIVSQVE IN SE MERITIS PROVOCATVS CÆSAR, FILIAM SVAM VNICAM ELISABETHAM, ILLI IN MATRIMONIVM DEDERIT.

MORTVO PAVLLO POST SIGISMVNDO, ALBERTVS HVNGARIÆ PRIMVM, MOX BOHEMIÆ REX DECLARATVS EST; TVM EX SVPREMA SOCERI VOLVNTATE, TVM EX PRISCO BOHEMICÆ GENTIS CVM AVSTRIACIS FOEDERE, PROCERVM CONSENSV ET CÆSAREA AVCTORITATE FIRMATO, VT NEMPE DEFICIENTIBVS IN ALTERA DOMO MASCVLIS HEREDIBVS, ALTERA IN REGNVM SVCCEDERET.

Ann. Syl. Piccolomineus Pii. Mart. Historr. Bohem. cap. 50. Lazius Gens. L. Aulic. libr. 11.

SEPTEMVIRI QVOQVE PRINCIPES ELECTORES FRANCOFVRTI AD MOENVM CONGREGATI, VNANIMI SENTENTIA ALBERTVM ROMANORVM IMPERATOREM RENVNTIARVNT, XIII. KAL. APRIL. ANN. SAL. M. CCCC. XXXVIII.

ATQVE AB EA ELECTIONE, AVSTRIACÆ GENTIS PRINCIPES, ROM. IMPERII FASTIGIVM, MAIESTATEMQVE QVASI PER MANVS TRADITAM, IN HÆC VSQVE TEMPORA, NON INTERRVPTA SERIE, PER ANNOS IAM DVCENTOS, CVM SVMMA RERVM GESTARVM GLORIA AC REIPVB. CHRISTIANÆ COMMODO, FELICITER TVENTVR.

POST SOLEMNEM IMPERII INAVGVRATIONEM AQVISGRANI FACTAM, CÆSAR COLLECTO PER AVSTRIAM MILITE, IN BOHEMIAM MOVENS, PTASCONEM, PODIEBRADIVM, ALIAQVE HVSSITICÆ FACTIONIS CAPITA, QVI CASIMIRVM, VLADISLAI, POLONIÆ REGIS, FRATREM, IN SPEM REGNI EVOCARANT, OPPRESSIT. IPSVMQVE VLADISLAVM MAXIMO EXERCITV BOHEMIÆ APPROPINQVANTEM, RETRO QVA VENERAT, CEDERE, ATQVE INTRA SVOS FINES QVIESCERE COEGIT: TOTAMQVE SILESIAM A POLONIS, QVI AGROS DEPOPVLABANTVR, SECVRAM REDDIDIT.

ADVERSVS AMVRATHEM TVRCARVM TYRANNVM, QVI SVPERIOREM MOESIAM INVASERAT, AC PANNONIAM INGENTI TERRORE PERCVLERAT, CVM MAXIMIS COPIIS PROFECTVS, CASTRA INTER TIBISCVM ET DANVBIVM AMNES MVNIT, EOQVE AVXILIA VNDIQVE PROPERARE IVBET.

TVRCA, EIVS ADVENTV COGNITO, SYNDEROVIA ARCE ATQVE OPPIDO, AD DANVBII RIPAM, EXPVGNATO, RETROCESSIT.

CÆSAR DE TVRCARVM ABITV CERTIOR, DIMISSO EXERCITV, BVDAM REVERTITVR. SED INSOLITO ARDENTIS SIRII CALORE VEXATVS, DVM IMMODERATO MELOPEPONVM ESV ÆSTVM LEVARE CONATVR, IN DYSENTERIAM INCIDIT.

QVARE IN AVSTRIAM PROPERANS, INGRAVESCENTE MALO, PRINCEPS RELIGIOSISSIMVS, ET LONGIORE VITA DIGNISSIMVS PROPE STRIGONIVM MORITVR, VI. KAL. NOVEMB. ANN. M. CCCC. XXXIX.

ATQVE ITA, AMOREM ET DELICIAS GENERIS HVMANI, VT OLIM TITVM, INFESTA MORTALIBVS NVMINA, INTRA BIENNIVM SVSTVLERE, ÆTATIS SVÆ ANNO XLIV. NATVS ILLI FVIT POSTHVMVS LADISLAVS, HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX, ATQVE ARCHIDVX AVSTRIÆ.

IMPERAVIT ANNVM I. MENS. VII.

IMP.

Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

FREDERICVS IV.

DIVI ALBERTI I. ABN. DIVI RODOLPHI I. ADN.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SVEVIÆ, &c.

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

FREDERICVS IV. COGNOMENTO PACIFICVS, ERNESTI AVSTRIÆ ARCHIDVCIS, ET CIMBVRGÆ MAZOVIÆ FILIVS, NATVS EST AENIPONTI APVD TIROLENSES, ANNO CIↃ. CCCC. XV. AD IX. KAL. OCTOB. HIEROSOLYMAM, ÆTATIS SVÆ ANNO XXI. PIETATIS ERGO PROFECTVS, LOCA SACRIS CHRISTI SERVATORIS CALCATA VESTIGIIS, EIVSQVE SEPVLCHRVM EST VENERATVS.

ALBERTO II. AVG. PATRVELE SVO, ANTE DIEM VITA FVNCTO, CONSPIRANTIBVS ELECTORVM SVFFRAGIIS, FRANCOFVRTI IN EIVS LOCVM SVFFECTVS EST, III. KAL. APRIL. ANN. CIↃ. CCCC. XL. ET DEINDE AQVISGRANI CORONATVS.

LADISLAO ALBERTI II. AVG. FILIO POSTHVMO TVTOR DATVS, EVMDEM VEL ADHVC IN CVNIS VAGIENTEM, IN HEREDITARIA HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGNA, AVSTRIÆQVE ARCHIDVCATVM INAVGVRARI CVRAVIT: EODEMQVE VSQVE AD PVBERTATIS ANNOS SANCTE APVD SE EDVCATO, MAXIMIS EAM OB REM DIFFICVLTATIBVS BELLISQVE CONFLICTATVS, AVSTRIAM COMMVNIBVS CVM ELISABETHA AVG. PVPILLI MATRE, AVSPICIIS, ADMINISTRAVIT.

SCHISMATE IN ECCLESIA EXORTO, FREDERICI OPERA AMEDEVS ALLOBROX PONTIFICATV SE ABDICAVIT.

REBVS IN AVSTRIA AC BOHEMIA COMPOSITIS, IN ITALIAM PROFECTVS, HELEONORAM, EDVARDI LVSITANIÆ REGIS FILIAM, ROMÆ IN VXOREM DVXIT, NICOLAO V. PONT. MAX. SOLEMNI RITV DEXTRAS IVNGENTE, BENEQVE IPSIS AC POSTERITATI OMINANTE.

TERTIO POST DIE, CÆSAR INGENTI POMPA IN ROM. IMPERATOREM CONSECRATVS, CORONAM ET ALIA ROM. IMPERII INSIGNIA ACCEPIT, ACCLA-"MANTE POPVLO ROMANO: FREDERICO PACIFICO, A DEO CORONATO IMP. "VITA ET VICTORIA.

HINC AB ALPHONSO ARRAGONIO, NEAPOLITANORVM REGE, HELEONORÆ AVG. AVVNCVLO, INVITATVS, NEAPOLIM AD ILLVM DIVERTIT, MAXIMISQVE HONORIBVS EXCEPTVS EST.

FERRARIAM DIGRESSVS, BORSIVM ESTENSEM, MVTINÆ RHEGIIQVE DVCEM, ET ROVIGII COMITEM CREAVIT.

EX ITALIA IN GERMANIAM REDVX, CVM PLENA OMNIA TVMVLTVVM IBI REPERISSET, HVNGARIS BOHEMISQVE LADISLAVM REGEM, IAM PVBERTATIS ANNOS EGRESSVM, SIBI TRADI CERTATIM FLAGITANTIBVS, SEDITIONES NASCENTES PROVIDE COMPOSVIT.

AVSTRIACOS QVOSDAM PERDVELLES, QVI DVCE EITZINGERO, ACCITISQVE BOHEMIS, CÆSAREM NEAPOLI AVSTRIÆ OBSIDERE AVSI ERANT, EO ADEGIT, VT PACEM SVPPLICES PETERE, ATQVE IN EAM REM AVRI SEX MILL. NVMMVM QVOTANNIS PENDERE COACTI FVERINT.

CILIENSEM COMITATVM, IN SVAM POTESTATEM REDACTVM, DITIONIBVS AVITIS ADIECIT, ET STIRIÆ PARTEM ESSE IVSSIT.

HENRICVM GORITIÆ COMITEM, QVI IN CARNIS TVMVLTVS EXCITAVERAT, IN ORDINEM REDEGIT.

LADISLAO, HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGE, IMMATVRA MORTE PRÆREPTO, ARCHIDVCATVM AVSTRIÆ SOLVS OBTINVIT, ET IN HVNGARIÆ REGEM, A MAGNA PROCERVM EIVS REGNI PARTE, ELECTVS EST.

COMITIIS RATISBONÆ, ATQVE ALIBI SÆPIVS, INDICTIS, PRINCIPES IMPERII AD BELLVM TVRCICVM COHORTATVS EST, QVOD MAHOMETES II. POST ORIENTIS IMPERIVM, CONSTANTINOPOLI CAPTA, A SE OCCVPATVM, GERMANIÆ VNIVERSÆ FORMIDABILIS IMMINERET.

CAROLVM, BELGARVM BVRGVNDIONVMQVE PRINCIPEM, IMPERATIS VNDIQVE AVXILIIS, DVCTO IN ILLVM LXXX. MILL. ARMATORVM EXERCITV, A NOVESII OBSIDIONE RECEDERE COEGIT: AMICITIA DENIQVE ET AFFINITATE SIBI COPVLAVIT, MARIA, CAROLI FILIA, ET HEREDE VNICA, MAXÆMILIANO, CÆSARIS FILIO, DESPONSA.

EIDEM QVOQVE MAXÆMILIANO, BRVGIS FLANDRORVM A SEDITIOSA PLEBE INDIGNE DETENTO, ET LIBERÆ CVSTODIÆ TRADITO, CVM INGENTIBVS COPIIS IN GERMANIAM INFERIOREM DESCENDENS, SVCCVRRIT: EODEMQVE IN LIBERTATEM ASSERTO, PAVCORVM POENA CONTENTVS, DISCORDIARVM FOMITEM SVSTVLIT.

GERMANIAM BELLIS PERPETVIS FATIGATAM LONGA PACE RECREAVIT: QVAM EODEM TENORE, QVOADVSQVE RERVM POTITVS EST, SVMMA MODERATIONE COLVIT.

OBIIT LINTZII IN AVSTRIA XIII. KAL. SEPTEMB. ANNO CIↃ. CCCC. XCIII.

VIXIT ANN. LXXVIII.

IMPERAVIT ANN. LIII. MENS. IV.

IMP.

IMP. CÆS.

MAXAEMILIANVS I.

DIVI FREDERICI IV. FIL.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

PRINCEPS BELGARVM ET BVRGVNDIONVM,

DVX STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SVEVIÆ, &c.

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

MAXÆMILIANVS, FREDERICI IV. IMP. ET HELEONORÆ LVSITANÆ FILIVS, NASCITVR NEAPOLI AVSTRIÆ, XII. KAL. APRIL. ANNO CIↃ. CCCC. LIX. AD MILITIAM, ARMORVMQVE MVNIA ANIMVM A NATVRA FACTVM HABERE VIDEBATVR. ADEOQVE EA ÆTATE, QVA VIX ALII PRIMA MILITIÆ TIROCINIA FACIVNT, MAXIMA BELLA SVO DVCTV ET AVSPICIIS ADMINISTRAVIT.

DVODEVIGESIMO ÆTATIS ANNO, MARIAM, CAROLI BVRGVNDIÆ DVCIS, BELGARVMQVE PRINCIPIS, AD NANCÆVM CÆSI, FILIAM, AMPLISSIMARVM DITIONVM HEREDEM VNICAM, GANDAVI, FLANDRIÆ METROPOLI, IN VXOREM DVXIT. ET AB IPSIS STATIM NVPTIIS, AD CONSTITVENDVM BELGICÆ REIP. STATVM, A LVDOVICO XI. GALLIARVM REGE PENE CONVVLSVM, SERIO SE CONVERTIT.

AD GVYNEGATAM IN MORINIS, INGENTES GALLORVM COPIAS DELEVIT, ET NON EXIGVAM HANNONIÆ PARTEM, VNA CVM CAMERACO, RECEPIT.

MARIA CONIVGE INTER VENANDVM EX EQVO LAPSA, AC PAVLLO POST FATO FVNCTA, FLANDRICAS FACTIONES, OB PHILIPPI FILII TVTELAM ORTAS, COMPESCVIT.

VIGESIMVM OCTAVVM ÆTATIS ANNVM AGENS, FRANCOFVRTI REX ROMANORVM DECLARATVS, AQVISGRANI INAVGVRATVR, ET DEINDE PATRE FREDERICO AVG. MORTVO, PLENO IVRE IN IMPERIVM SVCCEDIT.

A MORTE MATTHIÆ CORVINI, HVNGARORVM REGIS, QVI MAGNAM AVSTRIÆ PARTEM, EIVSQVE METROPOLIM VIENNAM OCCVPARAT, NON SOLVM AVITVM PATRIVMQVE PRINCIPATVM RECVPERAVIT; SED ET ALBAM REGALEM, CIVITATEM NOBILISSIMAM, ALIASQVE IN PANNONIA VRBES EXPVGNAVIT.

ATREBATVM, ARTESIÆ CAPVT, INSIGNI STRATAGEMATE, DECEPTIS HOSTIVM CVSTODIIS, IN POTESTATEM REDEGIT.

TVRCARVM INNVMERABILES COPIAS, QVI CARNIOLIAM, CILIAM, CARINTHIAM, STIRIAM, FERRO FLAMMAQ. DEPOPVLABANTVR, FVDIT FVGAVITQVE.

CAROLVM EGMONDÆ REGVLVM, QVI GALLORVM OPIBVS FRETVS, MVLTA TVRBAVERAT, GELDRIÆ DITIONE AC TITVLO, EX ELECTORVM PRINCIPVM DECRETO, ABSTINERE IVSSIT.

PHILIPPVM RHENI PALATINVM, SEPTEMVIRVM, ARROGANTIVS SE GERENTEM, AC MAGNIS BOHEMORVM COPIIS INSTRVCTVM, INGENTI CLADE AFFECIT, SVPPLICEMQVE FIERI COEGIT: OMNISQVE MOX INIVRIÆ OBLITVS, NVLLO NON BENEVOLENTIÆ GENERE ILLVM PROSECVTVS EST. PRÆCLARAM EAM VICTORIAM DVCENS, IN QVA PLVS ESSET CLEMENTIÆ, QVAM SEVERITATIS.

CVM VENETIS ANCIPITI MARTE PRIMVM CONGRESSVS, MOX AMPLISSIMAS EIVS REIPVB. VRBES, VERONAM, PATAVIVM, VINCENTIAM, FELTRIVM, ALIASQVE OCCVPAVIT.

MEDIOLANVM GALLIS EREPTVM, SFORTIÆ DVCI RESTITVIT.

GERMANIAM LATROCINIIS LIBERAM REDDIDIT; EADEM SVB EIVS FELICI IMPERIO TAM ARMIS, QVAM LITTERARVM STVDIIS EFFLORESCERE, CAPVTQVE SVPRA ALIAS NATIONES EXTOLLERE COEPIT.

MVLTA IN RE MILITARI PARTIM NOVA ATTVLIT, PARTIM MELIORA FECIT. PHALANGEM EX HASTATIS PEDITIBVS COMPOSITAM, ROMANÆQVE LEGIONIS ÆMVLAM, RESTITVIT. MILITIAMQVE PEDESTREM INTER GERMANOS IAM OBSOLESCENTEM, IN PRISTINVM ORDINEM ET SPLENDOREM REDEGIT.

ÆNIPONTI APVD TIROLENSES, INSTRVCTISSIMVM ARMAMENTARIVM INSTITVIT: ALTERA QVÆ VIENNÆ, BRISIACI, ET MECHLINIÆ MOLIEBATVR, MORTE PRÆVENTVS, NON ABSOLVIT.

ANTVERPIAM, TRADVCTIS EO OMNIVM GENTIVM COMMERCIIS, IN CELEBERRIMVM EMPORIVM EREXIT: BRVGARVM GRATIA, QVOD IBIDEM A FACTIOSA PLEBE IN CVSTODIAM DATVS FVISSET, APVD ILLVM SENESCENTE.

LIBERALITATIS EIVS ET MAGNIFICENTIÆ ARGVMENTO HOC SIT, QVOD IN MEMORABILI ILLO PRINCIPVM CHRISTIANORVM CONGRESSV. ANN. CIↃ. D. XV. VIENNAE CELEBRATO, TRES REGES, VLADISLAVM HVNGARIÆ, LVDOVICVM BOHEMIÆ, ET SIGISMVNDVM POLONIÆ, IMPENDIIS SVIS EXCEPERIT.

PHILIPPI FILII SVI, AVSTRIÆ ARCHIDVCIS, BELGARVM ET BVRGVNDIONVM PRINCIPIS, MATRIMONIO CVM IOANNA FERDINANDI ET ISABELLÆ CATHOLICORVM CASTELLÆ ET ARRAGONIÆ REGVM FILIA CONTRACTO, HISPANIAR. INDIARVMQ. IMPERIA IN AVGVSTAM AVSTRIÆ DOMVM INTVLIT.

DE MVTVO ITEM LIBERORVM ET NEPOTVM CONIVGIO, ET IVRE SVCCESSIONIS IN REGNIS HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ CVM VLADISLAO REGE, VIENNÆ TRANSEGIT. ADEOQVE STIRPE SVA SPLENDIDISSIMIS CONNVBIIS STABILITA, ALTER QVASI AVSTRIÆ FAMILIÆ CONDITOR DICI MERVIT.

EXCESSIT E VITA APVD VELSIVM, SVPERIORIS AVSTRIÆ OPPIDVM, PRID. EID. IANVAR. ANN. SAL. CIↃ. D. XIX.

VIXIT ANN. LIX. MENS. IX. DIES XXI. IMPERAVIT ANN. XXXII. MENS. XI.

IMP.



Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

CAROLVS V.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HISPANIARVM,

SICILIÆ, NEAPOLIS,

SARDINIÆ, HIEROSOLYMÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, INSVBRIÆ, &c.

PRINCEPS BELGARVM:

MAGNVS MEXICANI ET PERVANI ORBIS

MONARCHA:

OCEANI, ET PLVRIMARVM IN EO INSVLARVM,

CLAVSTRORVMQVE AFRICÆ, ATQVE ASIÆ DOMINVS, &c.

CONSPIRAVERE VIRTVS ET FORTVNA, VT CAROLVM AVG. AD SVPREMVM FELICITATIS ET POTENTIÆ FASTIGIVM EXTOLLERENT. QVIN ET IPSA RERVM NATVRA, VELVT DIGNVM TANTO HEROI METARETVR HOSPITIVM, NOVO ORBE, PAVLLO ANTE ILLIVS NATIVITATEM, AVI EIVS AVSPICIIS INVENTO, LATIVS SESE APERVIT AC DETEXIT: QVASI MAIORI SPATIO OPVS ESSE IVDICARET, QVO ILLÆ NASCITVRI PRINCIPIS, POST OMNIA SÆCVLA MAXIMI, VIRTVTES RECIPERENTVR.

NATVS EST IN AMPLISSIMA FLANDRIAE METROPOLI, GANDA, ANNO IPSO SÆCVLARI, MILLESIMO ET QVINGENTESIMO INEVNTE. TAMQVAM ET NOVVM SAECVLVM, A TANTI PRINCIPIS ORTV, CONDENTE NATVRA.

PATER ILLI PHILIPPVS, IMP. CAES. MAXAEMILIANI AVG. FIL. PRIMVS EIVS NOMINIS HISPANIARVM REX: MATER IOANNA, FERDINANDI ET ISABELLAE. CATHOLICORVM CASTELLAE ET ARRAGONIAE REGVM FILIA.

PVERITIAE EIVS, PIETATE, LITTERIS, MORVMQVE DISCIPLINA IMBVENDÆ, PRAEFECTI FVERE, GVLIELMVS CROYIVS, CEVRIAE REGVLVS, ET HADRIANVS FLORENTIVS, VLTRAIECTINVS, THEOLOGVS EXIMIVS, QVI DEINDE, CAROLO IAM IMPERIVM TENENTE, AD SVMMVM PONTIFICATVM EVECTVS EST.

ANNVM AGENS XV. AB AVO CÆSARE EMANCIPATVS, BELGICIS PROVINCIIS; AC TRIENNIO POST, HISPANIARVM REGNIS, INCREDIBILI POMPA AC SPLENDORE INAVGVRATVR.

VNDEVIGESIMO ÆTATIS SVÆ ANNO, ROMANORVM IMPERATOR FRANCOFVRTI RENVNTIATVS EST, ET SEQVENTI ANNO CIↃ. D. XX. AQVISGRANI, IMPERIALI DIADEMATE INSIGNITVS. QVO EODEM ANNO ET SOLYMANNVS TVRCICI IMPERII GVBERNACVLIS ADMOTVS EST. VT NEMINI DVBIVM ESSET, CAROLVM AVGVSTVM OTTOMANNICÆ POTENTIÆ CŒLITVS OBIECTVM ESSE.

SVB IPSIS IMPERII INITIIS, MEXICANVM REGNVM OPVLENTISSIMVM, DVCE FERDINANDO CORTESIO; VT ET PAVLLO POST, PERVANVM, FRANCISCI PIZARRI OPERA SVBEGIT: CHRISTIQVE CVLTV ILLATO, ORBEM NOVVM, IMMENSIS OCEANI ATLANTICI SPATIIS AB EVROPA DIVISVM, RELIGIONE ARMISQVE HISPANIARVM IMPERIO IVNXIT ATQVE CONNEXIT.

GALLORVM REGEM FRANCISCVM I. PERPETVVM FORTVNÆ SVÆ ET MAGNITVDINIS ÆMVLVM, DVCTV CAROLI LANOII, BELGÆ, IN INSVBRIBVS ACIE VICTVM, CVM PRÆCIPVA GALLICA NOBILITATE AD TICINVM, DIE NATALI SVO, CEPIT: EVMDEMQVE POST ANNVM IN LIBERA CVSTODIA EXACTVM, LIBERTATI REDDIDIT, HELEONORA, SORORE SVA, ILLI IN VXOREM DATA.

FRANCISCVM SFORTIAM IN DVCATVM MEDIOLANENSEM RESTITVIT: ET VENETIS PACE DATA, VNIVERSÆ ITALIÆ OTIVM ET TRANQVILLITATEM PROCVRAVIT.

FLORENTIAM DIVTVRNA OBSIDIONE PRESSAM IN POTESTATEM RECEPIT: EIDEMQVE ALEXANDRVM MEDICÆÆ FAMILIÆ PRINCIPEM, DVCEM DEDIT.

SOLYMANNVM OTTOMANNVM, TVRCARVM IMPERATOREM, CVM CCC. EQVITVM PEDITVMQVE MILL. PANNONIAS VASTANTEM, BIS AB OBSIDIONE VIENNÆ REPVLIT, AC INGENTI CLADE ILLATA IN THRACIAM RECEDERE COMPVLIT, SERVATA GERMANIA.

CLASSE INSTRVCTISSIMA IN PELOPONESVM, DVCTV AND. AVRIÆ, LIGVRIS, MISSA, METHONEM ET CORONEM, VRBES CELEBERRIMAS, ALIAQVE LOCA MVNITISSIMA, TVRCIS EIECTIS, OCCVPAVIT.

TVNETANVM AFRICÆ REGNVM HARIADENO ÆNOBARBO, TYRANNO, ERIPVIT, AC MVLEASSI, LEGITIMO REGI RESTITVIT, EVMDEMQVE SIBI VECTIGALEM REDDIDIT; GOLETA ARCE RETENTA, VALIDOQVE PRÆSIDIO FIRMATA. QVO BELLO SVPRA DVODEVIGINTI CHRISTIANORVM CAPTIVORVM MILLIA E SERVITVTE DVRISSIMA VINDICAVIT, ET IN PATRIAM REDVXIT.

MARE MEDITERRANEVM ASSIDVIS PIRATARVM RAPINIS INFESTVM, NAVIGANTIBVS TVTVM ET SECVRVM PRÆSTITIT.

AD INTESTINOS MOTVS IN MAXIMA FLANDRORVM EXCITATOS, MATVRE COMPONENDOS, EX HISPANIIS PER MEDIAS GALLIAS, SVMMA HIEME, PAVCIS COMITIBVS ADVOLAVIT: NVLLIS ACCEPTIS OBSIDIBVS, SOLA FIDE PVBLICA, REGISQVE VERBO SECVRVS. PVLCHRO (ME DIVS FIDIVS) INTER MAXIMOS PRINCIPES CERTAMINE! IVREQVE DVBITES, MAGISNE CÆSARIS DE REGIS FRANCISCI IN SE ANIMO SECVRITATEM AC FIDVCIAM; AN REGIS FIDEM ADMIRERIS.

IN AFRICAM DENVO EXPEDITIONE SVSCEPTA, QVAMQVAM VI TEMPESTA-

TIS

TIS CÆLIQVE INIVRIA, MAXIMIS CLADIBVS AD IVLIAM CÆSAREAM OBRVTVS, INVICTÆ ET HEROICÆ CVIVSDAM VIRTVTIS AC CONSTANTIÆ MONVMENTA RELIQVIT.

GELDRIAM ET ZVTPHANIAM, GVLIELMO CLIVIÆ DVCE DEBELLATO, RECVPERAVIT.

IOANNEM FREDERICVM, SAXONIÆ DVCEM, PERDVELLEM, ALBI FLVMINE TRANSMISSO, INCREDIBILI CELERITATE VSVS, DVCTV SVO, CRVENTA PVGNA VICIT, CEPITQVE; QVA CLADE TERRITVS PHILIPPVS, HASSIÆ REGVLVS, SVPPLEX SE SVAQVE OMNIA VOLVNTATI ET CLEMENTIÆ CÆSARIS DEDIDIT, AC CAPTIVVM VLTRO SE STITIT.

TVMVLTVANTIS GERMANIÆ MOTIBVS SEDATIS, PAVLVS III. PONT. EX CARDINALIVM SENATVSCONSVLTO, MAXIMI COGNOMENTVM CAROLO ATTRIBVIT: TAMQVAM OMNES RETRO PRINCIPES, ADEOQVE IPSVM CAROLVM MAGNVM, IMPERII MAGNITVDINE, ET RERVM GESTARVM GLORIA LONGE SVPERGRESSO. ILLE SIQVIDEM SAXONIÆ DOMANDÆ ANNOS AMPLIVS TRIGINTA; HIC VIX TRIMESTRE IMPENDIT.

APHRODISIVM, MVNITISSIMVM AFRICÆ OPPIDVM, DVCTV IOANNIS VEGÆ, PROREGIS SICILIÆ, DRAGVTHE PIRATA PVLSO, EXPVGNAVIT.

POST METENSIS VRBIS, A GALLIS INTERCEPTÆ, OBSIDIONEM, INVSITATA HIEMIS INCLEMENTIA SÆVIENTE, AC LVE IN EXERCITVM GRASSANTE, MATVRE SOLVTAM, MORINORVM OPPIDVM TERVANAM, FLANDRIÆ INFESTISSIMAM, A SE EXPVGNATAM, SOLO ÆQVAVIT: HESDINVM RECVPERAVIT.

CORSICAM GENVENSIBVS ASSERVIT: SENARVM VRBEM CEPIT, PVLSIS INDE ET FERE OMNI ETRVRIA GALLICIS ARMIS.

DIFFICILLIMIS EXPEDITIONIBVS ET PROFECTIONIBVS SVSCEPTIS, NOVIES IN GERMANIAM SVPERIOREM, SEXIES IN HISPANIAM, SEPTIES IN ITALIAM, DECIES AD BELGAS, QVATER, TAM PACIS QVAM BELLI TEMPORE, IN FRANCIAM, BIS IN ANGLIAM, BIS IN AFRICAM EST PROFECTVS.

MARE MEDITERRANEVM OCTIES, OCEANVM HISPANICVM QVATER NAVIGAVIT.

DEMVM REBVS MAXIMIS, QVA DVCTV, QVA AVSPICIIS SVIS, TERRA MARIQVE GESTIS; INDICIS, AFRICANIS, TVRCICIS, GALLICIS, ITALICIS, GERMANICIS VICTORIIS CLARVS, CVM AVGVSTÆ DOMVS SVÆ IMPERIVM ORBIS TERRARVM FINIBVS TERMINASSET, CORPORE LABORIBVS PRO REPVB. CHRISTIANA SVSCEPTIS, IAM EXHAVSTO, QVI OMNIBVS VIXERAT, DEO SIBIQVE QVOD VITÆ SVPERERAT, VIVERE DECREVIT.

ITAQVE EIVS DIVINA MENS, CONTEMPTORQVE AMBITIONIS, ET INFINITÆ POTESTATIS DOMITOR AC FRÆNATOR, ANIMVS, POST TOT GENTES SVBACTAS, POSTREMO (QVI TRIVMPHVS OMNIVM LONGE NOBILISSIMVS) SVIPSIVS VICTOR EXSTITIT.

QVOCIRCA, RARISSIMO PRINCIPVM EXEMPLO, REGNIS IMPERIOQVE SESE EXVENS, BELGICAS PROVINCIAS, HISPANIARVM, INDIARVMQVE REGNA, PHILIPPO FILIO; ROMANI AVTEM IMPERII GVBERNACVLA, FERDINANDO

FRATRI VLTRO CESSIT, DVBIVM RELINQVENS, MAIOREMNE LAVDEM IN IMPERIO, TOTQVE REGNIS ADMINISTRANDIS, AN IN IIS SIMVL OMNIBVS ABDICANDIS, PROMERITVS SIT.

HINC, CVM DVABVS SORORIBVS VIDVIS, HELEONORA GALLIARVM, ET MARIA PANNONIARVM, REGINIS, IN HISPANIAM PROFECTVS, IN D. IVSTI COENOBIO, HAVD PROCVL A PLACENTIA CIVITATE SITO, CVM PAVCIS FAMILIARIBVS, REBVS DIVINIS VACANS, VIX ANNO VNO, ET MENSIBVS ALIQVOT, SVPERFVIT: ANIMAMQVE CÆLO, VNDE VENERAT, REDDIDIT. ID NEMPE AGENTIBVS SVPERIS, NE POST ILLVD DIVINVM FACTVM QVIPPIAM MORTALE AGERET.

LIBET SVPREMÆ GALLIARVM CVRIÆ PRÆSIDIS SENTENTIA, ELOGIVM HOC OBSIGNARE. EIVS ISTVD EST DE CAROLO AVG. TESTIMONIVM ET IVDICIVM:

„ NVLLVM PERFECTI MAGIS, ET AD OMNEM VIRTVTEM EXPRESSI PRIN-
„ CIPIS EXEMPLAR, NOSTRA ET RETRO SÆCVLORVM MEMORIA, REPERIRI
„ POSSE: QVOD IIS QVI AD IMPERIVM VIRTVTIS VIA GRÆSSANTVR, AD
„ IMITANDVM PROPONI QVEAT.

Lat. Arg. Thuan. Histor. lib. XXI.

DECESSIT XI. KALEND. OCTOB. ANN. SALVTIS CIↃ. IↃ. LVIII.
VIXIT ANNOS LVII. MENS. VI. DIES XXV.
IMPERAVIT ANN. XXXVIII.

IMP.

IMP. CÆS.

FERDINANDVS I.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.

HISPANIARVM INFANS,

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,

CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, VVIRTEMBERGÆ, &c.

PRINCEPS SVEVIÆ,

MARCHIO MORAVIÆ, LVSATIÆ, ET BVRGOVIÆ:

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

OPTIMVM AC LAVDATISSIMVM PRINCIPEM HISPANIA GERMANIS MERITO IMPVTET: ET IN QVO PACIS ARTES TANTVM EFFLORVERE, QVANTVM IN FRATRE EIVS, CAROLO AVG. BELLICA GLORIA SESE EXTVLIT.

NATVS COMPLVTI, APVD CARPETANOS, IN REGNO CASTELLÆ, VI. IDVS MART. ANNO CIↃ. IↃ. III. ATQVE APVD FERDINANDVM CASTELLÆ ET ARRAGONIÆ REGEM, MATERNVM AVVM, EDVCATVS, ALVARO OSORIO PRÆCEPTORE; PETRO NONIO GVSMANO, CALATRAVÆ MILITIÆ PRÆFECTO SVPREMO, MORVM ET AVLÆ MAGISTRO, VSVS EST.

AVO MATERNO VITA FVNCTO, ET CAROLO FRATRE HISPANIARVM REGNIS INAVGVRATO, ADOLESCENS IPSE EX HISPANIA IN BELGIVM PROFECTVS, SVMMÆ RERVM IBIDEM PRÆFVIT.

DECIMOOCTAVO ÆTATIS SVÆ ANNO, IN AVSTRIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, ALIARVMQVE AVGVSTAE DOMVS AVSTRIAE DITIONVM POSSESSIONEM, FRATRE EIVS IAM CAESARE, VLTRO CEDENTE, MISSVS EST. MOXQVE ANNAM IAGELLONICAM, VLADISLAI HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGIS, FILIAM VNICAM, LINTZII AVSTRIAE OPPIDO, VXOREM DVXIT.

LVDOVICO HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGE, AFFINE SVO, AD MOHATIVM OPPIDVM A TVRCIS CAESO, VTRVMQVE REGNVM CVM SILESIA, MORAVIA, LVSATIA, ALIISQVE PROVINCIIS, IVXTA PACTA MAIORVM, ET IN PRIMIS, MAXÆMILIANI AVG. CVM VLADISLAO REGE, FERDINANDI SO-

CERO, INITA, IVRE HEREDITARIO, ADIIT.

IOANNEM ZAPOLIANVM, TRANSYLVANIAE PRINCIPEM, FACTIOSORVM QVORVMDAM OPE, CONTRA IVS ET FAS, HVNGARIAE SCEPTRO INHIANTEM, ADVENTVS SVI TERRORE IN FVGAM EGIT, REGNIQVE FINIBVS EXPVLIT: AC SINGVLARI FELICITATE, SINE CAEDE ET SANGVINE, BVDA METROPOLI POTITVS EST.

SOLYMANNVM TVRCARVM TYRANNVM, QVI ZAPOLIANO REDVCTO, PER PANNONIAS GRASSATVS, VNIVERSÆ GERMANIÆ IVGVM IMMANISSIMVM MINABATVR, AC VIENNAM CCC. HOMINVM MILLIB. CINXERAT, OBSIDIONEM SOLVERE COMPVLIT: CVM TVRCÆ VICIES MVROS VRBIS SVBIISSENT; VICIES A MOENIBVS, VIRTVTE PROPVGNATORVM, CVM INGENTI CLADE REPVLSI ESSENT.

SPECTATA INDE EIVS INDVSTRIA, QVAM ABSENTE ET HISPANICIS ITALICISQVE NEGOTIIS CAROLO CÆSARE DISTRACTO, TVM ALIBI, TVM IN IMPERII COMITIIS SÆPENVMERO PROBAVERAT; EIVSDEM CAESARIS VOLVNTATE, NECNON COMMVNI ELECTORVM AC STATVVM IMPERII CONSENSV, REX ROMANORVM, FRATRISQVE IN IMPERIO SVCCESSOR RENVNTIATVS EST COLONIAE, ANNO CIↃ. IↃ. XXXI. NONIS IANVAR. ET MOX III. IDVS EIVSDEM MENSIS AQVISGRANI, MORE SOLITO, CORONA DONATVS.

BELLVM SAXONICVM CVM FRATRE CAESARE FELICITER GESSIT, ATQVE IN CONFLICTV MILBVRGICO ANIMVM INVICTVM, VEREQVE REGIVM OSTENDIT.

BOHEMORVM QVORVMDAM CONTRA IPSVM SEDITIONES, PAVCORVM POENA CONTENTVS, SAPIENTER COMPESCVIT: SANATISQVE PRINCIPVM ANIMIS EXVLCERATIS, PACEM IMPERIO DONAVIT.

VVIRTEMBERGICAM DITIONEM VDALRICO RESTITVIT: TITVLO, NECNON SVCCESSIONIS ET CLIENTELÆ IVRE, SIBI SVISQVE RESERVATO.

IMPERII DIADEMA, SCEPTRVMQVE, CAROLO AVG. FRATRE SVO ILLVD ABDICANTE, PRINCIPIO ANNI CIↃ. IↃ. LVIII. PLENO IVRE SVSCEPIT.

GERMANIAM NEFARIIS OPINIONIBVS AC DISSIDIIS DISCORDEM AD CATHOLICÆ RELIGIONIS VNITATEM REDVCERE ASSIDVE LABORAVIT.

MANSVETVDO, COMITAS, AFFABILITAS, ERGA HOMINES RELIGIOSOS AC LITTERATOS AMOR TANTVS IN EO ENITVIT, PLANE VT IMP. CÆS. FERDINANDI II. AVVM, AC FERDINANDI III. AVG. NVNC FELICITER ORBI IMPERANTIS, PROAVVM FVISSE AGNOSCAS.

OBIIT, MAGNO SVI RELICTO DESIDERIO, VIENNÆ, VIII. KALEND. AVGVST. ANNO SAL. CIↃ. IↃ. LXIV. SEPVLTVS EST PRAGÆ.

VIXIT ANNOS LXI. MENS. IV. DIES XV.

IMPERAVIT ANN. VI.

IMP.

Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

MAXAEMILIANVS II.

DIVI FERDINANDI I. FIL.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,

CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, VVIRTEMBERGÆ, &c.

MARCHIO MORAVIÆ, LVSATIÆ, ET BVRGOVIÆ:

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

QVAM FAVSTA FELIXQVE SVCCESSIO, OPTIMIS ET CLEMENTISSIMIS CÆSARIBVS, LÆTISSIMA IMPERII PROPAGINE RECENSENDIS! MAXÆMILIANVS II. IMP. CÆS. FERDINANDI I. FILIVS, NATVS EST VIENNÆ, IPSIS KALEND. AVGVSTI, ANN. CIↃ. IↃ. XXVII. MATRE ANNA, VLADISLAI, HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS, FILIA.

PRIMVM IN RE MILITARI TIROCINIVM FECIT SVB CÆS. CAROLO V. AVG. PATRVO SVO, BELLO SMALCALDICO, DVOBVS EQVITVM MILL. PRÆFECTVS: ET IAM TVM NON PAVCA EXCELSI ANIMI, AC VIRTVTIS HEROICÆ DOCVMENTA ILLVSTRIA EDIDIT.

ALTERVM ET VIGESIMVM ÆTATIS ANNVM AGENS, BOHEMIÆ REX DESIGNATVS, IN HISPANIAM PROFECTVS EST, VBI MARIAM, PRIMOGENITAM IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. FILIAM, IN VXOREM DVXIT, HISPANIARVMQVE REGNIS, SOCERI VICE, PRÆFVIT: DVM EVOCATVS IN GERMANIAM INFERIOREM A PATRE CÆSARE PHILIPPVS PRINCEPS, BELGICAS PROVINCIAS SACRAMENTO FIDELITATIS SIBI OBSTRINGIT.

TRIENNIO HISPANIARVM REGNIS MODERANDIS EXACTO, CVM VXORE AC LIBERIS, BARCINONE GENVAM APPVLIT: ATQVE INDE PER MEDIOLANVM TRIDENTVM, AC ÆNIPONTVM, IN AVSTRIAM EST REVERSVS.

INTRA ANNI VNIVS SPATIVM, TRIVM REGNORVM DIADEMATE, BOHEMICI, ROMANI, ET HVNGARICI, RARO FELICITATIS EXEMPLO, (QVOD ALBERTO II. AVG. ETIAM OBTIGIT) DONATVS EST.

POST FERDINANDI PARENTIS OBITVM, IMPERII ADMINISTRATIONEM SVSCIPIENS, DVCE LAZARO SVENDIO, IN IOANNEM SIGISMVNDVM, TRANSYLVANIÆ PRINCIPEM, AVXILIIS TVRCICIS SVBNIXVM, ARMA CONVERTIT, AC MVNITISSIMAS VRBES, TOCAIVM, VESPRINIVM, TATAM, ALIAQ. OPIDA ILLI ADEMIT.

SOLYMANNO TVRCARVM IMP. INFINITIS EX ASIA ATQVE EVROPA CONTRACTIS COPIIS, ANNO CIↃ. IↃ. LXVI. IN PANNONIAM IRRVENTI, IPSE XXV. EQVITVM, ET LXXX. PEDITVM MILLIA SECVM DVCENS, OBVIAM PROGRESSVS EST.

ET CAVTA POTIVS CONSILIA CVM RATIONE, QVAM PROSPERA EX CASV, SECVTVS, CASTRIS AD IAVRINVM POSITIS, IN OMNES SOLYMANNI CONATVS INVIGILABAT: CVM BINOS EXERCITVS, DVCIBVS FERDINANDO ET CAROLO, FRATRIBVS SVIS, REGNI FINIBVS TVTANDIS PROVIDE MISISSET.

ZIGETVM VRBEM SVLTANVS OBSEDIT. QVAM LICET NICOL. COMES ZERINIVS ACERRIME PROPVGNARET, TANDEM TAMEN POST MENSIS VNIVS OBSIDIONEM, EXPVGNATA FVIT: IPSO COMITE ZERINIO, CVM INSIGNI NOBILIVM HVNGARORVM MANV, A BARBARIS INTEREMPTO; AT NON INVLTO.

QVIPPE NON TANTVM XX. HOSTIVM MILLIA IN EA OBSIDIONE CÆSA SVNT, SED ET IPSE BARBARORVM DVCTOR, SOLYMANNVS, LOCVM ILLVM SIBI FATALEM SENSIT. ETENIM, TRIDVO ANTE VRBIS EXPVGNATIONEM, FREMENS FRENDENSQVE, MAXIMA SPE SVA, QVA VIENNAM, IPSAMQVE IAM DEVORARAT GERMANIAM, SE EXCIDERE, INFELICEM EXHALAVIT ANIMAM.

A MORTE SVLTANI, IN THRACIAM REGRESSVS EST EIVS EXERCITVS: ET IOANNES SIGISMVNDVS, SOLVTA TOCAI OPPIDI OBSIDIONE, IN TRANSYLVANIAM SE RECEPIT. ATQVE ITA LIBERATA INGENTI METV GERMANIA, CERTA SALVS CVNCTIS OBORTA EST. IPSEQVE CÆSAR, DIMISSIS COPIIS, POST LVSTRATVM COMARONIVM, VIENNAM EST REVERSVS.

EX MARIA CONIVGE, IX. FILIOS, ET VI. FILIAS SVSCEPIT: E QVIBVS ANNAM PHILIPPO II. HISPANIARVM; ET ISABELLAM, CAROLO IX. GALLIARVM, REGIBVS ELOCAVIT.

POST HENRICI VALESII REGIS EX POLONIA IN GALLIAS DISCESSVM, IN REGEM POLONORVM ELECTVS EST MAXÆMILIANVS. SED PRÆPROPERA MORTE EREPTVS, REGNVM NON ADIIT.

VIROS ERVDITOS EA HVMANITATE AC MVNIFICENTIA FOVIT, VT EIVS AVLA PLVRES LITTERATOS HABVERIT, QVAM ALIORVM TOTA REGNA.

MVLTARVM LINGVARVM ITA PERITVS FVIT, VT CVM REGE MITHRIDATE CERTARE POTVISSE VIDEATVR. NAM PRÆTER IDIOMA GERMANICVM, LATINE, HISPANICE, ITALICE, GALLICE, HVNGARICE, BOHEMICE, AC BELGICE DISERTE ET EXPEDITE LOQVEBATVR.

PLVRIMVM CVRÆ, SOLICITVDINIS, ATQVE SVMPTVVM IMPENDIT, VT NASCENTES APVD BELGAS BELLORVM CIVILIVM MOTVS COMPONERET; SED MELIORI ID CONSILIO EST CONATVS, QVAM EVENTV.

MVLTVM ILLI VEL HOC NOMINE DEBET BELGICA, QVOD DVOS EIVS FILIOS, ERNESTVM ET ALBERTVM, ARCHIDVCES, ILLVM QVIDEM PRO PHILIPPO II. HISPANIARVM REGE, HARVM PROVINCIARVM MODERATOREM; HVNC VERO, DVCTA ISABELLA CLARA EVGENIA, PHILIPPI FILIA, ETIAM PRINCIPEM AC DOMINVM, FELICITER SORTITA FVERIT.

IN COMITIIS RATISBONENSIBVS, PRÆMISSA RODOLPHI II. FILII SVI, INAVGVRATIONE, VITA EXCESSIT, ANNO SAL. CIↃ. IↃ. LXXVI. IV. IDVS OCTOB. CONDITVS EST PRAGÆ, IN BASILICA CATHEDRALI.

VIXIT ANNOS XLIX. MENS. II. DIES XII. IMPERAVIT ANN. XII.

IMP.

Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

RODOLPHVS II.

DIVI MAXÆMILIANI II. FIL.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,

CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, &c.

PRINCEPS SVEVIÆ,

MARCHIO MORAVIÆ, LVSATIÆ, ET BVRGOVIÆ:

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

RODOLPHVS II. IMP. CÆS. MAXÆMILIANI II. AVG. FILIVS, NASCITVR VIENNÆ AVSTRIÆ, XV. KAL. SEXTIL. ANNO CIↃ. IↃ. LII. MATRE MARIA, IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. FILIA.

ADOLESCENS IN IBERIAM AD PHILIPPVM II. HISPANIARVM INDIARVMQVE REGEM, AVVNCVLVM SVVM, VNA CVM FRATRE ERNESTO ARCHIDVCE, SE CONTVLIT, VBI REGVM MAXIMI AC SAGACISSIMI CONSVETVDINE CIVILEM OMNEM PRVDENTIAM IMBIBIT.

IN GERMANIAM, POST SEPTENNIVM, REVERSVS, VIGESIMO ÆTATIS SVÆ ANNO, IN HVNGARIÆ; ET TRIENNIO POST, IN BOHEMIÆ AC ROM. REGEM INVNGITVR. MOXQVE A MORTE CÆSARIS PARENTIS SVI, EIDEM IN IMPERIO, CONSENTIENTIBVS VTRIVSQVE ORDINIS PRINCIPVM SVFFRAGIIS, SVCCEDIT.

SVB IPSIS IMPERII PRIMORDIIS CAROLOPOLIM, MVNIMENTVM FORTISSIMVM, TVRCARVM INCVRSIONIBVS COERCENDIS, IN ILLYRICO EXCITAVIT.

GEBHARDVM TRVCHSESIVM, COLONIENSIVM PRÆSVLEM, QVOD AB ORTHODOXA RELIGIONE PALAM DESCIVISSET, DIGNITATE PRIVAVIT, AC SEPTEMVIRORVM PRINCIPVM COLLEGIO EIECTVM PROSCRIPSIT.

CVM AMVRATE III. TVRCARVM IMP. NOVENNALE INDVCIARVM FOEDVS INIIT. SED IIS, HAVD MVLTO POST, PER SVMMAM BARBARORVM PERFIDIAM VIOLATIS, VIX ALIAS VMQVAM GRAVIORA PANNONIIS BELLA INTVLERE TVRCÆ, QVAM HAC TEMPESTATE. AT ID NON IMPVNE.

ANNO SIQVIDEM CIↃ. IↃ. XCIII. AD SISACVM, CROATIÆ ARCEM MVNITISSIMAM, AB HAZANE PVRPVRATO BOZNENSI, OBSIDIONE ARCTISSIMA CINCTAM, CÆSARIANVS EXERCITVS SVPRA XX. TVRCARVM MILL. AD INTERNECIONEM DELEVIT. PRÆTER HAZANEM DVCEM,

RVPTI FOEDERIS AVCTOREM, ET MAHEMETEM, AMVRATHIS SVLTANI EX SORORE NEPOTEM, XII. PROVINCIARVM PRÆFECTI OCCVBVERE. SIGNA MILITARIA OMNIA ET CASTRA CVM TORMENTIS IMPEDIMENTISQVE VNIVERSIS CAPTA ET DIREPTA; CVM EX CÆSARIANIS VIX I. ESSENT DESIDERATI.

NEC MVLTO POST, AD ALBAM REGALEM, HVNGARIÆ VRBEM, CVM TVRCIS DENVO ATROX PRÆLIVM COMMISSVM EST: EO EVENTV, VT, CVM HOSTILIS EQVITATVS PROSTERNI A CÆSARIANIS, AD VTRVMQVE ACIEI LATVS, PEDITATVM ET PRÆTORIANAS COHORTES CONSPEXISSET, PAVORE INGENTI CORREPTVS, NEC PRIMVM NOSTRORVM IMPETVM FERRE POTVERIT, QVIN ILLICO RELICTIS TORMENTIS IN EFFVSAM FVGAM SE DEDERIT, PEDITVM VI. EQVITVM IV. MILLIB. AMISSIS. ATQVE ITA DE FOEDIFRAGIS BARBARIS, VLTORES SVPERI NON DVBIAS POENAS EXEGERVNT.

ZABATICA ITEM, FILECVM, DENINIA, ALIAQVE PLVRIMA HVNGARIÆ SVPERIORIS OPPIDA ET ARCES, QVAS XXX. AMPLIVS ANNIS HOSTES TENVERANT, VNA EXPEDITIONE RECVPERATA SVNT.

CVM SIGISMVNDO BATHORIO, TRANSYLVANIÆ ET VVALACHIÆ PRINCIPE, VICINISQVE REGVLIS FOEDVS DE BELLO TVRCIS, IVNCTIS VIRIBVS, INFERENDO CÆSAR PERCVSSIT: TANTAQVE ANIMORVM CONTENTIONE ADVERSVS IMMANISSIMVM CHRISTIANÆ RELIGIONIS HOSTEM TVNC ITVM EST, VT PLVRIMIS BYZANTIO PROXIMIS MVNITIONIBVS FELICITER OCCVPATIS, GRAVISSIMISQVE CLADIBVS ILLATIS, IPSA BARBARI IMPERII SEDES CONTREMISCERET.

STRIGONIVM, HATTVANVM, ALBA REGALIS, IAVRINVM, VESPRINIVM, ALIÆQVE NON IGNOBILES HVNGARIÆ, DALMATIÆ, ET CROATIÆ ARCES, A CÆSARIANIS SVNT EXPVGNATÆ.

VARADINVM OPPIDVM A VALIDISSIMO CXL. MILLE TVRCARVM AC TARTARORVM EXERCITV, SEX ET TRIGINTA DIEBVS CONTINVIS ACERRIME OPPVGNATVM, A NOSTRIS FORTITER DEFENSVM EST.

MAHEMETES HODABENDES, PERSARVM REX, PRÆCELLENTIVM IN RODOLPHO AVG. VIRTVTVM FAMA PROVOCATVS, SPLENDIDISSIMIS LEGATIONIBVS NON SEMEL MISSIS, EIVS AMICITIAM VLTRO AMBIIT; VTQVE IN COMMVNI HOSTE, ARMIS PERSEQVENDO, SECVM PERGERET, HORTATVS EST.

POST BELLVM TOTIS ANNIS XV. CVM OTTOMANNIS, PATRE, FILIO, ET NEPOTE, GESTVM, AD PACIS DESIDERIVM COMPVLSIS BARBARIS, INDVCIAS ANNORVM XX. CVM ACHOMATE, TVRCARVM TYRANNO, V. EID. NOVEMB. ANNO CIↃ. IↃC. VI. AD COMARONIVM PEPIGIT. BOSCAINAM FACTIONEM, ET INTESTINOS PROCERVM MOTVS OPPRESSIT; TRANSYLVANIAM HVNGARIÆ REGNO RESTITVIT.

IOANNE GVLIELMO, IVLIÆ AC CLIVIÆ DVCE, SINE LIBERIS MORTVO, NATISQVE DE HEREDITATIS IVRE, NEOBVRGICVM INTER ET BRANDEBVRGICVM, ALIOSQVE PRINCIPES, CONTROVERSIIS, ARBITER ET SEQVESTER CÆSAR LEOPOLDVM ARCHIDVCEM, PATRVELEM SVVM, CVM IVSTIS COPIIS IN EAS PROVINCIAS DELEGAVIT, A QVO IVLIACVM, ALIAQVE OPPIDA SVNT OCCVPATA.

ERNESTVM, MATTHIAM, ET MAXÆMILIANVM, ARCHIDVCES, FRATRES SVOS, SVPREMOS MILITIÆ ADVERSVS TVRCAS PRÆFECTOS HABVIT: EORVMQVE VIRTVTE BARBARIS OBIECTA, SECVRVS IPSE, REMISSIORQVE QVIBVSDAM VISVS EST. AST VBI RES POSTVLABAT, ERECTVS ET ACER, INGENTIBVS NEGOTIIS PAR ERAT. ET OMNINO, NEC BELLO FELICITAS, NEC PACE MAGNIFICENTIA, ILLI DEFVIT. INCREDIBILIS RERVM OMNIVM PERITIA, IVDICIVM ELIMATVM, MATVRVM CONSILIVM EI FAMAM DABANT. ADEOQVE, SEDENDO VINCERE, DICTVS EST.

OMNIVM BONARVM ARTIVM, ET MATHESEOS INPRIMIS, FAVTOR ET PATRONVS SINGVLARIS EXSTITIT; CVM ET IPSE SVAS ORBIS TERRARVM SCEPTRIS ASSVETAS MANVS AD ERVDITVM ILLVM PVLVEREM DEMITTERE NON DEDIGNARETVR.

PICTVRARVM ELEGANTIIS ITA EST DELECTATVS, VT QVASCVMQVE ORBIS HABERET EXIMIAS NOBILIVM ARTIFICVM TABVLAS, SVMPTIBVS ET IMPENSIS MAXIMIS SIBI COMPARARET.

DEMVM REGNIS ET PROVINCIIS OMNIBVS MATTHIÆ ARCHIDVCI, FRATRI SVO, RESIGNATIS, DECESSIT PRAGÆ, ANNO SAL. CIↃ. IↃC. XII. PRIDIE IDVS IANVAR.

VIXIT ANNOS LIX. MENS. VI. IMPERAVIT ANN. XXXVI.

IMP.

Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

MATTHIAS I.

DIVI MAXÆMILIANI II. FIL.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,

CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, &c.

PRINCEPS SVEVIÆ,

MARCHIO MORAVIÆ, LVSATIÆ, ET BVRGOVIÆ:

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

MATTHIAS I. IMP. CÆS. RODOLPHI II. AVG. FRATER, NATVS EST VIENNÆ, ANNO CIↃ. IↃ. LVII. DIE XXIV. FEBR. D. MATTHIÆ SACRO. FELICI SANE OMINE ET NOMINE. SIQVIDEM VARIIS ADVERSVS TVRCAS CONFLICTIBVS VIRTVS EIVS TOTIES SPECTATA FVIT, VT INVICTVM ILLVM MATTHIAM HVNNIADEM CORVINVM, HVNGARIÆ REGEM, OTTOMANNICÆ GENTIS TERROREM, IN ILLO RENATVM CREDERES.

ADOLESCENTIA EIVS AB AVGERIO GISLENO BVSBEQVIO, BELGA, IMP. CÆS. FERDINANDI I. AVG. AD SOLYMANNVM TVRCARVM IMP. EXLEGATO, OPTIMIS MORIBVS AC DISCIPLINIS INFORMATA, ET DE RE MILITARI CONTRA TVRCAS INSTITVENDA, COPIOSE INSTRVCTA FVIT.

ERNESTO ARCHIDVCE, FRATRE SVO, AD BELGICARVM PROVINCIARVM GVBERNACVLA, NOMINE PHILIPPI II. HISPAN. REGIS, PROFECTO, PANNONIÆ PROREX, SVPREMVSQVE CÆSAREI EXERCITVS, ADVERSVS COMMVNEM CHRISTIANI NOMINIS HOSTEM DVCTOR IN EIVS LOCVM SVRROGATVS EST.

PRÆFECTVRÆ SVÆ PRIMORDIA FELICITER AVSPICATVS, DVCTIS IN TVRCAS COPIIS, NOVOGRADVM EXPVGNAT: SINANIN PVRPVRATVM CVM CENTVM ARMATORVM MILLIBVS, A COMARONII OBSIDIONE FVGAT.

STRIGONIO ET VIZEGRADO VICTOR POTITVR: IPSAMQVE BVDAM MAGNA VI ET CONATV EST ADORTVS, VRBE INFERIORE OCCVPATA; SED OB GRAVISSIMAS CÆLI TEMPESTATES, PLVVIASQVE INVSITATAS, OBSIDIONEM SOLVIT, CVM EODEM DIE TVRCÆ A VARADINO OBSESSO CASTRA MOVERE, OB EADEM INCOMMODA COACTI ESSENT.

HAZANEM BASSAM, AD ALBAM REGALEM, MAGNA CLADE FVNDIT, V. MILLIB. TVRCARVM ET TARTARORVM CÆSIS: ATQVE INTER ALIOS, MVRATE BVDENSI, ET MAHEMETE QVIHAIA, SVPREMIS CASTRORVM PRÆFECTIS.

ET HÆC QVIDEM FORTITER AB ILLO GESTA; ISTVD VERO PRVDENTER, QVOD IN DIVERSA TRACTOS PROCERVM HVNGARORVM ANIMOS MAGNA IVDICII DEXTERITATE CONCILIAVERIT, PACEMQVE REGNO RESTITVERIT.

POST VICENNALES CVM ACHOMATE, TVRCARVM SVLTANO, PACTAS INDVCIAS, AVSTRIAM CVM MORAVIA EX CESSIONE CÆS. FRATRIS SVI, ACCEPIT.

ANNO CIↃ. IↃC. VIII. POSONII IN REGEM HVNGARIÆ, ET TRIENNIO POST, PRAGÆ IN REGEM BOHEMIÆ EST INAVGVRATVS.

MOX ANNAM, FERDINANDI ARCHIDVCIS, ET ANNÆ MARIÆ, MANTVANÆ PRINCIPIS FILIAM, MAGNIFICO APPARATV VIENNÆ IN VXOREM DVXIT.

RODOLPHO AVG. FRATRE, SVB INITIVM ANNI CIↃ. IↃC. XII. AD MELIOREM VITAM TRANSLATO, MATTHIAS PROMERITO PRIDEM, VIRTVTE AC LABORIBVS SVIS, ROMANI IMPERII DIADEMATE A SEPTEMVIRIS PRINCIPIBVS FRANCOFVRTI INSIGNITVS EST III. EID. IVL.

AQVASGRANI ET VESALIAM, ALIAQVE OPPIDA AD RHENVM SITA, SVIS ET ALBERTI ARCHIDVCIS, BELGARVM PRINCIPIS, FRATRIS SVI, AVSPICIIS, DVCTV AMBROS. SPINVLÆ FELICITER OCCVPAVIT.

CVM SE PROLE DESTITVTVM CERNERET, CONSENTIENTIBVS ARCHIDVCIBVS, MAXÆMILIANO ET ALBERTO, FRATRIB. SVIS, FILIVM ADOPTAVIT FERDINANDVM AVSTRIACVM, STIRIÆ, CARINTHIÆ, ET CARNIOLIÆ DVCEM, PATRVELEM SVVM, EVMDEMQVE IN BOHEMIÆ ET HVNGARIÆ REGNA SVCCESSOREM DESIGNAVIT.

ANNO CIↃ. IↃC. XVIII. DVM CÆSAR VIENNÆ AFFLICTIORE VALETVDINE LANGVET, CONIVRATI BOHEMIÆ PROCERES, GLOBO ARMATORVM FACTO, ARCEM PRAGENSEM, CVM ARMAMENTARIO, AC AVLA REGIA OCCVPANT: INQVE CONCLAVE VI IRRVMPENTES, E REGNI GVBERNATORIBVS, ALIIS E SVBLIMI AVLÆ FENESTRA IN SVBIECTVM SOLVM DETVRBATIS, ALIIS PROSCRIPTIS, VELVT FVRORE LYMPHATI POPVLVM AD LIBERTATEM VOCANT.

QVI PRÆCIPITES ACTI FVERANT, DEO SVOS PROTEGENTE, SALVI ATQVE INCOLVMES, MAGNO OMNIVM STVPORE, SVRREXERE. OMEN HAVD OBSCVRVM, AVSTRIACAM FAMILIAM, E TEMPESTATE ISTA, QVA VIX VMQVAM GRAVIOR AVGVSTÆ ILLI DOMVI INCVBVIT, NON MODO INCOLVMEM, SED ET AVCTIS VIRIBVS VALENTIOREM EVASVRAM.

ATQVE ISTVD EIVS PROCELLÆ INITIVM FVIT, QVÆ BOHEMIAM ET HVNGARIAM, FINITIMASQVE PROVINCIAS NON PAVCAS, IN REBELLIONEM, VELVT SCOPVLVM, ADEGIT: TOTAMQVE GERMANIAM, ANNOS IAM XX. ET QVOD EXCVRRIT, CONTINVOS, EVROPA VNIVERSA IN PARTES SECEDENTE, VELVT DILVVIO QVODAM INVOLVIT.

CÆSAR INTEGRVM FERE ANNVM CVM PERDVELLIBVS VARIO EVENTV LVCTATVS, E VIVIS VIENNÆ DECEDIT XIII. KAL. APRIL. ANNO CIↃ. IↃC. XIX.

VIXIT ANNOS LXII. DIES XXIV. IMPERAVIT ANN. VI. MENS. IX.

IMP.

Biblioteca Nacional de España

IMP. CÆS.

FERDINANDVS II.

PIVS, FEL. AVG.

REX GERMANIÆ,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ,

DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ, &c.

ARCHIDVX AVSTRIÆ,

DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,

CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, &c.

PRINCEPS SVEVIÆ,

MARCHIO MORAVIÆ, LVSATIÆ, ET BVRGOVIÆ:

LANDGRAVIVS ALSATIÆ,

COMES HABSBVRGI, TIROLIS, &c.

QVÆ TRIA IN LAVDATISSIMIS IMPERATORIBVS POTISSIMVM COMMENDANTVR, SANCTITAS DOMI, IN ARMIS FORTITVDO, VTROBIQVE PRVDENTIA; ITA HÆC IN IMP. CÆS. FERDINANDO II. AVG. PARITER ENITVERE, VT VELVT CONCENTV AC TEMPERAMENTO QVODAM VIRTVTES MISCVISSE VIDERETVR.

NATVS EST GRÆTII IN STIRIA, VII. EID. IVL. ANNO CIↃ. IↃ. LXXVIII. PATRE CAROLO ARCHIDVCE, IMP. CÆS. FERDINANDI I. AVG. FILIO, STIRIÆ, CARINTHIÆ, AC CARNIOLIÆ DVCE: MATRE MARIA, ALBERTI BAVARIÆ DVCIS FILIA.

ADOLESCENS IN ITALIAM PROFECTVS, LAVRETANAM DEIPARÆ ÆDEM INSIGNI PIETATIS STVDIO ADIENS, OMNEM OPERAM SVAM IN REVOCANDIS AD ORTHODOXAM RELIGIONEM SVBDITIS POPVLIS, SANCTE VOVIT.

IN PATRIAM REDVX, MARIAM ANNAM, GVLIEL. BAVARIÆ DVCIS FILIAM, ANNO SECVLARI, CIↃ. IↃC. AD IX. KAL. MAII, VXOREM DVXIT.

AD SOLEMNIA IMPERII COMITIA RATISBONAE INDICTA, ANNO CIↃ. IↃC. VIII. A RODOLPHO CAESARE EST DELEGATVS, EIVSQVE LOCO IIS PRAESEDIT: VT IAM TVM, QVOD MODERATVRVS OLIM ERAT, APTARETVR IMPERIO.

VENETORVM IN FORO IVLII INFESTA ARMA, PER TRIENNIVM ILLATA, FELICITER REPVLIT.

IN BOHEMIAE REGEM, ANNO CIↃ. IↃC. XVII. AD III. KAL. IVL. PRAGAE; ET SEQVENTI ANNO, POSONII, IPSIS KALEND. QVINTIL. IN HVNGARIAE REGEM, SOLEMNI POMPA CORONATVS EST.

IMP. CÆS. MATTHIA AVG. E VIVIS SVBLATO, FERDINANDVS A SEPTEMVIRIS PRINCIPIBVS FRANCOFVRTI ROMANORVM IMPERATOR, EIVS NOMINIS II. EST RENVNTIATVS, V. KAL. SEPTEMB. ANNO CIↃ. IↃC. XIX.

TVM VERO, EXCITATI PAVLLO ANTE AB HÆRETICIS REBELLIONIS MOTVS, IN APERTVM SCELVS ERVPERE. BOHEMI, FERDINANDO, CONTRA IVS ET FAS ABDICATO, FREDERICVM, COMITEM PALATINVM RHENI, REGEM PRAGÆ PROCLAMARVNT. MORAVI, SILESII, LVSATII, ET AVSTRIACI SVPERIORES; NEC NON CONFOEDERATI PRINCIPES, VVIRTEMBERGICVS, HESSVS, ANHALTINVS, ANSBACHIVS, DVRLACHIVS, ALIIQVE GERMANIÆ REGVLI, ET CIVITATES ALIQVOT IMPERIALES, CVM BATAVIS, PALATINI PARTIBVS SE ADIVNXERVNT.

HVNGARI GABOREM BETHLENIVM, TRANSYLVANIÆ PRINCIPEM, OTTOMANNICIS TARTARICISQVE AVXILIIS FRETVM, ITIDEM POSONII IN REGEM ELEGERVNT.

CAESAR INTERIM, ORBIS PROPE VNIVERSI IN IPSVM CONSPIRANTIS VIRIBVS VNDIQVE CIRCVMSESSVS; BOIOHEMICIS, MARCOMANNICIS, GERMANICIS, PANNONICIS, DACICIS, TVRCICIS, SCYTHICIS ARMIS ILLVM OPPVGNANTIBVS, CAVSSÆ SVÆ ÆQVITATI ITA CONFIDEBAT, VT FREQVENTI SERMONE AFFIRMARE AVDITVS SIT: VRBES, PROVINCIAS, REGNA, IMPERIA, VITAM IPSAM SIBI PRIVS, QVAM ANIMVM CONSTANTIAMQVE AD PROPVGNANDAM DEI ET RELIGIONIS CAVSAM, DEFVTVRAM.

POST TENTATAS A CLEMENTISSIMO PRINCIPE FRVSTRA OMNES CVM PERDVELLIBVS PACIS CONDITIONES, AD ARMA VENTVM. AVXILIA ET SVPPETIAS VALIDAS PHILIPPVS III. HISPANIARVM ET INDIARVM, SIGISMVNDVS POLONIÆ, REGES; ALBERTVS, AVSTRIÆ ARCHIDVX, BELGARVM ET BVRGVNDIONVM PRINCEPS, FERDINANDO SVBMISERE. SAXONIÆ ITEM ET BAVARIÆ DVCES, CÆSARI FIDI, CVM ECCLESIASTICIS PLERISQVE GERMANIÆ PRINCIPIBVS INITO FOEDERE, EXERCITVM HAVD MODICVM, DVCTORE BAVARO, CONSCRIPSERE.

AVSTRIA SVPERIORE AD OBSEQVIVM CÆSARIS REDACTA, IN IPSAM REBELLIONIS ARCEM, PRAGAM, COMMVNIBVS ARMIS, ANIMISQVE ITVM EST.

AD VRBIS TERGEMINÆ ET COPIOSISSIMÆ MOENIA, IN ALBI MONTIS VERTICE, IVXTA STELLAM, (ID PALATIO NOMEN EST) HOSTILIVM COPIARVM DVCTOR, ANHALTINVS PRINCEPS, CASTRA VALLO MVNITA COLLOCARAT. EA SVPRA XXV. ARMATORVM MILLIA EXPLEBANT. CVM HIS, DVCTV FORTISSIMI PRINCIPIS, MAXÆMILIANI, BAVARIÆ DVCIS, ET CAROLI, COMITIS BVCQVOII, BELGÆ, LOCO LICET INIQVISSIMO, DE RELIGIONE, DE IMPERIO, COLLATIS SIGNIS, CERTATVM EST.

CÆSARIANI IN ACCLIVEM COLLEM ENITI, FESSI HOSTEM AVT INVADERE, AVT EXCIPERE, COACTI. NIHILOMINVS, SINGVLARI DIVINI NVMINIS OPE, FVSÆ FVGATÆQVE HOSTILES COPIÆ. V. AMPLIVS MILLIA CAESA: MILLE CIRCITER MOLDA FLVMINE ABSORPTI: SVPRA QVINGENTOS CAPTI: ATQVE INTER ILLOS, PRINCIPIS ANHALTINI FILIVS, NATV MAXIMVS; STIRVMIVS,

RVMIVS, SLICHIVS, ET RHENANVS, COMITES. CENTVM PLVS MINVS VEXILLA, ET X. TORMENTA MAIORA, ADEMPTA. CASTRA DENIQVE OMNIS OPVLENTIÆ PLENA SVNT DIREPTA. E CÆSARIANIS VIX DVCENTI CECIDERE.

PALATINVS CVM VXORE AC PROCERIBVS ALIQVOT, IN SILESIAM FVGA EVASIT. ET QVI PRIDEM ROMANVM SPE DEVORARAT IMPERIVM, VIX QVO SE TVTO RECIPERET, REPERIT: ERRABVNDVS IN BATAVIAM PAVLLO POST DILAPSVS.

OBTIGIT CÆLESTIS HÆC VICTORIA ANNO CIↃ. IↃC. XX. SEXTO IDVS NOVEMBR. DOMINICO DIE, QVO ECCLESIA VNIVERSA ISTAM DEI EXERCITVVM VOCEM, VELVT PVGNÆ TESSERAM, ET VICTORIÆ AVSPICEM, INTONABAT: REDDITE QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO. "

PRAGA, ALTERO POST PVGNAM DIE, CÆSARIANIS SE DEDIDIT: ET PRÆSIDIARIORVM IN EA VRBE MILITVM IV. MILLIA VICTRICIBVS CASTRIS SE ADIVNXERVNT.

BIS VICISSE CÆSAR VISVS EST: PRIMVM ARMIS, MOX CLEMENTIA; QVA IPSIVS VICTORIAE VICTOR ID VNVM SPECTAVIT, VT PERDVELLIBVS POSSET PARCERE. NEMO DAMNATVS EST, NISI PERTINAX IN INIVRIA. PERIERE, QVI NOLVERE OPTIMO PRINCIPI VITAM DEBERE.

FREDERICVS PALATINVS, CVM ANHALTINO, IAGERDORFFIO, HOHENLOIO, ALIISQVE HOSTIBVS, PROSCRIPTVS, NON TANTVM REGNO QVOD INVASERAT, SED ET PROAVITO PRINCIPATV EXVTVS EST: PALATINATVS AD RHENVM PARTE INFERIORE, DVCTV MARCHIONIS SPINVLÆ; PARTE SVPERIORE, DVCE TYLLIO, BELGA, BAVARI LEGATO, OCCVPATA.

HEIDELBERGA, VETVS PRINCIPVM PALATINORVM SEDES, OPERIBVS ET PRÆSIDIIS MVNITISSIMA, EXPVGNATA ET DIREPTA EST.

INTER SPOLIA LONGE NOBILISSIMVM FVIT, BIBLIOTHECA PALATINA, INGENTI PRINCIPVM ELECTORVM, CVM PTOLEMÆIS, ATTALISQVE REGIBVS, MAGNIFICENTIA CERTANTIVM, STVDIO ET IMPENSIS MAXIMIS VNDIQVE CONGESTA, AC PRÆCELLENTIVM IN OMNI DISCIPLINA AVCTORVM VETERVM, HEBRÆORVM, GRÆCORVM ET LATINORVM MONVMENTIS MEMBRANACEIS, ET MANV EXARATIS CODICIBVS INSTRVCTISSIMA, HÆC ROMAM, VELVT IN TRIVMPHI POMPAM AVECTA, ET GREGORIO XV. PONT. MAX. DONO DATA, VATICANÆ BIBLIOTHECÆ, ORNAMENTVM ILLIVS NON MINIMVM FVTVRA, ILLATA EST.

SEPTEMVIRATVS QVOQVE DIGNITAS FREDERICO EREPTA, IN MAXÆMILIANVM, BAVARIÆ DVCEM, EST TRANSLATA. ATQVE INTERIM DELETI NON SEMEL, VARIIS LOCIS, DVRLACHII, HALBERSTADII, NOTHIQVE MANSFELDII, PERDVELLIVM, NVMEROSISSIMI EXERCITVS: AC SINGVLI ANNI SINGVLIS AVT GEMINATIS VICTORIIS DISTINCTI. GABOR ITEM BETHLENIVS, DACIÆ PRINCEPS, PACEM CVM CÆSARE INIIT.

CVM TRANQVILLITATIS TOTI IMPERIO RESTITVENDÆ SPES ESSET, DANORVM REX IAM PENE FRACTA CONFŒDERATORVM PRINCIPVM ARMA REFOVENS, E SAXONIÆ INFERIORIS PROVINCIIS BELLVM CÆSARI INTV-

Biblioteca Nacional de España

LIT. SED VBEREM GLORIÆ SEGETEM, PALMASQVE NOVAS ILLI PEPERIT, DVM ANTIQVAS FRVSTRA CONATVR EXTIRPARE. ETENIM, COPIIS EIVS AD CALEMBERGAM, LVTERAM, ATQVE ALIBI, CÆSIS ET PROFLIGATIS, FELICES FERDINANDI AQVILÆ, QVIDQVID VISVRGIM ET ALBIM INTERIACET, AD OCEANVM VSQVE GERMANICVM, VICTORIIS EMENSÆ SVNT. MOX ET HOLSATIA, TOTAQVE QVAM LATISSIME PATET, CIMBRICA CHERSONESO SVBACTA, DANVS AD PACEM A CÆSARE PETENDAM COMPVLSVS EST.

ACCESSIT DEMVM EX VLTIMO SEPTEMTRIONE EXCITVS SVECORVM REX, GVSTAVVS ATAVLPHVS, VT INTIMA GERMANICI IMPERII VISCERA NOVÆ ET BELLICOSISSIMÆ GENTIS IRRVPTIONE DENVO QVATERENTVR.

HIC PRISCÆ GOTHORVM REGVM GLORIÆ ÆMVLVS, IMMANIA SVEONVM, FINNORVM, LAPPIONVMQVE AGMINA, NON MAGIS INDIGENA ET COGNATO FERRO, QVAM CÆLO SVO ARMATA, SECVM TRAHENS, VELVT AQVILONIS SVI AVT FVLMINIS ALIS SVBVECTVS, VNIVERSAM A BALTICO MARI, ADVSQVE RHENI ET DANVBII FONTES, ALPESQVE RHÆTICAS PENETRAVIT GERMANIAM.

POST STRALSONDIAM A CÆSARIANORVM OBSIDIONE ASSERTAM, RVGIAMQVE INSVLAM OCCVPATAM, IN CONTINENTEM EXSCENSV FACTO, CVM BOGISLAO, POMERANIÆ DVCE, FOEDVS INIT: AC STETINI, EIVS PROVINCIÆ METROPOLI, BELLI SEDEM FIGIT. MOXQVE GALLICÆ, BRITANNICÆ, MOSCOVITICÆ, ALIORVMQVE PRINCIPVM AC RERVMPVBLICARVM LEGATIONES, MILITIS AC STIPENDIORVM SVBSIDIA POLLICENTES, ILLVM EXCEPERE.

CÆSARIANOS, QVI POST DANICVM BELLVM IN POMERANIA AC MEGAPOLI PASSIM STATIVA HABEBANT, AGGRESSVS, VRBES MVNITISSIMAS, VOLOGASTVM, GRIPSOVALDIAM, GARTHIVM, GRIFFENHAGAM, DEMINVM, COLBERGAM, LANSBERGAM, ALIAQVE OPPIDA PENE INNVMERA, AVT ARMIS AVT DEDITIONE IN POTESTATEM REDIGIT: IPSVMQVE AD VIADRVM FRANCOFVRTVM, QVOD PRÆSIDIARIORVM MILLIA SEPTEM INSEDERANT, VNO EODEMQVE DIE EXPVGNAT. HINC ALBIM VERSVS MOVENS, TANGERMVNDAM, VERBENAM ET HAVELBERGAM INTERCIPIT. IAMQVE PALAM BRANDEMBVRGICVS MARCHIO GVSTAVI, AFFINIS SVI, PARTIBVS ACCESSERAT. HVNC SECVTVS SAXONIÆ DVX CVM XXIV. ARMATORVM MILLIBVS, EIDEM SE ADIVNGIT.

ITAQVE CVM VIRES VNDIQVE ILLI ACCREVISSENT, AD LIPSIAM (VBI PAVLLO ANTE PROTESTANTES PRINCIPES NOVO FOEDERE SE OBSTRINXERANT) CVM CÆSAREO EXERCITV CONGRESSVS, VETERANVM ET INOFFENSIS VICTORIARVM CVRSIBVS ASSVETVM DVCEM, FRACTAQVE MAGDEBVRGENSIVM PERVICACIA NVPER OVANTEM, INGENTI CLADE AFFICIT, CASTRISQVE EXVIT.

HIS SVCCESSIBVS FEROCIOR, CVM INSVPER HAMILTONIVS MARCHIO VIII. BRITANNORVM MILLIA, AVSPICIIS SVECICIS MILITATVRA, IAM ADDVXISSET, MERSEBVRGO, HALA, ET ERFORDIA, PRÆSIDIO FIRMATIS, IN FLORENTISSIMAS PRINCIPVM FOEDERIS CATHOLICI PROVINCIAS IRRVMPIT: AC FLAM-

MÆ

MÆ INSTAR, QVÆ VICINA QVÆQVE CORRIPIT, FRANCONIAM VNIVERSAM DEPOPVLATVR. HERBIPOLIS ADEQVITANTEM PORTIS STVPET, QVEM MVLTORVM DIERVM ITINERE ABESSE CREDEBAT. BAMBERGA, QVAM MAGNO AVRI PONDERE ANTISTES REDEMERAT, MOX CONTRA DATAM FIDEM INVADITVR: CÆSARIANORVM MILITVM ARDORE, POST LIPSIENSEM CLADEM, HAVD PARVM REMISSO.

FRANCOFVRTVM, HANOVIA, ALIAQVE AD MOENVM RHENVMQVE OPPIDA SESE DEDIDERE: INCOLIS, VT PLVRIMVM, LVTHERANICÆ SECTÆ CVLTORIBVS, EIVSDEM HÆRESEOS CONSORTEM REGEM HAVD GRAVATE ADMITTENTIBVS, AVT PALAM CVM ILLO PACISCENTIBVS. QVOD EXEMPLVM NORIMBERGA, ARGENTORATVM, SPIRA, PLVRESQVE CIVITATES IMPERIALES SECVTÆ SVNT. HASSIÆ ITEM LANTGRAVIVS, CVM X. SVORVM MILLIBVS, GVSTAVI CASTRIS SE ADIVNXIT.

PALATINATVS EXINDE MAGNAM PARTEM EXPVGNAT: TRAIECTOQVE RHENO, AC OPPENHEMIO SVBACTO, MAGVNTIACVM, POST DIERVM ALIQVOT OBSIDIONEM, AD DEDITIONEM COMPELLIT, AC CONFLVENTES VSQVE CEDENTIA OMNIA ARMIS SVIS SENSIT. CONGESTOS INTEREA EX ECCLESIASTICORVM SPOLIIS, TEMPLORVM OPVLENTISSIMIS DONARIIS, DIVORVM AVREIS ARGENTEISQVE SIGNIS, ET DEDITARVM FŒDERATARVMQVE VRBIVM TRIBVTIS AC SVBSIDIIS THESAVROS IMMENSOS IN SVECIAM TRANSMITTIT; QVASI GENTILE REGNI SVI ÆS FERRVMQVE IN AVRVM GERMANICVM COMMVTARE NITERETVR.

CÆSAR, INGRAVESCENTIBVS INDIES PVBLICIS MALIS, ALIISQVE ALIBI PERDVELLIBVS, HYDRÆ INSTAR, SVCCRESCENTIBVS, DE NOVO EXERCITV CONSCRIBENDO SERIO COGITABAT: QVOD TYLLIVS COMES, CÆSAREIS AC FŒDERIS CATHOLICI COPIIS SOLVS IAM PRÆFECTVS, TOT HOSTIBVS, ET PRÆSERTIM PER PROVINCIAS DISIVNCTISSIMAS LATE GRASSANTIBVS, PAR ESSE PROPVLSANDIS NON POSSET.

ITAQVE ALBERTVM VALSTEINIVM FRIDLANDIVM, PRIDEM EXERCITVS SVI PRÆFECTVM SVPREMVM, AC DEINDE OB QVERIMONIAS PRINCIPVM QVORVMDAM, QVIBVS EIVS FORTVNÆ SPLENDOR OCVLOS PERSTRINGEBAT, EXAVCTORATVM, RVRSVS AD SVMMVM MILITIÆ CÆSAREÆ FASTIGIVM VOCAT. HIC MAGNIS ILLICO DELECTIBVS HABITIS, VIX TRIMESTRI SPATIO, IVSTVM EXERCITVM COMPARAT: PRAGAM A SAXONE OCCVPATAM RECIPIT, ET VNIVERSA BOHEMIA EVMDEM PELLIT.

SVECI INTEREA, HORNII DVCTV, ALSATIAM PENE TOTAM IN POTESTATEM SVAM REDEGERANT; CAROLO, LOTHARINGIÆ DVCE, NEQVIDQVAM OBNITENTE, QVOD GALLI EIVS DITIONEM INFESTIS SIGNIS INVADERENT. CVM DEINDE PALATINATVS INFERIORIS OPPIDA NON PAVCA HORNIVS OCCVPASSET, PAVLLO POST AD BAMBERGAM, INGENTI STRAGE A CÆSARIANIS, DVCTORE TYLLIO, PROFLIGATVR, DVOBVS SVECORVM MILLIBVS CÆSIS.

QVARE GVSTAVVS IPSE FRANCOFVRTO AD MOENVM (ILLIC REGINAM, CONIVGEM SVAM, STETINO; ET FREDERICVM PALATINVM, E BATAVIA, AD

SE VENIENTES, EXCEPERAT) DIGRESSVS, CÆSAREOS INSEQVENS, DONAVERDÆ POTITVR, IPSVMQVE TYLLIVM, AD LYCVM AMNEM, ALTERA CLADE FVNDIT.

INDE, AVGVSTAM VINDELICORVM, VRBEM LONGE SPLENDIDISSIMAM, AC SITVS OPPORTVNITATE, GERMANIÆ OPPRIMENDÆ, ITALIÆQVE INVADENDÆ COMMODISSIMAM SIBI VISAM, IN DEDITIONEM ACCIPIT: IBIQVE SCENA IAM DETECTA, QVI GERMANICÆ LIBERTATIS VINDICEM SE VENISSE, CREDI VOLVERAT, CIVES, TAMQVAM SVECICO SCEPTRO SVBDITOS, IN SVA, VT LEGITIMI PRINCIPIS ET DOMINI, VERBA ADIGIT: VRBEMQVE NOVIS, IISQVE VALIDISSIMIS PROPVGNACVLIS MVNIRI CVRAT, AC SVECICI IMPERII SEDEM DESTINAT.

MOX IN BAVARIAM CASTRA MOVENS, MONACHIVM, VBI DVCIS AVLA EST, EXPVGNAT: FACESQVE CIVITATI PVLCHERRIMÆ BARBARVS SVBIECISSET, NI CCC. DALERORVM MILLIBVS COMMVNE EXCIDIVM CIVES REDEMISSENT.

DEHINC VNIVERSA PENE BAVARIA MISERANDVM IN MODVM VASTATA, INGOLSTADIVM, MVNITISSIMAM AD DANVBIVM VRBEM, OBSIDIONE CINGIT. ATQVE ILLIC DEMVM HÆRENS QVASI DEPREHENSA FELICITAS GVSTAVVM VINCI POSSE DOCVIT. QVIPPE, VBI TENTATA SAEPIVS EXPVGNATIONE, SVOS FORTITER REPELLI ANIMADVERTISSET, ATQVE IPSE, EQVO, CVI INSIDEBAT, GRAVIORIS TORMENTI PILA INTERÆMPTO, HVMI STRATVS, GRAVISSIMVM PERICVLVM ADIISSET, OBSIDIONE MATVRE SOLVTA, IN RHÆTIAM SE RECEPIT: VLMAMQVE ET MEMMINGAM, ALIASQVE ILLIVS TRACTVS VRBES IN DEDITIONEM ACCIPIT, LINDAVIO (VNDE PROPINQVVS IN INSVBRIAM ADITVS) FRVSTRA TENTATO.

NAM, DVM HÆC GERVNTVR, FRIDLANDIVS CVM INSTRVCTISSIMO XXX. MILLIVM EXERCITV, EX BOHEMIA DESCENDIT, ALTEROQVE A NORIMBERGA LAPIDE, CASTRA PONIT. GVSTAVVS, NE FOEDERATÆ VRBI DEESSET, ET IPSE COPIAS SVAS E RHÆTIA TRADVCTAS, TRANS PEGNESVM AMNEM, CVI NORIMBERGA ASSIDET, LOCAT.

BAVARIÆ DVX MONACHIO, ALIISQVE DITIONIS SVÆ OPPIDIS INTERIM RECVPERATIS, CVM XX. SVORVM MILLIBVS, AD FRIDLANDIVM PROPERAT, VT IVNCTIS VIRIBVS GVSTAVVM OPPRIMERENT. IS CÆSARIANORVM CASTRA NOCTV AGGRESSVS, IISDEM STRENVE FORTITERQVE PVGNANTIBVS, TER MILLE CIRCITER E SVIS AMISIT.

CVM DEINDE IN FRANCONIAM GVSTAVVS SECESSISSET, ET MOX IN SAXONIAM, QVO CÆSARIANI DIGRESSI ERANT, VIRIBVS AVCTIOR ADVENTARET; FRIDLANDIVS PAPENHEMIVM COMITEM, QVI HALAM IN PROXIMO IAM EXPVGNARAT, PROPERE ACCERSIT.

AD LVTZENIVM OPPIDVM, HAVD PROCVL LIPSIA, IISDEM PENE, QVIBVS ANNO SVPERIORE DECERTATVM FVERAT, CAMPIS, IMPERII ORBISQVE TERRARVM FATA COMMISSA SVNT. AC PRIMO SVECORVM IMPETV, MEDIÆ ACIEI FRONS, LÆVVMQVE CÆSARIANORVM CORNV PAVLVM INCLINARE, DONEC A FRIDLANDIO ET PAPENHEMIO, SVIS SVBSIDIO ADVOLANTIBVS, RESTITVTA SVNT. CVM, ECCE, GVSTAVO ATAVLPHO, CÆSARIANÆ ACIEI FRONTEM PROPIVS AGGRESSO, MAIORIS SCLOPI GLANDE SINISTRVM BRACHIVM COMMINVITVR.

MINVITVR. VNDE MOX LINQVENTE ANIMO, DVM A SVIS EXTRA ACIEM ABDVCITVR, IN CÆSARIANORVM EQVITVM LEGIONEM INCIDIT: A QVIBVS VVLNERIBVS QVINQVE CONFOSSVS, VIXDVM SICCVM A TYLLIANA CLADE SOLVM REGIO IPSE SANGVINE IMBVIT: SIMVLQVE AB IGNARIS QVEM INTEREMERANT, MILITIBVS SPOLIATVS, LONGE A DESTINATIONE SVA IACVIT.

MAIORA ETENIM PAVLO ANTE MEDITATVS, IAMQVE ITALIÆ IMMINENS, AD EVROPÆ IMPERIVM HAVD OBSCVRE ADSPIRABAT. SED IVSTA NEMESIS PROFVNDAM HOMINIS AMBITIONEM, ET PORTENTOSAM DOMINANDI LIBIDINEM, IN MEDIO, VT IVVENTÆ, ITA RERVM GERENDARVM, CVRSV EXTINXIT.

Ann. Chr. cccc. xv. PARI PENE FATO OLIM ATAVLPHVS ALTER, ET IPSE GOTHORVM REX, POST OCCVPATAM AB ALARICO, EIVS AFFINE, ROMAM, ITALIAMQVE VASTATAM, BARCINONE, IN HISPANIÆ LIMINE, CÆSVS EST. DE QVO PRÆSTANS ÆVI

Orosius l. b. vii. cap. vii. ILLIVS HISTORICVS REFERT (VERBA IPSIVS ATTVLI) HOC EIVS FVISSE VOTVM: VT OBLITTERATO ROMANO NOMINE, ROMANORVM OMNE SOLVM, GOTHORVM IMPERIVM ET FACERET, ET VOCARET: ESSETQVE GOTHIA, QVOD ROMA FVISSET; AC FIERET ATAVLPHVS, QVOD QVONDAM CÆSAR AVGVSTVS. » AST IMPROBA VOTA INFELIX EXITVS COMITARI SEMPER SOLET.

INCIDIT LVTZENSE PRÆLIVM IN DIEM XVI. NOVEMBR. ANNI CIↃ. IↃC. XXXII. CVM PER BIENNIVM ET MENSES ALIQVOT, EX QVO HOLMIA, REGNI SVI METROPOLI, DIGRESSVS ERAT, GVSTAVVS ATAVLPHVS ARMA TOTA CIRCVMTVLISSET GERMANIA. AD XIV. MILLIA VTRIMQVE CECIDISSE, FAMA EST: MAIORI SVECORVM CLADE, QVI EXPECTANTES CÆSARIANOS INIQVO LOCO ADORTI SVNT. VT AVTEM ILLI REGEM SVVM, ITA HI PRÆCIPVE PAPENHEMIVM COMITEM AMISSVM LVGEBANT, CVIVS EO DIE VIRTVS INPRIMIS ENITVIT.

NEC SILENDVM HIC EXCELLENTISSIMI HEROIS, OCTAVII COMITIS PICOLOMINEI INVICTVM ROBVR, ARDORQVE; QVI POST PAPENHEMII CÆDEM, EQVITATV CÆSAREO IN FVGAM CONVERSO, SOLVS CVM SVA LEGIONE INTER MEDIOS HOSTES INTREPIDE, VSQVE AD PRÆLII FINEM STETIT: FACTAQVE SEPTIES IRRVPTIONE, AC EDITA LATE STRAGE, QVINQVE EQVIS SVB SE CONFOSSIS, AC SEX ICTIBVS SAVCIVS, ADHVC PVGNANS, OPTIMI, IBIDEM, FORTISSIMIQVE MILITIS AC DVCIS NOMEN, VT VBIQVE, PROMERVIT.

DVM DE IMMANI CATHOLICÆ RELIGIONIS AC IMPERII HOSTE CÆSO VICTRIX FERDINANDI PIETAS TRIVMPHAT, ALTER CÆSARIS AC PRISCÆ RELIGIONIS HOSTIS, FREDERICVS, COMES PALATINVS, PRIMA GERMANICI BELLI FAX, PAVCIS POST GVSTAVI MORTEM DIEBVS, MAGVNTIACI, CONTAGIONE GRASSANTE, EXTINCTVS EST. INGENS VTERQVE MORTALIBVS DOCVMENTVM, CÆCA HVMANÆ MENTIS CVPIDINE, ALIENA ET IMMODICA CVM EXITIO AFFECTARI, DVM PARTA AVITAQVE DITIONE SECVRE FRVI QVEAS.

AT VERO, EXTERNA ARMA FELICISSIMIS AVSPICIIS SVIS PROPVLSANTEM CÆSAREM PENE INFANDVM SVORVM SCELVS AC PARRICIDIVM OPPRESSIT. ALBERTVS VALSTEINIVS, FRIDLANDIÆ AC SAGANI DVX, E MODICA FORTVNA AD SVPREMAM MILITIÆ PRÆFECTVRAM EVECTVS, AC INSVPER MEGAPOLITANO PRINCIPATV, ALIISQVE MAXIMIS BENEFICIIS A CÆSARE DONA-

TVS, MAIORES SPES ANIMO COQVENS, BOHEMICI REGNI SCEPTRO INHIABAT. ITAQVE, (VT NIHIL SANCTVM, VBI MENTEM AMBITVS OCCVPAVIT) PRÆCIPVIS BELLI DVCIBVS AD DEFECTIONEM SOLLICITATIS, CONSILIISQVE VNA CVM SVECIS, COMMVNICATIS, EXTREMVM CÆSARI, EIVSQVE FLORENTISSIMÆ STIRPI EXITIVM MOLIEBATVR.

SED NEFARIA CONSPIRATIONE A PICOLOMINEO COMITE, (CVIVS NON MINVS INCONCVSSA FIDES, QVAM INVICTA VIRTVS, PRO AVGVSTA AVSTRIÆ DOMO SEMPER EMICVIT) ALIISQVE DVCIBVS, MATVRE DETECTA, PROSCRIPTVS FRIDLANDIVS, MOX EGRÆ, BOHEMIÆ OPPIDO, CVM CONSCIIS CÆSVS, DIGNAS CONCEPTI SCELERIS POENAS LVIT: VELVT NOVA SVBINDE INSTABILITATIS SVÆ LVDIBRIA OSTENTANTE FORTVNA.

PVBLICO PRODITORE SVBLATO, NVMQVAM ALIAS CLARIVS SESE MARTIA AVSTRIACÆ GENTIS VIRTVS ET AVGVSTA SOBOLES EXERVIT, FORTIVSVE LACERTOS MOVIT. E DISIVNCTISSIMIS REGIONIBVS, HINC FERDINANDVS III. HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX, POST DONAVERDAM ET RATISBONAM A SE EXPVGNATAM, INDE FERDINANDVS ALTER, HISPANIARVM INFANS, GEMINÆ ILLÆ SPES, OCVLIQVE IMPERII, CVM LECTISSIMIS COPIIS AD NORLINGAM CONVENIENTES; ILLE CÆSARIS, PARENTIS, HIC REGIS CATHOLICI, FRATRIS SVI, AVSPICIIS, DVCTV SVO, DE SVECIS ET IMPERII PERDVELLIBVS, HOSTIVM DVCE, HORNIO CAPTO, VICTORIAM POST NATOS HOMINES NOBILISSIMAM REPORTARVNT, ANNO CIↃ. IↃC. XXXIV. AD VIII. IDVS SEPTEMBR.

EXINDE, CVM GALLI PRIDEM SVECIS CONFOEDERATI INFESTA IN VTRAMQVE GERMANIAM ARMA CONVERTISSENT, CÆSAR CVM SAXONIÆ DVCE PACEM PRAGÆ INIIT: QVAM ET BRANDEMBVRGICVS MARCHIO, POMERANIÆ, LVNEBVRGI, BRVNSVICI, ET MEGAPOLEOS DVCES, ALIIQVE IMPERII PRINCIPES; VRBES ITEM, NORIMBERGA, VLMA, FRANCOFVRTVM ATQVE ALIÆ AMPLEXÆ SVNT.

FVIT OMNINO FERDINANDVS II. PRINCIPVM BENIGNISSIMVS, CLEMENTISSIMVS, LIBERALISSIMVS: VIVVM PIETATIS ET SANCTITATIS EXEMPLAR. INCREDIBILI AVTEM ANIMI AEQVABILITATE SEMPER SVI SIMILIS, NEC SECVNDIS EFFERRI, NEC ADVERSIS DEPRIMI VMQVAM VISVS EST.

RATISBONA VIENNAM REDVX, OBIIT, VT VIXERAT, PLACIDISSIME, AD XV. KAL. MARTII, ANNO SALVTIS CIↃ. IↃC. XXXVII. AETATIS SVÆ LVIII. MENS. VII. DIE VI. IMPERII AVTEM ANNO XVII. MENS. V. DIE XVIII.

FELICITATIS PRÆCIPVA IN PARTE ILLVD MEMORANDVM, QVOD IAM SENIOR, VALETVDINE LABENTE, BIMESTRI FERE ANTE OBITVM SVVM SPATIO (SVPERIS NEMPE VITAM AD HOC EIVS VOTVM PROROGANTIBVS) IN REGEM ROMANORVM, SIBIQVE IN IMPERIO SVCCESSOREM RATISBONENSIBVS COMITIIS DECLARATVM VIDERIT FILIVM SVVM, FERDINANDVM III. AVG. ANNIS ARMISQVE FLORENTISSIMVM: ET IN QVO VIRTVTES SIMVL OMNES ELVCENT, QVÆ SINGVLÆ IN MAIORIBVS EIVS PRÆDICANTVR. A QVO PRINCIPE VT NOVAM LAVDATISSIMORVM CÆSARVM, SÆPIVSQVE ITERATAM SERIEM ORBI TERRARVM SVPERI INDVLGEANT, ET AVGVSTISSIMÆ FAMILIÆ MERITA, ET PIORVM VOTA FLAGITANT.

ABSTINE A DIVINA ILLA DOMO MANVS TVAS, O, FORTVNA. QVID SOLIDIS IMPERII FVNDAMENTIS, PIETATE ET IVSTITIA, INNIXAM FRVSTRA LACESSIS? PATERE ILLAM GENERI HVMANO, DIV ÆGRO ET AFFECTO, MEDERI. PERSTET, PERENNETQVE FORTITVDINIS ARX CLEMENTIÆ ARA, IVSTITIÆ DELVBRVM, RELIGIONIS PROPVGNACVLVM, VIRTVTVM OMNIVM SACRARIVM.

Symbolum Imp. Cæs. Ferdinandi III. Aug. PIETATE ET IVSTITIA.

ΔΩ.

ΔΩΔΕΚΑ ΘΕΩΝ,

SIVE

XII. DEORVM CONSENTIVM,

QVI ORDINI

XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM

ALTERNATIM STANT INTERSITI,

DESCRIPTIO.

Apul. lib. De Deo Socratis.

SVPERSTITIOSA illa priſcorum natio, quæ Πολυθέαν, *Deorum multitudinem*, impiè introduxit, potiſsimùm XII. DEOS, Mares ſex, ac totidem Feminas colebat, quos diſticho illo complexus eſt Ennius, apud Apuleium:

IVNO, VESTA, MINERVA, CERES, DIANA, VENVS; MARS,
MERCVRIVS, IOVIS, NEPTVNVS, VVLCANVS, APOLLO.

Originem autem huius ſuperſtitionis ex Ægypto primùm fluxiſſe, teſtatur Herodotus in Euterpe, vbi ait: ἀπὸ δεκάτε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτυς Αἰγυπτίυς νομίσαι, ϗ Ἕλλωας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν βωμὄς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονέμαι σφέας πρώτυς. *Ægyptios primos* XII. DEORVM *cognomina in vſu habuiſſe, & ab illis Græcos fuiſſe mutuatos: primos item Diis & aras, & ſimulacra & delubra ſtatuiſſe.* XII. Deorum Conſentium origo.

Hos verò DEOS CONSENTES, quaſi *Conſentientes* appellabant: quòd nempe in conſilium IOVIS adhiberentur, teſte Martiano. Vnde Seneca Natural. Quæſtionum lib. II. *Fulmina dicunt à Ioue mitti, & tres illi Manubias dant. Prima (vt aiunt) monet, & placata eſt, & ipſius conſilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iupiter, ſed ex conſilij ſententiâ.* DVODECIM *enim* DEOS *aduocat.* De his quoque D. Auguſtinus lib. IV. de Ciuitate Dei, cap. XXIII. *Quis ferat, quòd neque inter* DEOS CONSENTES, *quos dicunt in conſilium Iouis adhiberi, nec inter* DEOS *quos* SELECTOS *vocant*, FELICITAS *conſtituta eſt?* Horum Imagines auratas Romæ ad Forum collocatas fuiſſe, refert Varro lib. I. de Re Ruſt. *Quoniam (vt aiunt) Dij facientes adiuuant, priùs inuocabo Deos. Nec (vt Homerus & Ennius) Muſas, ſed* XII. DEOS CONSENTES. *Neque tamen eos Vrbanos, quorum Imagines ad Forum auratæ ſtant, ſex* MARES, & FEMINÆ *totidem; ſed illos* XII. DEOS, *qui maximè Agricolarum Duces ſunt.* Apud Achæos horum Aras erectas fuiſſe, teſtatur Strabo lib. XIII. Εἶτ᾽ Ἀχαιῶν λιμὴν, ὅπυ καὶ βωμοὶ τῶν δώδεκα θεῶν. *Inde Achæorum portus, vbi ſunt* ARÆ XII. DEORVM. Hi autem iidem eſſe videntur, quos *Maiorum Gentium Deos* appellat M. Tullius lib. I. Tuſculanar.

Martian. lib. I. De Nupt. Philolog. & Mercur.

Per horum verò XII. DEORVM ſimulacra, totidem CÆSARIBVS alternatim interſita, nihil aliud ſignificatur, quàm Virtutes Moreſque ipſorum CÆSARVM, & Beneficia homini-

Vv

minibus præſtita. Certè inter Gentiles olim non pauci,

Queis meliore luto finxit præcordia Titan, Iuuenal.

reuerà VNVM DEVM, Ποιητὴν καὶ Πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, *Opificem & Patrem huius Vniuerſi*, (vt Plato loquitur) agnouerunt. Plato in Timæo. Clarè id pronuntiat Imp. Cæſ. M. Aurel. Antoninus Aug. Philoſophus lib. VII. Τῶν εἰς ἑαυτὸν, ſiue, *De ſui ipſius Inſtitutione:* Κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ ΘΕΟΣ ΕἿΣ διὰ πάντων, καὶ Οὐσία μία, καὶ Νόμος εἷς, Λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ Ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελειότης μία τῶν ὁμογενῶν, καὶ τοῦ αὐτοῦ Λόγου μετεχόντων ζώων. Id eſt, *Mundus ex omnibus conſtat vnus, &* DEVS VNVS *per omnia diffuſus, vna Natura, vna Lex, vna Ratio, communis omnibus Ratione præditis animantibus, vna Veritas: ſiquidem & vna eſt Perfectio eorum quæ eiuſdem ſunt generis, & eiuſdem participantia Rationis, Animalium.*

Reſpexiſſe videtur Imperator ad aureos illos Sophoclis verſus:

> ΕἿΣ, ταῖς ἀληθείαισιν, ΕἾΣ ἐστὶν ΘΕΟΣ,
> Ὃς Οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ Γαῖαν μακρὰν,
> Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίαν.
>
> VNVM *profectò* NVMEN, VNVS *eſt* DEVS,
> *Qui condidit Cælum, & ſolum Terræ patens,*
> *Vadumque Ponti cærulum, & vim flaminum.*

Etenim, adfert & ingerit iſtos verſus Athenagoras Philoſophus, in ſua ad Impp. Cæſs. M. Aurel. Antoninum, & L. Verum, Augg. Legatione pro Chriſtianis, vbi Gentilium Deorum multitudinem confutat. Vberiùs autem eumdem Sophoclis locum laudant & interpretantur SS. Patrum vetuſtiſsimi, D. Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, in Parænetico aduerſus Græcos, & libro de Monarchia Dei: Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes: Theodoretus lib. VII. de Curatione Græcar. Affectionum: & D. Cyrillus lib. I. aduerſus Iulianum Imp.

Similiter Pythagoras, Philolaus, Plato, Hermes cognomento Triſmegiſtus, atque alij Gentilium, quibus mens ſanior, ſolo lumine Naturæ ducti, multifaria iſta Deorum nomina & ſimulacra ad Vnum aliquod ſupremum Numen referebant. Atque in hunc ſenſum Valerius Soranus apud D. Auguſtinum lib. VII. de Ciuitate Dei, cap. IX. Iouem ſic deſcribit:

Vide Eugubinum de Perenni Philoſophiâ lib. III.

> IVPPITER *omnipotens, Regum Rex ipſe, Deuſque*
> *Progenitor, Genitrixque Deum;* DEVS VNVS *&* OMNEIS.

Et Marcus Tullius lib. III. de Naturâ Deorum, manifeſtè τὴν πολυθεότητα euertens, aſſerit, *eos qui vulgò* DII *appellantur, Rerum Naturas eſſe, non figuras Deorum.* Quam ille ſententiam ex iſtis Orphei, Vatis antiquiſsimi, verſibus hauſiſſe videtur:

Orpheus apud Natal. Mytholog. lib. II. cap. VI.

> ΝΥΜΦΑΙ Ὕδωρ, Πῦρ ἩΦΑΙΣΤΟΣ, Σῖτος ΔΗΜΗΤΗΡ·
> Ἡ δὲ Θάλασσα ΠΟΣΕΙΔΑΩΝ μέγας, ἠδ' Ἐνοσίχθων·
> Καὶ Πόλεμος μὲν ἌΡΗΣ, Εἰρήνη δ' ἐστ' ἈΦΡΟΔΙΤΗ·
> Οἶνος, τὸν φιλέουσι Θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,
> Ὅς τε βροτοῖς εὗρεν λυπῶν καλλιτέρα πασῶν,
> Ταυρογενὴς ΔΙΟΝΥΣΟΣ εὐφροσύνην πόρε πᾶσιν
> Ἡδίστην, πάσῃσιν ἐπ' εἰλαπίνῃσι πάρεστι·
> Καὶ ΘΕΜΙΣ, ἥπερ ἅπασι θεμιστεύει τὰ δίκαια·
> Ἥλιος ὃν καλέουσιν ἈΠΟΛΛΩΝΑ κλυτότοξον,
> Φοῖβον ἑκηβελέτην, μάντιν, πάντων ἑκάεργον·
> Ἰητῆρα νόσων ἈΣΚΛΗΠΙΟΝ. Ἓν τάδε πάντα.
>
> NYMPHÆ *Aqua ſunt;* *Frumenta* CERES; VVLCANVS *at Ignis:*
> *Eſt Mare* NEPTVNVS, *canentia littora pulſans:*

MARS

MARS Bellum; Pax blanda VENVS: Vinumq́, quod almum
Dat Diuûm atque Hominum curis Animisq́, leuamen,
Corniger est BACCHVS, conuiuia læta frequentans:
Iustitiam veneranda THEMIS, rectumq́, tuetur:
SOL est, contorquens flammantia spicula, APOLLO,
Eminus & feriens, & Diuinator, & Augur:
Morborum expulsor Deus est ASCLEPIVS. Ista
Cedren. *Omnia sunt VNVM, quamuis sint Nomina multa.*

His concinit Arnobius lib.v.aduersus Gentes: *Vsu sermonis vestri* MARTEM *pro Pugna appellatis; pro Aquis* NEPTVNVM; LIBERVM PATREM *pro Vino*; CEREREM *pro Pane.* Et Næuius apud Festum Pompeium: *Coquus edit* NEPTVNVM, VENEREM, CEREREM. *Significat* (inquit Festus) *per* CEREREM *Panem; per* NEPTVNVM *Pisces; per* VENEREM *Olera.* Venus enim Hortis præsidere olim credita est. Pluribus de hac re agit D.Augustinus lib.iv.de Ciuitate Dei,cap.xxiv.

APOLLO, qui idem est cum SOLE, agmen ducit, Citharam dextrâ tenens, quemadmodum à priscis Artificibus pingebatur. Suidas: Ἀπόλλωνος ἄγαλμα κιθάραν ἐπὶ χειρῶν ἔχον πλάττουσι· οἱονεὶ τὸν Ἥλιον, τὴν τοῦ κόσμου ἁρμονίαν. APOLLINIS *simulacrum fingitur* CITHARAM *manibus tenens, quasi* SOL *sit Harmonia vniuersi.* Arcum sinistrâ gestat, cui Python serpens, eius telis interemptus, est circumuolutus. Pharetra cum sagittis eius lateri adhæret. Lauro Delphicâ coronatus est, intonsus, aureoq́ue capillitio conspicuus, quo Solarium radiorum fulgor denotatur. Atque ideò etiam χρυσοκόμας, *Auricomus*, dictus, teste Macrob.lib.I.Saturnal.cap.XVII. — APOLLO siue SOL.

RODOLPHO I. AVG. rectè SOLIS simulacrum adiunctum est, quòd is post insolitum viginti trium annorum interregnum, longamq́ue Temporum & Imperij velut Noctem, Lucem caliganti Mundo restituerit. Etenim, insigni præcellentium Virtutum fulgore competitores suos longè superauit, ——*& omnes*

Lucret. *Præstrinxit, Stellas exortus vt Æthereus* SOL.

Ac Potentiæ illius, quæ deinde per posteros eius in immensum creuit, & (vt Poëta ait)

Claudian. *Dispersit cum* SOLE *manus*, ——

primus Conditor exstitit. In Basi adscriptum:

AVSTRIADVM PER REGNA MEAT SVRGENSQVE CADENSQVE.

Æschines Philosophus olim de Persarum Rege dixit: Ὅσην ὁ Ἥλιος πορεύεται χώραν, ταύτης πάσης ἄρχειν ἄνδρα ἕνα. *Quamcumque* SOL *peragraret Regionem, illi vnum imperare Regem.* Atque in eumdem sensum exstat Imp. Cæs.Constantini Max. Aug. Numus, in quo cernitur SOL radiato capite, Orbem manu tenens, cum Inscriptione: SOLI INVICTO COMITI.

Ael. Aristides Encomio Romæ.

Choul. pag.208.

Num. CONSTANTINI Aug.

At longè veriùs de Augustissimâ AVSTRIÆ Domo ista efferri possunt, cuius ea est Imperij magnitudo & vastitas, vt nullo non momento SOL Regionem aliquam Ditioni eius subiectam permeet ac illustret, quacumque cæli parte, die noctuq́ue voluatur.

 Quod

Quod de nullo maximorum Imperatorum aut Regum, quotquot olim fuere vel modò supersunt, reuerà dici potest. Quin imò asserunt, non ita pridem Regem Persarum, ad Hispaniarum Regem litteras dedisse cum hac Inscriptione: REGI, QVI SOLEM HABET PRO GALERO. Quòd nempè, numquam non populorum aliquorum Coronæ Hispanicæ subditorum, lateque per Orbem Terrarum sparsorum, vertici SOL incumbat. Zuñig. Præfat. Cathol. Stat.

Memorabile & hoc inprimis & singulare, quod Ioan. Sambucus, Pannonius, obseruauit: Augustæ DOMVS AVSTRIÆ Sobolem omnibus Orbis Christiani Regnis (solâ Scotiâ exceptâ) felicissimâ propagine præfuisse, ac potitam esse. Sambucus Orat. Funebr. Ferd. I. Aug.

PALLAS. Alterum latus D. RODOLPHI AVG. claudit PALLAS, Galeata, & oleâ coronata, qualis in Numo Domitiani Aug. cernitur. Ægide (de quâ infrà ad Templum IANI) pectus eius munitum est, hastamque dextrâ, & scutum cum capite Gorgonis, lævâ præfert. Epigr.

CONSILIO PALLAS ET FORTIBVS INSTRVIT ARMIS.

Sapientiæ ac Militaris Roboris Præses Dea, RODOLPHO AVG. rectè adiuncta est, quòd iis artibus Imperium in Augustâ Familiâ suâ ille stabilierit. Nam, vt ait Sulpitia: Sulpitia in Satyr.

—— Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, VIRTVS *Belli,* & SAPIENTIA *Pacis.*

MARS VLTOR. MARS VLTOR Galeatus, Trophæum humero sinistro gestans, ALBERTO I. AVG. adstat, qui cæso Imperij æmulo ADOLPHO, triumphauit. Epigraphe:

VLTOR GVANS SPOLIIS MAVORS EXVLTAT OPIMIS.

Octauius Aug. Bello Philippensi, pro Vltione paternâ suscepto, Ædem MARTI VLTORI vouit, teste Suetonio & Dione. Naso lib. v. Fastor. vouentem Augustum sic introducit: Dion lib. LIV.

MARS *ades, & satia scelerato sanguine ferrum,*
Sceleq; Fauor caussæ pro meliore tuæ.
Templa feres, &, mi Victor, vocaberis VLTOR.
Vouerat, & fuso lectus ab hoste redit.

In Numis priscis, eius habitus & Templi exstat effigies.

a Choul. pag. 224. Idem. pag. 225. Cornutus. 211.

CERES. CERES culmos cum spicis sinu gestans FRIDERICO III. AVG. cui PVLCHRO cognomentum, adsistit. Adscriptum illud Nasonis v. Metamorph.

PRIMA DEDIT LEGES: CERERIS SVNT OMNIA MVNVS.

Cur Legifera dicta? *Legifera* CERES Maroni dicitur IV. Æneid.

—— mactant lectas de more bidentes

LEGIFERÆ CERERI.——

Ad quem locum eleganter Seruius: LEGES *enim ipsa dicitur inuenisse. Nam & Sacra ipsius* Θεσμοφόρια, *id est,* LEGVMLATIO *vocatur. Sed hoc ideò fingitur, quia ante inuentum frumentum à* CERERE, *passim homines sine* LEGE *vagabantur. Quæ feritas interrupta est, inuento vsu frumentorum: postquam*

ex

ex agrorum discretione nata sunt IVRA. M. quoque Tullius, Action. VII. in Verrem de CERERE & Proserpinâ sic loquitur: *Ab his initia Vitæ & Victus*, LEGVM, *Morum, Mansuetudinis, Humanitatis exempla Hominibus & Ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur.*

IVNO sceptrifera ALBERTO II. AVG. latus claudit. Epigraphe: IVNO.

ATTVLIT AVSTRIACIS IVNO DOTALIA SCEPTRA.

De IVNONE Nuptiali ad Arcus PHILIPPEI partem Anteriorem abundè egimus. Velata autem est Iuno, qualis à Libanio repræsentatur in Descriptione *Iunonis Pronubæ:* Πρῶτον μὲν κεφαλὴν ἐσκεπέ τι περικάλυμμα· τὸ δὲ μέχρι τοῦ λοιποῦ ἧκον σώματος. *Inprimis caput obtegebat velum quoddam: id verò vsque ad corporis partem reliquam pergebat.* Et certè Iuno Nuptialis ALBERTO II. AVG. propitia fuit, ductâ ELISABETHA Imp. Cæs. Sigismundi Aug. Hungariæ ac Bohemiæ Regis, Filiâ & Herede vnicâ.

VVLCANVS Pileo tectus, Malleum & Facem tenens, FREDERICVM IV. inter, & MAXÆMILIANVM I. Augg. adstat. Epigraphe: VVLCANVS.

CÆSARIBVS CVDO VICTRICIA MVLCIBER ARMA.

Armamentarium instructissimum Æniponti apud Tirolenses MAXÆMILIANVS AVG. condidit, vt & Mechliniæ apud Belgas. Pileatum verò Vulcanum fingi solitum testatur Arnobius lib. VI. aduersus Gentes: *Cum* PILEO *Vulcanus & malleo, fabrili expeditioni succinctus.* Rationem reddit Porphyrius apud Eusebium lib. III. de Præparatione Euangelicâ, cap. XI. (Cur Pileatus?) Τοῦ δ' αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον, ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι· Πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον, τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυρὸς ἐστὶ τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον. *Vim Ignis Vulcani nomine expresserunt, eiusque simulacro Hominis in speciem configurato* PILEVM *cæruleum indiderunt. Quo cælestem illam conuersionem denotarent, vbi primigenius & ab omni face purissimus Ignis est.*

HERCVLIS effigies quæ mox sequitur, quamquam de numero XII. DEORVM CONSENTIVM ille non sit, hîc tamen spatij, quod Porta media occupauerat, explendi caussâ, à Sculptore adiuncta est. Epigr.

HERCVLEOS DOMVS AVSTRIADVM EST IMITATA LABORES.

NEPTVNVS Tridentiger Imp. Cæs. CAROLO V. AVG. proximus est. Epigraphe: NEPTVNVS.

AVSTRIACIS GEMINOS, NEPTVNE, INTERLVIS ORBES.

Auspiciis Imp. Cæs. CAROLI V. AVG. Mexicana & Perüana NOVI ORBIS Imperia, immensis Oceani Atlantici spatiis ab Europâ semota, Hispaniarum Regnis adiuncta sunt. Ipse CAROLVS Aug. Θαλασσοκράτωρ, *Maris Dominus*, Mediterraneum Mare octies, Oceanum Hispanicum quater nauigauit: vt de se testatur ipse Cæsar, in eâ Oratione, quâ Regnis suis Imperioque, iam senio ac laboribus fractus, sese abdicauit. (Heuter. lib. XIV. Rer. Belg.) Cur autem Tridens Neptuno à priscis tribuatur, infrà ad Pegma MERCVRII Abiturientis oportuniùs referemus.

VESTA, Ignem Fulmenque manu gestans, FERDINANDO I. AVG. adstat. Adscriptum: VESTA.

VESTA EADEM ET TERRA EST, TIBI QVÆ, GENS AVSTRIA, PARET.

Ex Nasone, VI. Fastorum sumpta est hæc Epigraphe. Eius verba sunt:

> VESTA *eadem est &* TERRA: *subest vigil* IGNIS *vtrique:*
> *Significat sedem Terra, Focusque suam.*

Variis nominibus VESTA olim appellabatur, teste D. Augustino lib. IV. cap. X. de Ciuitate

Dei: *Eamdem* TERRAM *Cererem, eamdem etiam* VESTAM *volunt, cùm tamen sæpius* VESTAM *non nisi* IGNEM *esse perhibeant, pertinentem ad Focos, sine quibus Ciuitas esse non potest.* Plato lib. XII. de Legib. Γῆ μὲν οὖν Ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων Θεῶν. id est, M. Tullio lib. II. de Legib. interprete: TERRA *igitur ut* FOCVS *Domiciliorum, sacra Deorum omnium est.* Idem in Phædro, cùm Deos omnes ac Planetas moueri, IOVIsque currum sequi asserat, solam VESTAM in medio illorum immobilem consistere, ait: Ὁ μὲν δὴ μέγας Ἡγεμὼν ἐν Οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος. Τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ Θεῶν καὶ Δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. Μένει γὰρ Ἑστία ἐν Θεῶν οἴκῳ μόνη. *Magnus sanè Dux in cælo* IVPITER, *currum agens volucrem, primus incedit, omnia coordinans & curans. Hunc sequitur Deorum Geniorumque exercitus, in* XI. *partes distributus. At* VESTA *sola perstat manetque in Deorum domo.* Ad hunc Platonis locum respexit Arnobius lib. III. aduersus Gentes: TERRAM *quidam e vobis, quòd cunctis sufficiat animantibus victum,* MATREM *esse dixerunt* MAGNAM: *eamdem hanc alij, quòd salutarium seminum frugem gerat,* CEREREM *esse pronuntiant: nonnulli autem* VESTAM, *quòd in Mundo* STET *sola, ceteris Mundi partibus mobilitate in perpetuâ constitutis.* Hinc Ouidius VI. Fastor.

STAT VI *Terra suâ*: VI STANDO VESTA *vocatur.*

Orpheus in Hymnis:

Ἑστία ἀγνοτάτη Κρόνου θύγατερ βασίλεια·
Οἴκου Θεῶν μακάρων θνητῶν στήριγμα κραταιόν.
Inclyta VESTA, *senis Saturni casta propago:*
FVLCIMENTVM *ingens Hominum simul atque Deorum.*

Plutarchus eleganter Imperium Romanum πᾶσιν ἀνθρώποις Ἑστίαν ἱερὰν ὡς ἀληθῶς καὶ ὀνησιδώραν. *Omnibus Hominibus* VESTAM, *id est, Larem sacrum verè atque Beneficum,* appellat. Plutarch. lib. de Fortunâ Roman.

VESTA CÆSAREA. Naso quoque XV. Metamorph. VESTAM cognomento CÆSAREAM indigetat, quòd ab Octauio Aug. Cæsare, VESTÆ Templum in ipso Palatio esset exstructum:

VESTAque, CÆSAREOS *inter sacrata Penates,*
Et cum CÆSAREA *tu, Phœbe domestice,* VESTA.

Eadem Religionis symb. Quin & RELIGIONEM olim per VESTAM designasse veteres, ad illud Maronis, I. Æneid.

Cana FIDES *&* VESTA, ——

Auctor est Seruius: *Canam* FIDEM *dixit, quòd in canis hominibus inueniatur;* VESTAM *verò* RELIGIONEM, *quia nullum sacrificium sine* IGNE *est, ipsaque in omnibus inuocatur.* Sed & Palladium, id est, Arcanum IMPERII PIGNVS, in Æde VESTÆ asseruabatur. Vnde Liuius lib. V. *Quid de æternis* VESTÆ *Ignibus,* SIGNOque, *quod* IMPERII PIGNVS, *custodiâ eius Templi tenetur, loquar?* Huc spectat Vespasiani Aug. Numus, in quo VESTA Lampadem ferens. Item alius Hadriani Aug. in quo VESTALES Virgines sacrificantes expressæ, cum Inscriptione: SACRA ROMANOR. RESTITVTA. Alter quoque Traiani Aug. in quo VESTA, PALLADIVM gestans.

a I. Lips. de Vesta cap. III. b Idem cap. X. c Idem cap. IX.

Meritò autem FERDINANDO I. AVG. qui Liberis XV. ex ANNA IAGELLONICA Aug. Coniuge suâ susceptis, felicissimâ sobole Imperium in Familiâ suâ fundauit, ac Religionis studiosissimus fuit, VESTA, quæ eadem DEORVM MATER priscis dicta, RELIGIONISque & PALLADII conseruatrix, adiuncta est.

MER-

MERCVRIVS, Iuuenili habitu, petasatus, & caduciferMAXÆMILIANO II. AVG. adstat. Alteram manum chlamyde operit. Legatorum enim tecta esse debent mandata. Epigr. MERCVRIVS.

ADSIS, O, FACVNDE HERMES, PACISQVE SEQVESTER.

Ἑρμῆς Λόγιος, MERCVRIVS *disertus*, vt Eloquentiæ Præses, appellatur à Synesio. Idem quoque Κήρυξ θεῶν, *Caducator Deorum*, priscis dictus, quòd Legationibus & disidiis Deorum componendis præesse crederetur. Adeoque victimarum Linguæ eius Honori olim consecrabantur, teste Phurnuto lib. de Naturâ Deorum.

Exstat apud me Postumi Aug. Numus, in quo Mercurius, cum Petaso, Caduceo, ac marsupio, adscriptum: MERCVRIO PACIFERO.

Croyiac. Tab. XII.

Principum omnium suæ ætatis facundissimus fuit MAXÆMILIANVS II. AVG. variorumque idiomatum ita peritus, vt octo linguis expeditè loqueretur. Nascentibus Belgarum tumultibus sequestrum Concordiæ sese obtulit. Ac deinde, misso Gunthero, Comite Suartzenburgico, Perduelles ad Regium obsequium perducere, sed frustrà, est conatus. Famian. Strada lib. VIII. de Bell. Belg. Thuan. lib. XX.

VENVS VICTRIX, pomum aureum manu ferens, ob formæ victoriam Paridis iudicio partam, ac Cesto cincta, RODOLPHO II. AVG. adsistit. Epigraphe: VENVS VICTRIX.

INSANOS MARTIS COHIBET CYTHEREA FVRORES.

Romani, quòd Originis & Imperij sui primordia ad MARTEM & VENEREM referrent, præcipuis Honoribus illam prosequebantur & VICTRICIS nomine colebant. Rutilius Numatianus, vir Consularis, in Itinerario sic Romam affatur:

Auctores generis VENEREM, MARTEMq; *fatemur,*
Æneadum Matrem, Romulidumq; Patrem.
Mitigat armatas VICTRIX CLEMENTIA *vires:*
Concessit in Mores Nomen cuncta tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendiq;, Voluptas:
Quos timuit, superat; quos superauit, amat.

Exstant prisci Numi, Plautillæ, Faustinæ, & Vrbicæ Augustæ. cum Inscriptione, VENVS VICTRIX.

Croyiac. Tab. LIV. Ibidem Tabul. XLVIII. Claud. pag. 116.



Templi VENERIS VICTRICIS meminit Plutarchus in vitâ Pompeij, vbi Νικοφόρον illam appellat, & Plinius lib. VIII. cap. VII. Idem lib. XV. cap. XXIX. *Postumium Tubertum, qui de Sabinis triumphans primus omnium ouans Vrbem ingressus est, quoniam rem leniter, sine cruore, gesserat, Myrto* VENERIS VICTRICIS *coronatus incessit.*

Cestus quid?

De Cesto, Veneris cingulo, Suidas: Κεστὸς, ὁ διακεκοσμημένος ἱμὰς ἢ ἱμάτιον Ἀφροδίτης. *Cestus, compunctum & variegatum cingulum: vel, Indumentum Veneris.* Homerus sic illum describit: Iliad. Ξ.

Ἡ, καὶ ὃν κόλπον ἐλύσατο Κεστὸν ἱμάντα,
Ποικίλον· ἔνθα δὲ ᾗ θελκτήρια πάντα τέτυκτο.
Ἐν δ' ἔμπνη φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ἀπάτη τε
Πάρφασις, ἥ τε καὶ αὐτοῦ νόον πύκα περ φρεσὶν ἄσῃ.

Sic ait, & varium solvit de pectore CESTON;
In quo blanditiæ, molles q; Cupidinis artes,
Votaq; sunt & amor, muliebria verba loquelæ,
Quamvis prudentum cautas fallentia mentes.

IVPITER CONSERVATOR. IVPITER CONSERVATOR, Fulmen gestans, ad dextrum latus FERDINANDI II. AVG. conspicitur. Epigraphe:

PARCO PIIS, IN TERRIGENAS MEA FVLMINA VIBRO.

IOVI CONSERVATORI seu CVSTODI, Templum ingens Romæ erectum fuisse testatur Tacitus lib. III. Historiar. In Gordiani Aug. Numo idem cernitur, pallio suo Imperatorem protegens, cum Inscriptione: IOVI CONSERVATORI.



In Gord. de Imp. Mun. lib. 1. cap. III.

Similis quoque est Traiani Aug. Numus, cui inscriptum: CONSERVATORI PATRIS PATRIÆ. Morelli in Hispania lapis:

In Cryptis tab. XXXIII. Gruter. pag. XIX.

IOVI CONSERVATORI
OB INCOLVMITATEM TEMPORVM
M. AA.
HANC ARAM POSVIT,
ET D. D.

De IOVIS etymo sic Isidorus, Hispalensium Præsul, Origin. lib. VIII. cap. XI. IOVIS *ferturà* IVVANDO *dictus*, & IVPITER *quasi* IVVANS PATER. Effigies autem FERDINANDI II. AVG. dextro pede Serpentem calcat: quo schemate hæreticæ Perduellionis Fœdus, ab illo oppressum denotatur. Eodem habitu Valentinianus III. Aug. cernitur in priscis Numism.



Croyiac. Tabul. LXVIII.

DIANA. DIANA, Lunam crescentem in fronte præferens, arcumque & pharetram, Venatricis ritu gestans, qualis in Numis antiquis spectatur, huic Imp. Cæs. FERDINANDI II. Aug. lateri adstat, agmenq; DEORVM CONSENTIVM claudit. Adscriptū illud Maronis:

ASTRORVM DECVS ET NEMORVM LATONIA CVSTOS.

Vena-

BIBLIOTECA NACIONAL

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

R.P. Gul. Lamormaini, de Virtutib. FERDINANDI II. Aug. c. XVIII. & XIX.

Venationis in primis studiosus erat Imp. Cæs. FERDINANDVS II. Aug. ac post grauissima rerum domi Militiæque gerendarum expedita negotia, eâ se oblectabat. Feruntque ipsum dicere solitum: *Tribus rebus sibi occupato Tempus numquam longum esse visum; Diuinis Officiis, Consiliis*, VENATIONIBVS. Et certè, Venatio proprium Heroibus exercitium semper habitum fuit. Quod & à Platone commendatur, in fine lib. VII. de Legibus: Μόνη δὴ πᾶσι λοιπὴ καὶ ἀρίστη ἡ τῶν τετραπόδων ἵπποις καὶ κυσὶ, καὶ τοῖς ἑαυτῶν ΘΗΡΑ σώμασιν. Ὧν ἁπάντων κρατοῦσι δρόμοις, καὶ πληγαῖς, καὶ βολαῖς, αὐτόχειρες θηρεύοντες, ὅσοις Ἀνδρείας τῆς θείας ἐπιμελές. Νόμος δὲ ὅδε· τούτους μηδεὶς ἱεροὺς ὄντως θηρευτὰς κωλυέτω, ὅπου καὶ ὅπῃπερ ἂν ἐθέλωσι κυνηγετεῖν. *Sola & quidem optima* VENATIO *est Quadrupedum, quæ equis & canibus, & corporis viribus peragitur. Quibus enim Heroica fortitudo curæ est, ij quadrupedes omnes cursu, vulneribus telisq; manu propriâ venando superare debent. Lex autem ita statuitor: Sacros hos Venatores, vbicumque & quando venari voluerint, nemo prohibeto*. Iulius Pollux Onomastici lib. v. ad Commodum Cæs. *Venationem* vocat Ἐπιτήδευμα Ἡρωϊκὸν, καὶ βασιλικὸν, καὶ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα καὶ εὐψυχίαν ἀσκοῦν. Καὶ Εἰρηνικῆς τε καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα· *Studium Heroicum, Regiumq; & ad Corporis Animiq; bonam Constitutionem conferens: ac tam placidæ Fortitudinis, quàm Militaris Audaciæ specimen*. Videndus elegans Xenophontis, Ducis & Philosophi præstantissimi, libellus de Venatione.

Venatio, Heroicū studium.

Strada in Vitis Impp. *Hulsius* in Numismat. Impp. *Piesbord.* in Stemmate Austriaco.

In posteriore Porticus parte, SYMBOLA XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM, quemadmodum ab Octauio Strada, Læuino Hulsio, Theod. Piesbordio, aliisque adferuntur, retrò, supra cuiusque Statuam, in ouali tabella expressa visebantur.

SYMBOLA XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM.

Atque à Dextro quidem latere, hæc erant:

In altero latere ista spectabantur:

Horum Symbolorum Interpretatio ex Iacobi Typotij, ad Diuina Humanaque Cæsarum Regumque Symbola Isagoge, peti potest.

Cæterùm, Statuæ illæ omnes XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM, Bruxellas in Aulæ Regiæ Porticum, quæ Θηριοτροφεῖον, siue Septum ferarum, respicit, translatæ sunt. Vbi & præcipuæ Arcuum Triumphalium ac Pegmatum Tabulæ spectantur.

ICHNOGRAPHIAM denique PORTICVS CÆSAREO-AVSTRIACÆ hîc subiunxi.

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ

SERMÆ PRINCIPIS

ISABELLAE CLARÆ EVGENIÆ,

HISPANIARVM INFANTIS, &c.

HAVD procul vestibulo Ædis D. Iacobi, è regione viæ à D. CLARA nomen sortitæ, Pegma erat, Altitudinis pedum LX. & Latitudinis, XLVIII: quod Æternæ Memoriæ & Honori Serm.æ Heroinæ, ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Belgarum quondam Principis ac Dominæ, erectum erat. Id à posteriori parte panno lugubri, è Fastigio ad latera vtrimque dependente, erat vestitum, Candelabris plurimis & Funalibus accensis collucens. Qualia Principibus vitâ functis hodie *Sacella ardentia* (vt vulgò vocant) solent erigi.

Tale quid & Cæsarum Honori post eorum obitum à Romanis olim factitatum, constat ex Herodiani libro IV. vbi Imp. Cæs. Seueri Aug. Iusta Funebria describit. Et in Numis T. Antonini Pij, & L. Veri, Augg. aliorumque Cæsarum, eiusmodi suggestus quadruplici schemate exurgens, cernitur, cum Inscriptione: CONSECRATIO. Quâ de re videndus Ant. Augustinus, Archiepisc. Tarracon. Dialogo IV. Antiquitat. Romanar. Cropac. Tabul. XXII. Erico. pag. 146. Chiof. pag. 80.

Funalia autem & Faces, vt hodie, ita & olim in Funeribus adhibitas, clarum est è Marone, vbi de Pallantis Funere agit: Æneid. XI.

——— *lucet via longo*
Ordine FLAMMARVM, *& late discriminat agros.*

CANDELABRVM *septuplex.* Ingens illud CANDELABRVM SEPTVPLEX, quod in summo Pegmatis Fastigio eminet, tres habet ramos, vtrimque emergentes è medio scapo. Talis CANDELABRI illius Aurei forma erat, quod Diuino monitu à Moyse fabricari iussum, in templo Salomonis conspiciebatur: quodque expugnatis à Tito Vespasiano Aug. Hierosolymis, Romam auectum, & cum aliis Templi spoliis in Triumpho circumlatum fuit. Cernitur hodieque eius CANDELABRI figura expressa Romæ in Arcu Marmoreo Titi Aug. quod hîc è Choulij Antiquitatibus repræsentari curauimus. Exod. cap. XXV. Ioseph. Bell. Iud. lib. VII. cap. XXIII. Chiof. pag. 6.

CANDE-

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

CANDELABRVM hoc, CÆLI Symbolum esse, asserebant Hebræi. Et medium quidem Funale, SOLEM; sex vtrimque lateralia, reliquos sex PLANETAS interpretabantur, vt testatur Philo lib. *Quæ rerum Diuinarum heres sit.* ac lib. III. de vitâ Moysis: Iosephus item Antiquit. lib. III. cap. VII. Clemens quoque Alexandrinus lib. V. Stromatum, eiusdem est sententiæ: Τρεῖς γὰρ ἰκατέρωθεν τῆ Λυχνίας ἐκπεφύκασι κλάδοι, κατὰ τὸν αὐτὸν ⊙ λόγον· ἐπεὶ καὶ ὁ Ἥλιος, ὥσπερ ὁ λυχνία, μέσος τῶν ἄλλων Πλανητῶν τέταγμένος, ὡς ὁ μὲν κατὰ αὐτὸν, οἱ δὲ κατ' αὐτὸν, κατὰ ποιὰν φυσικὴν ἐκδόσιν τῆ φωτός. *Ex vtraque*, inquit, *parte* CANDELABRI, *tres inserti sunt rami, & in ipsis Lucerna, quoniam* SOL *quoque tamquam Candelabrum, collocatus in medio aliorum* PLANETARVM: *& iis qui sunt super ipsum, & iis qui sunt sub ipso, Diuinâ quadam Musicâ Lucem indit.* CANDELABRVM. *Mystrum quid denotet?*

Huius autem Candelabri Figuram in sepulchris veterum, non Hebræorum tantùm, sed & Christianorum, exprimi solitam testatur Ant. Bosius, Presbyter, in Descriptione Romæ subterraneæ, lib. IV. cap. XLVI. Quòd nempe vitâ functorum Animas è Cælo ortas, in æternam Cælorum Lucem ex his Terræ tenebris, euolare innuerent. Atque hoc allusisse videtur Claudianus in Panegyrico de III. Consulatu Honorij Aug. vbi de Parentis eius Theodosij Aug. felici excessu agens, illum Planetarum Orbes permeasse, sic canit:

——— Liquido signauit tramite nubes,
Ingreditur{que} globum LVNÆ, *Lumen{que} relinquit*
ARCADOS, & VENERIS *clementes peruolat auras.*
Hinc PHOEBI *permensus iter, flammamq{ue} nocentem*
GRADIVI, *placidumq{ue}* IOVEM, *flectit arce supremâ,*
Algenti quàm zona riget SATVRNIA *tractu.*
Machina laxatur CÆLI, *rutilæq{ue} patescunt*
Sponte fores. Arctos parat conuexa Bootes:
Australes referat portas succinctus Orion:
Inuitantq{ue} nouum SIDVS: *pendentq{ue} reuisstm*
Quæ partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur Stellis, aut quàm Regione moueri.

Cæterùm, Clemens Alexandrinus dicto iam loco, aliisque sancti Patres, veriùs de æternâ ac ineffabili Mundi Luce, CHRISTO, (qui & Resurrectio est, & Vita) hoc Candelabrum interpretantur. Et Clementis quidem verba sunt: Ἔχει δὲ ἓν μὲν ἄλλο αἴνιγμα ἡ ΛΥΧΝΙΑ ἡ ἀγωθὴ, ἓ σημεῖον ἓ Χριστοῦ, ἀ τῆ κρίματι μόνη, ἀλλὰ καὶ τῆ φωτιμοδοῦν πολυτρόπως ἓ πολυμεροῦς εἶδ' εἰς αὐτὸν πιστεύοντας, ἐλπίζοντάς τε καὶ βλέποντας διὰ τῶν σωθοδίων διακονίας. *Habet autem aliud quoque Ænigma* AVREVM CANDELABRVM; *quòd nempe signum sit* CHRISTI *non figurâ solâ, sed eo etiam, quòd* LVCEM *immittat multifariam, multifq{ue} modis in eos qui in ipsum credunt, sperant & respiciunt, per ministerium eorum qua sunt primò creata.* Psam. 8. & 11.

Alias SS. Patrum de Candelabro hoc mystico interpretationes hic omitto: cuius accuratam delineationem & formam videre est apud Ben. Ariam Montanum, Hispalensem, in libro de Diuinis Fabricis, Villalpandum, aliosque. Villalpand. in Ezech. Tom. 2. part. 2.

Sub maiori autem illo Candelabro, vtrimque alia minora septem: vt & in vtroque Pegmatis cornu, supra Columnas tortiles, triplex candelabrum adstat, cereis accensis.

In Tympano, & Fornice, SERAPHINI VII. minores conspiciuntur, encarpis distincti. Ab vtroque Tabulæ latere SERAPHIN ægeminæ maiores adstant, calathiscos floribus plenos vertice sustinentes. Flores enim in Funeribus olim adhibitos, testis est Maro: SERAPHIM. Æneid. VI.

Purpureos spargam FLORES, *Animamq{ue} Nepotis*
His saltem accumulem donis.

Et Plinius lib. XXI. cap. III. de Funere Scipionis agens: *Asses contulit Populus, ac Funus locauit: quáq; præferebatur,* FLORES *è prospectu omni sparsit.*

TABVLÆ MEDIÆ *descriptio.* In superiori parte TABVLÆ Mediæ, D. ISABELLA supra nubes eleuata sedet, Religioso Ordinis DIVÆ CLARÆ habitu amicta, quem post Archiducis, ALBERTI AVSTRII, Belgarum Principis, Mariti sui, obitum, Regiis ornamentis, omnique mundo muliebri spreto, assumpserat. Asidet illi figura Muliebris cum puerulis tribus, ipsam (si ita loqui liceat) Maternitatem, siue Pietatem & Affectum maternum, quo Ser^ma ISABELLA Belgas complexa fuit, designans. Supra verticem, Epigraphe:

MATRI PATRIÆ,
CÆLO RECEPTÆ.

Certè Belgis omnibus gratissima & sacrosancta est ISABELLÆ AVGVSTÆ memoria: in quâ præter alias Heroicas Virtutes ea PIETAS enituit, vt etiamnum viuens à subditis suis *Sancta Princeps*, communi Elogio vocaretur. De eximiis eius Virtutibus Epigramma istud olim lusimus:

Maiestas Proauûm, Pietas, Clementia; iunctæ
Virtutum pariter Deliciæ & Charitum,
In Terras supero delapsæ cardine, vultu
EVGENIÆ *sedem constituère suam.*

Cùm (vt suprà diximus) cineraceam D. CLARÆ tunicam iam Vidua induisset, Matrona quædam eius Aulæ primaria ipsam ab incepto reuocare conabatur, quasi habitus ille personæ ac Dignitati eius parum conueniret. At illa generosè respondit: *Multas quoque* REGINAS *simili veste indutas, non modò in publicum, sed etiam in Castra prodiisse.* *Aub. Miræus in* Chron. Belg.

ISABELLA CARINTHIA. Imitata fuit piissima Princeps cognominem sibi ISABELLAM CARINTHIAM AVG. quæ Mariti sui, ALBERTI AVSTRII, Imperatoris eo nomine Primi, memoriam in Æde sacrarum Virginum, quam ad Tumulum eius condiderat, religiosâ viduitate coluit: *Cuspinian.* Vita Alberti Imp.

D. ISABELLA ARAGONIA. Itemque D. ISABELLAM ARAGONIAM, Lusitaniæ Reginam, Consanguineam suam, *Regum Regnorumq;* PACATRICEM olim dictam, quæ à Mariti sui, Dionysij Regis obitu DIVÆ CLARÆ habitum induit: ac post vitam sanctissimè exactam plurimis miraculis inclyta, demùm Anno Iubilæi, & nostræ Salutis, CIↃ. IↃC. XXV. solenni ritu in Cælitum Catalogum relata est, à S. D. N. VRBANO VIII. Pont. Max. cuius iste quoque in eamdem DIVAM PACIFICATRICEM elegantissimus exstat Hymnus: quem vt ardentibus votis ingeminemus, exulcerata hæc Reipub. Christianæ hortantur Tempora: *Ant. Vasconcell.* de Regibus Lusitan. *Maphæus Cardin. Barberin.* nunc VRBAN. VIII. P. M. in Poëmat.

Opes, Decusq; Regium reliqueras,
ELISABETH, *Dei dicata Numini;*
Recepta nunc bearis inter Angelos:
Libens ab Hostium tuere nos Dolis.
Præi, viamq; DVX SALVTIS, *indica:*
Sequemur. O, SIT VNA MENS FIDELIVM!
Odor bonus sit omnis Actio; tuis
Id innuit ROSIS *operta* CARITAS.

Et verò, tempus aliquando fore, Belgæ ominamur, dum vnà cum Charitum illâ Trigâ, DIVIS ISABELLIS, HVNGARICA, FRANCICA & ARAGONICA, Regum Filiabus;

ISA-

POST DVAM EVGENIEN SVMME GERMANÉ MONARCHÆ
DEFENSOR BELGII, PRÆSIDIVMQVE VENIS.
COMPLME CIVILES ARMIS VEL FACE TVMVLTVS,
CONSILIISQVE ADSIT PTRA MINERVA TVIS.
TIO SVERQVANTA EST LARGI INDVLGENTIA REGIS!
QME IBERAS IN TE BELGICA, QVANTVS AMOR!
ARMA NROS, ET OPES BELGIS DEDIT ANTE PHILIPPVS
AST ANIMÆ PARTEM NVNC DEDIT ILLE SVÆ.

Biblioteca Nacional de España

ISABELLA hæc AVSTRIACA, Regis maximi Filia, Diuorum catalogo adscripta, Quarta eius nominis, cum Cælitibus illis numerabitur.

Sed ad TABVLÆ mediæ descriptionem reuertamur: in cuius Inferiori parte geminæ conspiciuntur Matronæ, pullato habitu, quarum altera, MOESTITIA est, seu LVCTVS: altera in genua procumbens, adiacente Leone, BELGICAM refert, quæ sublatis ad cælum manibus, ISABELLÆ, Patronæ suæ, opem implorat. Illa vultu ad BELGICAM conuerso, manumque versus Ser^mum Principem FERDINANDVM tendens, præsidium & solamen longis Belgarum malis commonstrat. Ac Maronianum illud videtur proloqui:

HIC VIR, HIC EST, TIBI QVEM PROMITTI SÆPIVS AVDIS,
BELGICA. ——

Nam in eâdem Tabulâ, sub Conopeo expressus est Rex Catholicus, PHILIPPVS IV. qui FERDINANDVM, Fratrem vnicum, in BELGIVM ablegat, eiusque Gubernacula ei committit. Adstat IVPITER, Fulmen, Imperij ac Potentiæ Symbolum, manu gestans: & MINERVA, Belli Pacisque Artibus Præses Dea. Deducunt Principem GENII alati duo: alter SCVTVM PALLADIS cum Gorgone, Belli signum, vnaque succrescentis Herbæ thyrsum, SPEI Symbolum, præfert; alter CADVCEVM & CORNVCOPIÆ, Pacis signa. Sub Ser^mo Principe:

IN VTRVMQVE PARATVS.

Ad pedes GENII, Gorgone armati, est Adolescens manu adducens Equum, cui hastati aliquot adstant milites. Sub TABVLA hæc Inscriptio:

POST DIVAM EVGENIEN, SVMMI GERMANE MONARCHÆ,
DEFENSOR BELGIS, PRÆSIDIVMQVE VENIS.
COMPRIME CIVILES, ARMIS VEL PACE, TVMVLTVS,
CONSILIISQVE ADSIT FIDA MINERVA TVIS.
PRO SVPERI! QVANTA EST LARGI INDVLGENTIA REGIS!
QVÆ PIETAS IN TE, BELGICA, QVANTVS AMOR!
ARMA, VIROS, ET OPES BELGIS DEDIT ANTE PHILIPPVS,
AST ANIMÆ PARTEM NVNC DEDIT ILLE SVÆ.

Paternum tuum in Belgas affectum clariùs haud potuisti ostendere, REX INDVLGENTISSIME, quàm misso ad nos Fratre tuo vnico, Ser^mo FERDINANDO, Orbis Christiani Delicio, Animi tui Dimidio. Quâ vnâ re, neque maius quidquam dare ipse potuisti, neque BELGICA accipere. Hic ille est,

Per quem Bella geris: cuius nunc Corpore pugnas:
Auspicium cui das grande, Deosq; tuos:
Dimidioq; Tui præsens & cernis IBEROS;
Dimidio procul es, Iustaq; Bella geris.

Ouid. lib. IV. Trist. Vt Nasonis de Druso Germanico ad AVGVSTVM verba per παρῳδίαν vsurpemus.

Porrò, SCVTVM & CADVCEVM, Belli & Pacis Symbola esse, diximus. Ita populus Romanus olim ad Carthaginenses misit *Hastam & Caduceum, ex quibus vtrum vellent, eligerent*, teste GELLIO, SCVTVM & CADVCEVM.

Gellio, lib. x. cap. xxvii. Notumque est Adagium, Δόρυ καὶ κηρύκειον, *Hasta & Caduceus.* De quo Polybius lib. iv. Historiar. Πρεσβευτὴν μὲν Ἀριδίκην προεχειρίσαντο πρὸς τοὺς Βυζαντίους· Πολεμοκλῆ δὲ τρεῖς ἔχοντα τριήρεις, ὁμοῦ συναπέστειλαν, βουλόμενοι τὸ δὴ λεγόμενον, καὶ τὸ δόρυ καὶ τὸ κηρύκειον ἅμα πέμπειν πρὸς τοὺς Βυζαντίους. *Legatum quidem Aridicen ad Byzantios Rhodij decreuerunt, sed & Polemoclem cum tribus Triremibus vnà proficisci iusserunt: volentes (sicut dicitur) Hastam & Caduceum simul Byzantiis mittere.*

CANIS infrà ad gradus cernitur: vt in antiquis marmoribus passim Geniis Tutelaribus Canis est adiunctus.

EQVVS Belli Symbolum. EQVVS, Animal Itineribus & Militaribus vsibus aptissimum, priscis Belli Symbolum fuit. Hinc Anchises apud Maron. iii. Æneid.

—— Bellum, ô, Terra hospita, portas;
Bello armantur EQVI, *Bellum hæc armenta minantur.*

Et Porphyrius lib. iii. de Abstinentiâ ab Animalibus: Συμπολεμεῖν μὲν ἵππους, καὶ συνθηρεύειν κύνας. *Ad Belligerandum Equos, ad venationem Canes,* à Deo creatos, scribit. Pluribus de hac re agit lib. i. de Militiâ Equestri, R.P. Hermannus Hugo Bruxellanus, è Societate IESV, florentissimi vir Ingenij, & longiore vitâ dignissimus, quo Præceptore Adolescentiæ meæ studia olim formata fuisse, equidem gloriari soleo.

A dextro Pegmatis latere, ad Columnas tortiles coloris candidi, auro variegatas, Matrona est, prisco ritu Serpentem cum Paterâ tenens. Adscriptum:

SALVS PVBLICA.

Tales exstant Numi, Macrini, Probi, aliorumque Cæsarum, cum Inscriptione: SALVS PVBLICA. Occo.

SERPENS Salutis Symb. SERPENS, SALVTIS Symbolum olim habitus est, tum quòd pellem quotannis exuens, pulso senio vigorem iuuenilem resumat; tum quòd multa in ægrum genus humanum remedia à Serpente proficiscantur. Et in primis Theriaca, præsentissimum aduersus venena, variosque morbos, præsidium, è viperarum carne conficitur. Sed & Æsculapius, Medicinæ Præses, olim sub Anguis formâ colebatur. Vnde de illo Claudianus, lib. iii. de Laudib. Stiliconis:

Huc depulsurus morbos Epidaurius Hospes
Reptauit placido tractu: vectumque per vndas
Insula Pæonium texit Tiberina DRACONEM.

A sinistro latere, Matrona est Palmam dextrâ, Anchoram læuâ gerens. Adscriptum:

SECVRITAS.

In Numo M. Aur. Antonini Aug. SECVRITAS visitur, Coronam Lauream Palmæ imponens, quòd nempe è Victoriis & rebus prosperè gestis Securitas Reipub. nascatur. Anchora stabilitatis nota est. Croyiac. Tab. xlv.

Inferior Pegmatis pars, Thusci; superior, Compositi est operis.

ARCVS

Biblioteca Nacional de España

INVIDIAE VIAM INTERCLVDIT MAIORITA VIRTVS
ASSYRIADVM, CESSANTES INVIDAM ELVCTARI CITERIAS,
TERRA SVO ILLAESAVIT ITER, CESSERE FVRORIS

RELLIQVIAE, GVSTAVE, TVI: PENITVSQVE SVBACTVS
SVCCVBVIT BOREAS DEBELLATIQVE TRIONES,
DISCERPTVSQVE AQVILIS CECIDIT VICTRICIBVS ANGVIS.

ARCVS FERDINANDINI

PARS ANTERIOR, IN QVA VICTORIA NORLINGANA.

VIAM, quæ vulgò Longa-noua vocatur, haud procul Negotiatorum Porticu, quâ via Maregrauia & Prunia sibi occurrunt, Arcus luculentissimus ornabat; Altus LXXII. pedes, Latus, XL. Profundus, XXVI. Priorem eleuationem Columnæ sex operis Dorici; alteram Pilæ quatuor constituebant.

Mos Arcuum Triumphalium Imperatoribus, post rem præclarè gestam, erigendorum, antiquissimus est. Nam & de Romuli & Camilli Arcubus legimus. Exstantque hodie Romæ Titi Vespasiani, Septimij Seueri, & Constantini, Augustor. Arcus marmorei penè integri: atque in iis Loca vbi Bellum gestum, ac Pugnæ monumenta repræsentata sunt. Erant hi Arcus velut Portæ quædam Triumphales. Hinc Martialis libro VIII. Epigrammate LXV.

Stat facer edomitis Gentibus ARCVS *omans:*
Hæc est digna tuis, Germanice, PORTA *Triumphis:*
Hos aditus Vrbem Martia habere decet.

Ab Imperatoribus autem, quorum Honori erant erecti, Nomen Arcus sortiebantur. Vnde Roma apud Claudianum, sic Honorium Aug. affatur:

Claudian. Panegyr. de VI. Consulatu Honorij Aug.

Iamq; ego frænabam geminos, quibus altior ires,
Electi candore equos: & NOMINIS ARCVM
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere togâ. PVGNÆ MONVMENTA DICABAM,
Defensam Titulo Libyam testata perennis.

Ex hoc more, in Arcu isto FERDINANDINO Tabula media PRÆLIVM NORLINGANVM repræsentat. Eminet COLLIS ille celebratissimus, in quo Victoriæ totius cardo vertebatur: & ex quo, velut ex altâ quâdam speculâ, inuicta Augustæ Domus AVSTRIÆ Virtus, Salutis publicæ signum sustulit.

A dextrâ parte, equis insidentes visuntur Augustissimi Principes, vterque FERDINANDVS, aciem instruentes, omniaque exercitatissimorum Imperatorum munia obeuntes. Cernere est hostiles copias COLLEM assultantes, & inuictas Catholici exercitus Legiones ardentissimis animis armisque impressionem impetumque illarum sustinentes & eludentes. Tormentorum fumus Cælum obnubilat: signa recentia fessis succedunt, Collemque ascendunt. Vbi demùm, post acerrimam pugnam,

hoste ad internecionem deleto, Victoria clarissima Cæsarianis obtigit. Sub PVGNA hæc Inscriptio:

FORTISSIMO ET INVICTISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

AVSTRIACO,

HISPANIARVM INFANTI,

GERMANICÆ LIBERTATIS ASSERTORI,

RELIGIONIS VINDICI,

QVOD BELLICOSISSIMIS GENTIBVS AD NORLINGAM DELETIS,

PROVINCIAS BELGICAS

FAVSTISSIMO ADVENTV SVO IN SPEM OPTIMAM ERExERIT.

S. P. Q. ANTVERP. EIVS CELSITVDINI DEVOTVS P.

NORLINGAM, Rhætiæ Vrbem, ad Danubium sitam, Inuictissimus Hungariæ Bohemiæque Rex FERDINANDVS III. arctissimâ obsidione cinxerat. Bernardus Vinariensis Dux, Suecici exercitus, ac Imperij perduellium Supremus Præfectus, & cum eo Gustauus Hornius, Comesque Cratzius, vrbem obsidione liberare nitebantur.

Ser^mus Princeps FERDINANDVS, Hispaniarum Infans, ex Italiâ cum lectissimis copiis, magnis itineribus descendens, ad diem II. Septemb. Anni CIↃ. IↃC. XXXIV. Castris Regis Hungariæ oportunè se iunxit. Cæsareus Regiusque exercitus, additis quibus Carolus, Lotharingiæ Dux, præerat, Fœderis Catholici copiis, XIII. millia Equitum, & XX. Peditum millia numerabat. Hostes IX. mille & trecentos Equites: XVI. mille ac trecentos item Pedites sub signis suis habebant.

Et quamuis exercitus Catholicus, vt causâ ita numero superior, ideoque pugnæ auidus, hoc vnum timeret, ne timeretur, hostesque prælij aleam essent declinaturi; ea tamen perduellium Confidentia & Temeritas fuit, vt non exspectatis Othonis Rhenani Comitis, suppetiis, qui quatuor peditum, & duo equitum millia adducebat, vniusque dici itinere tantum aberat, Cæsarianos vltrò aggredi & lacessere decreuerint.

COLLIS erat haud procul vrbe, clementi iugo assurgens, vnde in vicina omnia loca patebat despectus, & in quo potissimum Victoriæ momentum versabatur. Eum sine morâ præoccupandum, validisque legionibus & tormentis curulibus, ductâque loricâ muniendum protinus mandarunt Inuictissimi FERDINANDI. Ac singulari curâ prospexere omnibus, disposuere vniuersa, & summorum Imperatorum officia compleuerunt. Vltroque vitam suam, & cum eâ Spem Generis humani, & vota periclitati sunt, certi aut vincere, aut mori. Adeò contemptores salutis propriæ erant, dum publica Orbis & Religionis Salus periclitabatur. Nec vmquam alacres adeò visi feruntur Ser^mi Principes. Ita vt è vultu eorum interrito certam Victoriæ spem augurarentur milites.

Hostes, post sexdecim acerrimos in COLLEM assultus, sex horarum spatio, à Cæsarianis,

nis, Regiisque Copiis, & inprimis à legionibus, Idiaqueâ Hispanâ, & Toraltinâ Italâ (quæ rupium instar immotæ perstiterunt) fortissimè & ingenti strage repressos & elusos, fusi fugatique sunt. Ac victoria post natos homines nobilissima Catholicis cessit.

Vinariensis Dux, vbi inclinare aciem, suosque proiectis armis fugam capessere animaduertit, & ipse cum sex aut septem comitibus fugiens, equi beneficio Vlmam, & inde Wirtembergam euasit. Captiui, inter quos Gustauus Hornius, Suecorum Dux, Comes Cratzius, Hoffkirchius, Rostochius, aliique Proceres, ad IV. millia fuere.

In loco prælij, VIII. hostium millia, & in fugâ totidem aut plura cæsa esse memorantur, Ioanne Wertano, & Croatis tergo fugientium ad quatuor vsque milliaria instantibus.

Vexilla trecenta hosti adempta, Tormenta maiora LXXXIV. Currus bellici LXXX. Et reliqua demum omnia impedimenta Victoribus cessêre.

Quanta Caroli Lotharingiæ Ducis, Comitis Gallassij, & Marchionis Leganezij (penes hos duos Cæsarei & Regij Exercitus administrandi summa post Regem & Principem Cardinalem potestas erat) itemque Octauij Comitis Picolominei, Serbellonij, Spinulæ, Gambacurtij, Granæ, Ioannis Wertani, Guasci, aliorumque fortissimorum Ducum in hoc prælio Virtus enituerit; iustæ Historiæ, non breuis Relationis, (qualem hîc instituimus) Opus foret. Ideoque Lectorem ad Itinerarium Ser^mi Principis FERDINANDI, à Didaco de Aëdo editum, vbi prælium hoc latè & copiosè descriptum est, remittimus.

Supra PVGNAM binæ AQVILÆ expressæ, vtrumque FERDINANDVM designantes, DRACONEM discerpunt. Ac sub Insignibus Augustæ Domus AVSTRIÆ, quæ in Tympano Arcus, istud est Epinicium: AQVILÆ BINÆ.

INVENERE VIAM SVPERI. MAVORTIA VIRTVS
AVSTRIADVM, OBSTANTES DVDVM ELVCTATA CATERVAS,
ENSE SVO RESERAVIT ITER. CESSERE FVRORIS
RELLIQVIÆ, GVSTAVE, TVI: PENITVSQVE SVBACTVS
SVCCVBVIT BOREAS, DEBELLATIQVE TRIONES,
DISCERPTVSQVE AQVILIS CECIDIT VICTRICIBVS ANGVIS.

Aiunt Iouem olim, dum Imperij sui spatium & amplitudinem explorare vellet, binas AQVILAS, alteram ab Oriente, alteram ab Occidente misisse, quæ Orbem vniuersum volatu suo emetirentur: easque in PARNASSO MONTE obuiàm sibi factas, pariter consedisse. Quâ de re sic Strabo lib. IX. vbi *Delphos* describit: Ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλὸν, προσπλάσαντες καὶ μῦθον, ὅν φησι Πίνδαρος· ὅτι συμπέσοιεν ἐνταῦθα οἱ ἀετοὶ, οἱ ἀφεθέντες ὑπὸ τοῦ Διὸς, ὁ μὲν ἀπὸ τῆς δύσεως, ὁ δ᾽ ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς. *Delphos quidam Terræ vmbilicum dixerunt. Fabulam insuper commenti, quæ à Pindaro refertur, ibi locorum conuenisse duas* AQVILAS *à Ioue emissas, alteram à Solis Ortu, alteram ab Occasu.* Et eleganter Claudian.

Claud. Prologo in Manlij Theod. Consul.

Iuppiter (vt perhibent) spatium cùm discere vellet
Naturæ, Regni nescius ipse sui;
ARMIGEROS *vtrimque* DVOS *æqualibus alis*
Misit ab Eois Occiduisque plagis.
PARNASSVS *geminos fertur iunxisse volatus;*
Contulit alternas Pythius axis AVES.

Non secùs Augusta Domus AVSTRIÆ Maiestas, quò Magnitudinem & Potentiam suam metiretur, geminas AQVILAS, vtrumque FERDINANDVM, hunc ex Oriente, illum ex

 Occi-

BIBLIOTECA NACIONAL
Biblioteca Nacional de España

Occidente misit, qui in Norlingano COLLE felicissimis Auspiciis conuenerunt; ac Hæreticæ conspirationis aduersus Religionem Catholicam, eiusque propugnaculum, Augustissimam AVSTRIÆ Domum, Fœdus obtriuere.

AQVILÆ cum Dracone Bellū.

Ingenitum autem AQVILIS perpetuum aduersus DRACONES Bellum, testatur Plinius lib.x. cap.IV. *Non vnus*, inquit, *hostis* AQVILÆ *satis: acrior est ei cum* DRACONE *pugna, multoque magis anceps, etiam in aëre.* Ælianus item lib.II. cap. XXVI. de Aquilâ agens: Καὶ τόν γε τῶν πτερῶν αὐτῆς ῥοῖζον (καὶ τὸ τῶν θηρίων ἀτρεπτότατον) ὅμως κατέπληξεν ὁ ΔΡΑΚΩΝ ἀκούσας μόνον, καὶ παραχρῆμα κατέδυ, καὶ ἀσμένως ἠφανίσθη. *Alarum* AQVILÆ *strepitum vbi primùm* DRACO *(intrepidissimus alioqui Serpentium) auribus perceperit, in latebras statim abditur.* Pugna AQVILÆ & DRACONIS latè descripta est apud Homer. Iliad. XII. Ciceronem in Mario, Claudianum de Bello Gildon. Sed & Lacedæmoniorum, gentis bellicosissimæ, sigillum, quo litteras publicas obsignabant, erat Ἀετὸς Δράκοντος ἐπειλημμένος, AQVILA DRACONEM *arreptum gestans*, teste Iosepho Antiquitatum Iudaicar. lib. XII.

AQVILA vt pullorū indolem exploret.

Ceterùm quâ ratione atque indicio AQVILA pullos suos an genuini ac legitimi sint, Fulminique gestando pares, explorare soleat, docent Physici. In primis Aristot. Auctor est, (Apud Antigon. Carystiū Histor. mirab. cap. LII.) Τὸν δὲ ἀετὸν ἐπαναγκάζειν τὰ τέκνα, ἔτι ψιλὰ ὄντα, πρὸς τὸν ἥλιον βλέπειν· τὸ δὲ δακρῦον αὐτῶν καὶ μὴ θέλον ἀντοφθαλμεῖν, ἀποκτείνειν. AQVILAM *pullos suos etiamnum paruulos cogere ad* SOLEM *intueri: & qui lacrymantur, neque oculos Soli obuertere sustinent, interficere.* Et Ælianus: (Aelian. de Animalib. lib. II. cap. XXVI.) Βάσανος δὲ οἱ τῶν νεοττῶν τῶν γνησίων ἐκείνη ἐστίν. Ἀντίους τῇ αὐγῇ τοῦ ἡλίου ἵστησιν αὐτοὺς, ἀργοὺς ἔτι καὶ ἀπτῆνας· καὶ ἐὰν μὲν σκαρδαμύξῃ τις πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς ἀκτῖνος δυσωπούμενος, ἐξεώσθη τῆς καλιᾶς, καὶ ἀπεκρίθη τῆσδε τῆς ἑστίας· ἐὰν δὲ ἀντιβλέψῃ καὶ μάλα ἀτρέπτως, ἀμείνων ἐστὶν ὑπονοίας, καὶ τοῖς γνησίοις ἐγγέγραπται· ἐπεὶ αὐτῷ πῦρ τὸ οὐράνιον ἡ τοῦ γένους ἀδέκαστός τε καὶ ἄγραπτος ἀληθῶς ἐγγραφή ἐστιν. *Hoc indice suorum pullorum ingenuitatem legitimam* AQVILA *experitur. Eos adhuc implumes ac teneros* SOLEM *intueri aduersum cogit. Ac si quis illorum Solis radios ægrè intuens nictatione oculos obnubat, nido expellit, & velut adulterinum abdicat. Sin autem* SOLEM *sine nictatione respiciat, extra suspicionem est, atque idcircò inter legitimos adscribitur. Nempe cælestis Ignis, legitimæ pullorum professionis, inque suum genus, quamquam illitteratæ inscriptionis,* AQVILÆ *Parenti instar est.* Idem de Aquila referunt Plinius lib. x. cap. III. Lucan. lib. IX. Silius lib. x. Imp. Cæs. Iulianus Aug. Epist. XVI. ad Maximum. Lubet autem pulcherrimum Claudiani Epigramma de eâdem re hîc adscribere: (Præfat. in III. Consul. Honorij Aug.)

Paruos non AQVILIS *fas est educere fetus,*
Ante fidem SOLIS, *Iudiciumque poli:*
Nam pater, excusso saliit cum germine proles,
Ouaque maternus rupit hiulca tepor;
Protinus implumes conuertit ad Æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ARDENTES RADIOS: *& luce magistrâ*
Natorum vires, ingeniumque probat.
Degener, & refugo torsit qui lumine visus,
Vnguibus hunc sæuis ira paterna ferit.
EXPLORATORES *oculis qui pertulit* IGNES,
Sustinuitque acie nobiliore Diem;
Nutritur, volucrumque potens, & FVLMINIS HERES,
Gesturus summo tela trisulca IOVI.

Haud aliter profectò bina illa AQVILINA germina, Inuictissimi FERDINANDI, rectis atque immotis oculis, non SOLIS tantùm radios, sed & FVLMEN AQVILONIVM ad Norlingam intuentes, haud degenerem sese tot Augustissimorum CÆSARVM sobolem esse,

esse, commonstrarunt. Inter Tormentorum curulium globos, ferreæ grandinis instar vndique volitantes, imperterriti, nec vultum nec locum mutarunt. Adeò quidem, vt, cùm ad eorum latus Ayassus, Militum Tribunus, tormenti globo ictus, exanimatusque concidisset, & Petrus Gironius haud leui vulnere percussus, in terram lapsabundus nutaret, eumdem Ser^mus Princeps FERDINANDVS suis ipse manibus sustentarit. Sic Alexander olim labentem iam & in viâ deficientem militem vlnis suis (Curtio teste) excepit & sustulit. Meminerat nempe Proauum suum, IMP. CÆS. CAROLVM V. AVG. tum sæpè aliàs, tum maximè Bello Germanico, ad Ingolstadium densissimâ glandium nube è Perduellium castris ipsum circumuolitante, nec locum, nec statum, nec vultum mutasse. Quin etiam monentibus illum Amicis, *Vt sibi, atque omnibus in se, parceret*; dixisse: *Considerent, neminem Imperatorem tormenti ictu periisse.* Propria ac genuina ista Regalium Mentium virtus est, Deo (in cuius manu cor Regum esse, sacræ asserunt Litteræ) causa que iustissimæ fidere: & quibuscumque oblatis casibus, semper sibi similem manere. Quemadmodum sapientissimus Imperator M. Aurel. Antoninus Aug. lib. VII. *de Suis ipsius institutionis*, seipsum præclarè adhortatur: Ὁ,τι αὐ τις ποιῇ ἢ λέγῃ, ἐμὲ δεῖ Ἀγαθὸν εἶναι. οἷς αὖ οἱ ὁ Χρυσὸς, ἢ ὁ Σμάραγδος, ἢ ἡ πορφύρα τῶν αὐτῶν λεγέτω, ὅ, τις αὖ ποιῇ ἢ λέγῃ, ἐμὲ δεῖ Σμάραγδον εἶναι, καὶ τὸ ἴδιωτα χρῶμα ἔχειν. *Quidquid aliy loquantur aut faciant, me quidem oportet esse Bonum. Haud aliter quam si Aurum, vel Smaragdus, vel* PVRPVRA, *semper ita diceret: Quidquid aliy dicant aut faciant, Smaragdum esse me oportet, & colorem seruare meum.*

Cort. lib. VIII.

L. Ampl. lib. de Bello Germ.

Lipsi. Exempl. Polit. cap. XII.

In philyrâ, supra verticem Ser^morum FERDINANDORVM, qui in Tabulâ mediâ equis insidentes iunctim sunt expressi, hæc Epigraphe:

CONCORDIA FRATRVM.

Exstant apud me Numismata aurea M. Aurelij & L. Veri Augg. qui à T. Antonino Pio Aug. adoptati, primi omnium pari potestate imperarunt, ac deinde DIVI FRATRES dicti sunt. In illis hæc Inscriptio: CONCORDIÆ AVGVSTOR. At quæ maior vmquam Concordia, quàm Ser^morum FERDINANDORVM, qui Sanguine, Ætate, Nomine, Animis, atque Affinitate coniunctissimi: & (quod omni Consanguinitate certius) Virtutibus Fratres? Incredibili certè ipsorum in disponendo Exercitu, mandatisque dandis Concordiæ Victoria ista debetur.

Ad dextrum Pugnæ latus, ante Pilam, iuxta Ser^mos Principes, PIETATIS statua est, velato capite, alterâ manu Pateram (quo modo cernitur in Numo L. Ælij Cæs.) alterâ Calicem gestans. Epigraphe:

PIETAS.

Crouius. Tab. ex.

HIS DVCIBVS PIETAS, ET RELLIGIOSA PARENTVM
STAT DEFENSA FIDES.

Ad alterum Pugnæ latus, est GERMANIÆ statua, Insigne Imperij, bicipitem AQVILAM tenens. Epigraphe:

GERMANIA.

EXTERNO MALE PRESSA IVGO GERMANIA PRIDEM,
IN PRISCAS ITERVM RESPIRAT LIBERA LEGES.

Ad Dextrum Arcus cornu Effigies est Imp. Cæs. FERDINANDI II. Aug. Principis Optimi atque Fortissimi, Laureo serto circumdata: cuius Auspiciis hic pugnatum. De illo suprà latiùs egimus in Elogio ad statuam eius in Porticu Austriacâ subiuncto.

imp. Cæs. FERDINANDVS II. Aug.

Biblioteca Nacional de España

Videndusque R. P. Gulielmi Germæi de Lamormaini, Belgæ, Societatis IESV Sacerdotis, aureolus de Virtutibus FERDINANDI II. Aug. libellus.

FERDINANDVS III. Hungariæ & Bohemiæ Rex, &c.

Paullò inferiùs FERDINANDVS III. Hungariæ Bohemiæque Rex, habitu Hungarico, pileum pellibus suffultum gestans, ac sagulo trabeam superindutus, conspicitur: clauam, quam massam vocant, gentilitium Pannoniæ Regum gestamen, manu tenens. Epigraphe:

STIRPS DIVVM, ET DIVVM GENITOR. FORTISSIMA BELLO
DEXTERA: CÆSARIBVS MAIORIBVS ÆMVLA VIRTVS.

De hoc Principe illud Homericum rectè efferri potest: *Iliad. Γ.*

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Rex Bonus, & duris Bellator fortis in armis.

Geminâ siquidem Palladis arte inclytus, non minùs optimis Litterarum studiis, quàm Armorum gloriâ florentissimus. Ac reipsâ Virtutes eas omnes in illo admiramur, ad quas grauissimus Imperator M. Aurelius Antoninus Aug. lib. VI. τῶν εἰς ἑαυτὸν, seipsum hortatur his verbis: Τήρησον σεαυτὸν ἀγαθὸν, ἀκέραιον, σεμνὸν, ἄκομψον, τοῦ ΔΙΚΑΙΟΥ ΦΙΛΟΝ, ΘΕΟΣΕΒΗ, εὐμενῆ, φιλόστοργον, ἐῤῥωμένον πρὸς τὰ πρέποντα ἔργα. Ἀγώνισαι ἵνα τοιοῦτος συμμείνῃς, οἷόν σε ἠθέλησε ποιῆσαι φιλοσοφία. Αἰδοῦ θεοὺς, σῷζε ἀνθρώπους. Βραχὺς ὁ βίος. εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς, διάθεσις ὁσία, καὶ πράξεις κοινωνικαί. *Conserua teipsum Bonum, Sincerum, Grauem, Apertum;* IVSTITIÆ *ac* PIETATIS *studiosum, Benignum, Liberorum amantem, ad Officium tuendum Fortem. Adnitere vt talis permaneas, qualem te facere voluit Philosophia. Venerare Deos, Salutem Hominibus affer. Breue est Vita in terrâ degendæ Tempus: omnisque eius fructus, sancta Animi constitutio, & Actiones communitati Hominum vtiles.*

Maximus hic Princeps, dum hæc scribimus, in Comitiis Ratisbonensibus in Romanorum Regem feliciter electus, ac Augusto Parenti suo, FERDINANDO II. publico Orbis Christiani bono, ac maximo suo merito, in Imperio successor renuntiatus est, Anno CIↃ. IↃC. XXXVI. ad diem XXI. Decembr. Nempe dignissima XII. CÆSARVM, Maiorum suorum, Virtutibus, soboles, & absolutissimi Principis Exemplar.

Clypeus Palladis.

Sub Insignibus eius, Zophoro affixis, CLYPEVS PALLADIS iacet, in quo insculptum caput GORGONIS Medusæ, serpentibus cinctum, quemadmodum à Marone graphicè describitur VIII. Æneid.

ÆGIDAQVE *horrificam, turbatæ Pallados arma,*
Certatim squamis serpentum auroque polibant:
Connexosque angues, ipsamque in pectore Diuæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

NOCTVA cur Palladi sacra?

Hastæ, aliisque armis ibidem adiectis NOCTVA, Palladi sacra, insidet. Eam Auem veteres illi sacrarunt, ob Vigilantiam strenuo ac circumspecto Duci necessariam. Sic Hieroni Syracusanorum Regi, *etiamnum Adolescenti & prima prælia incunti,* AQVILA *in clypeo,* & NOCTVA *in Hastâ consedit. Quod ostentum, & consilio cautum, & manu promptum, Regemque futurum, significabat,* teste Iustino lib. XXIV. Hinc etiam in Numis Constantini Aug. NOCTVA cernitur, Columnæ insidens; adstant Hasta & Clypeus, adiacente Galeâ, cum Inscriptione: PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI SAPIENTIA. *Croyiac. tab. a. XV.*

PHILIPPVS IV. Hispaniarum Indiarumque Rex.

Ad alterum Arcus cornu, est Effigies PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis Potentissimi, laureo serto circumdata. Illius enim inuictis suppetiis, ac Liberalitate inexhaustâ, hæc Victoria potissimùm parta est. Quâ de re latiùs in sequenti Arcus facie agitur.

Paullò

Paullò inferiùs ſpectatur Ser^mus Princeps, FERDINANDVS, Hiſpaniarum Infans, Regis Frater, cataphractus, ſcipionem Imperatorium dextrâ tenens. Epigraphe: FERDINANDVS Hiſpaniarum Infans.

——CLYPEVS BELGAS NVNC PROTEGAT IDEM,
VNAQVE PRO GEMINO DESVDET CLIMATE VIRTVS.

Inferiorem GERMANIAM, non minùs quàm Superiorem, inuictæ Ser^mi Principis Virtuti obſtrictam eſſe, ſeruata mox illius Aduentu docuit BELGICA.

Sub Inſignibus eius, Zophoro affixis, EXVVIÆ LEONIS, CLAVÆ HERCVLIS impoſitæ iacent, cum FVLMINE. Qualis exſtat Traiani Aug. Numus.

Cuspi. tab. xxxv.

CLAVAM autem Herculis OLEAGINEAM fuiſſe, aſſerit Pauſanias. Sanè & Clauam illam, quâ Potentiſsimus Hiſpaniarum Rex monſtra ſæculi domat, OLEAGINEAM eſſe, merito aſſerere poſſumus. Nempe, indefeſſam Mentem & Induſtriam Excell^mi Comitis OLIVARIENSIS, D. CASPARIS DE GVSMAN, Ducis Sanlucarienſis, cuius ſingularis cura & vigilantia vt ſemper, ita Bello Germanico, in militum ſtipendiis & ſubſidiis Cæſari ſubmittendis mirificè enituit. Hercula Cuius Oleagi-nea.

Supra primam Arcus elcuationem, CARYATIDES vtrimque ad extremam Pilam Arcum ſuſtinent. De illarum origine videndus Vitruuius lib. 1. cap. 1. TELAMONES quoque vtrimque Lampades geſtant. Adſtant GENII alati, cum vexillis laureatis. CARYATIDES. TELAMONES.

In ſummo Arcus Faſtigio eminet AVRORA alata, VICTORIÆ habitu, Quadrigis Triumphalibus vehens, ac binas laureas dextrâ; geminas verò Palmas, vnaque habenas, altera manu tenens. Epigraphe: AVRORA Victrix.

CVM TVA PRÆRADIET NIVEIS AVRORA QVADRIGIS,
MILLE TROPHÆA DABIT, PRINCEPS, TIBI SERIOR ÆTAS.

Vtex AVRORÆ ſurgentis radiis de Dei totius ſplendore iudicare ſolemus; ita ex clariſsimâ hac VICTORIA, primis Militiæ rudimentis ab Inuictiſsimis FERDINANDIS relatâ, plurimos eoſque glorioſiſsimos rerum fortiter geſtarum ſucceſſus Orbis Chriſtianus ſibi pollicetur. In faſtigio Arcus Titi Aug. etiam cernitur VICTORIA, Quadrigis vehens, & geminas laureas prætendens. Vt videre eſt in Numo eiuſdem Titi Aug. apud Octauium Stradam. In Arcu Traiani Aug. Imperator ipſe Quadrigis inuehebatur. Vt ex eius Numo conſtat.

Oct. Stradæ. Fgal. Cuspia. Tal. xxxv.

Iuxta Auroræ Victricis Quadrigam Triumphalem hinc inde duo ſunt ingentia

TRO-PHÆA *cum Captiuis.* TROPHÆA cum CAPTIVIS. Qualia etiam ſpectantur in Arcu Titi Aug. De his Prudentius lib.II.aduerſus Symmachum:

——CVRRVS *ſummo miramur in Arcu*
QVADRIIVGOS, *ſtanteſq́, Duces in Curribus altis:*
Sub pedibuſq́, Ducum CAPTIVOS *poplite flexo*
Ad iuga depreſſos, manibus in terga retortis,
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco.

CASTO-RES. Mox adſtant vtrimque CASTORES ſtellato vertice,& pileati,more Laconum,qui(Feſto teſte) *pileati pugnare ſoliti.* Pileus ille formam refert dimidiati oui, ex quo ortos eſſe Caſtoras Poëtæ fabulantur. Signum Militare vterque tenet, in cuius ſummitate littera F. ſerto incluſa, Victores deſignat FERDINANDOS. Inſcriptio, à dextro latere:

VOS, O TYNDARIDÆ, CONCORDIA SIDERA, FRATRES,
DIVINAM TRIBVISTIS OPEM, DEXTRAQVE LEVASTIS
NAVFRAGIVM COMMVNE MANV.——

CASTOR & POLLVX ex Ioue & Ledâ, Tyndari Regis Filiâ, prognati, à Græcis Διόσκουροι, *Iouis Filÿ*, dicti, periculis omnibus Terrâ Mariq́ue præſentes adeſſe, ac hominibus ſuccurrere, à Gentilibus olim crediti. Vt ex Theocriti Eidyllio XXIII. conſtat. Hinc & Σωτῆρες, *Soſpitatores* vulgò nuncupati. Ælianus Variæ Hiſtoriæ lib.IV. cap.V. Μενεσθεὺς ὁ Πετέως περὶ τοὺς ΤΥΝΔΑΡΙΔΑΣ οὐκ ἐγένετο ἀχάριστος. Ἐκβάλλοντες γὰρ ἐκεῖνοι τοὺς Θησέως υἱοὺς, καὶ τὴν μητέρα Θησέως Αἴθραν αἰχμάλωτον λαβόντες, ἔδωκαν τὴν βασιλείαν τῷ Μενεσθεῖ. Διὰ ταῦτα πρῶτος ὁ Μενεσθεὺς Ἄνακτάς τε καὶ ΣΩΤΗΡΑΣ ὠνόμασε. *Meneſtheus, Petei filius, non ingratum ſe præbuit aduerſus* TYNDARIDAS, *qui eiectis Theſei liberis, matreq́, eius Æthrâ captiuâ ductâ, Regnum Meneſtheo tradiderunt. Quamobrem primus eos Meneſtheus Regum &* SERVATORVM *nomine ſalutauit.* Et Bello Latino apud Regillum Lacum, CASTOR & POLLVX *Romanarum partium propugnatores viſi, hoſtiles copias penitus fuderunt,* teſte Valerio, lib.I. cap.VIII.

Equum quiſque dextrâ tenet. Nam Bello Macedonico aduerſus Perſen, CASTORAS *geminos, albentibus* EQVIS & STELLATIS APICIBVS *inſignes, puluerem cruoremq́, Theſſalicum aquis Tibris abluentes, & nuntiaſſe Victoriam, & imputaſſe Militiam,* aſſerunt Hiſtorici. Exſtant plurimi Numi, in quibus CASTORES pileati & ſtellati, Equum tenentes, & Haſtam. *Florus* lib.II. cap.XII. *Lat. Pat.* Paneg. Theodoſ.

Ful. Vrſin. Fam. Rom. *L. Hulſ.* Numiſ. Rom. *Goltz.* Faſtis Rom.

Similem Veſpaſiani Aug. Numum adfert Æneas Vicus, Parmenſis, in Imaginibus XII. Impp. Romanor. Pariq́ue formâ CASTORVM ſtatuæ Coloſſeæ ſpectantur in Capitolio.

Ab altero latere, Epigraphe:

——VICTORIA NVLLA
CLARIOR, AVT HOMINVM VOTIS OPTATIOR VMQVAM
CONTIGIT.—

Ne cum aliis Clariſsimorum Ducum Victoriis hîc parallela inſtituam; certè celeberrimæ illi IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. apud MILBVRGVM Victoriæ, quâ domito captoque Saxone

Saxone, Tranquillitas Germaniæ parta est, hæc NORLINGANA LAVREA non conferri tantùm, sed & præferri iure potest. Illic enim Albis vado transito, celeritate Cæsaris deprensus hostis, oppressus est: multumque ibi Fortuna sibi deberi contendat; hic verò obfirmata exercitatissimorum hostium, ac vel sexdecim assultibus iterata Peruicacia, inuictâ Virtute expugnanda fuit.

Et quandoquidem præcipuum huius Victoriæ momentum fuit celeberrimus ille ad NORLINGAM COLLIS, ab Inuictissimis FERDINANDIS prouidè occupatus; libet obiter ostendere & in eâdem IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. expeditione, NORLINGANOS COLLES felicibus eius fauisse successibus.

Cùm Anno M. D. XLVI. Protestantes Germaniæ Principes, Saxo & Hessus, ad NORLINGAM Castra, cum centum hominum millibus collocassent, CÆSAR eos persequens, occupatis oppido vicinis COLLIBVS & Tumulis, hostes Castris exuit & in fugam egit, vrbemque ad deditionem compulit. Sed referenda hic verba Illustris viri, Ludouici Auilæ, Marchionis Mirabellij, qui illi Bello interfuit, scriptisque consignauit: *Erat*, inquit, *non procul ab hostibus* TVMVLVS, *paullò editior, è cuius summitate, quòd Castrus ipsis impendere videretur, proclive erat eo tormentis decutere. Is* TVMVLVS, *dum sub ipso hostium vallo, leuiore prælio decertaretur, ab Albano & Centurionibus aliquot cognitus est.* CÆSAR *nascensu & circuitu diligentissimè explorato, cùm* TVMVLVM *occupare constituisset, Legati ad eum de* NORLINGÆ *deditione missi, consilium interpellarunt.* Et mox: *Interim* NORLINGENSES, *qui paullò antè de Pace Legatos miserant, vel dissimulatione, vel Præsidij, quo Oppidum tenebatur, eliciendi difficultate, cùm de celeritate deditionis remitterent;* CÆSAR *præsentis periculi neque inopiæ vitandæ caussâ, omnem illos orationem instituisse ratus, & Anni tempore, & ipse conficiendi negotij adductus,* DE COLLE, *cuius supra meminimus, occupando cogitare cæpit, vt hostem non solum pelleret, sed etiam Castris exueret.* Hæc Auila: qui paullò pòst, vbi Colles aliquot à Cæsarianis occupatos, hostesque in fugam pulsos enarrauit, demum NORLINGANOS deditionem fecisse, & supplices Pacem à CÆSARE petiisse refert.

Ind. Auila Lib. 1. de Bello Germanico.

Hæc ideò copiosiùs à me adscripta sunt, vt omnibus constet, per Diuina IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. vestigia, Fortissimos eius Nepotes auspicatissima fecisse Militiæ tirocinia, & ad publicam Germaniæ Securitatem eâdem quà ille viâ, progressos esse.

ARCVS FERDINANDINI

PARS POSTERIOR, IN QVA TRIVMPHVS VICTORIÆ NORLINGANÆ.

POSTERIOR ista Arcus pars eiusdem est cum priori ordinis & magnitudinis.

TABVLÆ MEDIÆ descriptio.

In Tabulâ mediâ Quadriiugo curru & albentibus Equis vectus Triumphat Ser^mus Princeps FERDINANDVS, paludamento amictus. VICTORIA supernè aduolitans eius caput Laureo serto coronat. Ante currum NORLINGA capta, turrito vertice, in ferculo præfertur. Ad latus, CAPTIVI vincti incedunt. Ante illos Vexillifer cum Labaro, cui ✠ Nomen intextum: in hastilis cuspide, littera F, Nomen FERDINANDI Victoris designat, Laureâ circumdatum. Equos præcedit Miles laureatus, TROPHÆVM ingens gestans. In superiori parte Tabulæ, VICTORIA sublimis in nubibus conspicitur, & ipsa Trophæum dextrâ, Palmam alterâ manu tenens, ac SPEM sibi comitem adducens. Sub Tabulâ hæc Epigraphe:

QVÆ, FERNANDE, TIBI LVX CIRCVMFVSA, SERENOS
IRRADIANS VVLTVS, OCVLIS AFFLAVIT HONORES?
TE MISSA ÆTHEREO VICTORIA CIRCVIT AXE,
ET MODO DETRACTIS EXVLTABVNDA TROPHÆIS,
DAPHNIDIS ÆTERNA TIBI FRONDE MICANTIA CINGIT
TEMPORA. ET INDE NOVOS GAVDENS SPONDERE TRIVMPHOS,
SPEMQVE TRAHENS SOCIAM, FERTVR SECVRA FVTVRI.

Vultus Ser^mi Principis, circumfuso Lucis velut iubare quodam, resplendet, Triumphantium morę: de quo Isidorus, Hispalensium Præsul, Originum lib. XVIII. cap. II.

Triumphantium splendor.

TRIVMPHANTES *colore rufo perliniebantur, quasi imitarentur* DIVINI IGNIS *effigiem.* Et Mamertinus Consul Panegyrico Maximiani Aug. *Trabea vestra Triumphales, & fasces Consulares, & sella curules, & hæc obsequiorum stipatio & Fulgur: & illa* LVX DIVINVM VERTICEM CLARO ORBE COMPLECTENS. *vestrorum sunt ornamenta meritorum, pulcherrima quidem & Augustissima.*

Germa-

Biblioteca Nacional de España

QUE, FERNANDE, TIBI DIX CIRCUMFUSA, SERENOS
IRRADIANS VULTUS, OCULIS AFFLAVIT HONORES!
TE MISSA ÆTHEREO VICTORIA CIRCUMVIT AXE,
ET MODO DETRACTIS EXVLTAVNDA TROPHÆIS,
DAPHNIDIS ÆTERNA TIM FRONDE MICANTIA CINGIT
TEMPORA, ET INDE NOVOS GAVDENS SPONDERE TRIVMPHOS;
SPEMQVE TRAHENS SOCIAM, FERTVR SECVRA FVTVRI.

Biblioteca Nacional de España

Anthol. lib. I. cap. V. Germanico Cæsari, Drusi filio, qui in Germaniâ & Galliâ res præclarè gessit, RADIOS attribuit Bassus, nobili isto Epigrammate:

Οὔρεα Πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις,
  Αἳ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
Μάρτυρες ἈΚΤΊΝΩΝ Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν,
  Ἀστεράπων Κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον.
Οἱ δ' ἄρα δουπήσαν ἀολλέες. εἶπε δ' Ἐνυὼ
  Ἄρει, τοιαύταις χερσὶν ὀφειλόμεθα.

Pyrenes scopuli, & spatiosis vallibus Alpes,
  Quæ Rheni fontes cominus adspicitis;
Vos, RADIORVM *estis testes,* GERMANICVS *Ortu*
  Quos dedit, in Celtas fulgure bella ciens.
Victi Hostes cecidère. At Marti dixit Enyo:
  Talibus obstricti sunt Superi manibus.

Solet Militaris Gloria nescio quo Fulgore oculos mortalium perstringere & venerationem Victoribus addere. Ipse Constantinus Aug. ἔστησεν ἑαυτῷ ἀνδριάντα μέγαν ἔχοντα ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ ἈΚΤΊΝΑΣ. *Constituit suiipsius prægrandem statuam,* CAPITE RADIATO. vt refert Chronicon Alexandrinum ab eruditissimo Radero editum. Et Imp. Cæs. T. Antoninus Aug. etiam radiato vultu spectatur in Numis, aliique Cæsares. Atque illum circumfusi luminis orbem priscis NIMBVM dictum esse, testatur Seruius ad lib. III. Æneidos. *Propriè,* inquit, NIMBVS *est, qui Deorum, vel* IMPERANTIVM *Capita, quasi clara nebula ambire fingitur.* Vberiùs eâ de re agit Hieron. Aleander in Explicatione Tabulæ Heliacæ: & Laur. Pignorius, Canonicus Patauinus, in Expositione Mensæ Isiacæ, cap. III. Vbi asserit, Rauennæ in Æde D. Vitalis, exstare adhuc antiquissimas ex opere musiuo Iustiniani Aug. eiusque Coniugis imagines, quarum capita circulus ille ambit.

Croyiac. Tab. XL I. — *Radiata Impp. capita.* — *Nimbus.*

VICTORIA Triumphantis Principis caput Laureo serto coronat. Ita Titus Aug. in Arcu marmoreo ab alatâ Victoriâ coronatur: itemque Imp. Cæs. M. Aur. Antoninus Aug. in Tabulâ marmoreâ, quæ in Capitolio visitur. Et in Numis id passim videre est.

NORLINGA vrbs, Muliebri effigie, ac Turrito vertice, ante currum in ferculo gestatur. Qualia olim captarum Vrbium simulacra, ex ebore, argento, aliisque metallis facta, Triumphantibus præferri solita. Appianus in Punicis, vbi Triumphũ Scipionis describit: πύργοι τε παραφέρονται, μιμήματα τῶν ἀλημμένων πόλεων, καὶ γραφαὶ, καὶ σχήματα τῶν γεγονότων. *Turres prateruehuntur,* SIMVLACRA CAPTARVM VRBIVM, *& picturæ, & Species rerum gestarum.* Naso de Triumpho Tiberij:

NORLINGA. *Vrbium captarum simulacra in Triumphis exhibita.*

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg. I.

Protinus ARGENTO *veros imitantia muros*
  Barbara cum victis OPPIDA *lata viris.*

Lib. III. de Ponto Eleg. IV. Idem alibi de Triumpho agens:

OPPIDA *turritis cingantur* EBVRNEA *muris,*
  Fictaque res vero more putetur agi.

Claudianus lib. III. de Laudibus Stiliconis:

Ipse albis veheretur equis, currumque secutus
Laurigerum, festo fremuisset carmine Miles.
Hi famulos traherent Reges: hi FACTA METALLIS
OPPIDA, *vel Montes, captiuaque Flumina ferrent.*

LABARVM. LABARVM, quod à signifero gestatur, ☧ Nomen intextum habet. Vt apud Prudentium, de Constantini Aug. Victoria: Prudent. lib. ad versus Symmachum.

CHRISTVS *purpureum gemmanti textus in Auro*
Signabat Labarum.

Ducum Nomina in signis præfixa. Littera F, in hastilis cuspide, FERDINANDI Victoris Nomen denotat: quod olim Ducum Nomina in signis præferrentur. Tragicus in Thebaide:

——— *Auroà clarum notà*
Nomen Ducum Vexilla præfixum ferunt.

Miles Τεγναφόρος ante Quadrigas graditur. Ita apud Claudianum in Triumpho Martis:

——*Currum patris Bellona cruentum,*
Diribus exuuiis tendens ad sidera Quyrum,
Præcedit.

Victoria item in superiore Tabulæ parte, & ipsa Trophæum gestat: quo modo in priscis Numis non semel occurrit. Nec temerè SPEM sibi comitem Victoria adducit: quòd Lauream hanc nouas alias progerminaturam, publicæque Securitatis fundamentum fore ominemur. Crouius. Tabul. & XLVI.

Supra Tabulam, in Tympano Arcus, INSIGNIA REGIA, & vtrimque LEONES, eorum Custodes. Adscriptum:

AVSPICIIS
PHILIPPI IIII.
HISPANIARVM ET INDIARVM
REGIS CATHOLICI.

Obtigit hæc Victoria ad diem VI. Septembr. ipso Die S. VICTORIS. Id agentibus Superis, vt vniuerso Orbi constaret, Auspiciis potissimùm & suppetiis Inuictissimi Hispaniarum Regis, cui lustrico die, PHILIPPI DOMINICI VICTORIS Nomina imposita sunt, hanc Victoriam deberi. Atque hic est ille Felicitatis publicæ Auspex Dies, quem Annales omnes, omnis Posteritas loquetur.

Supra Pilam dexteram, secundæ eleuationis, Epigraphe:

AD DIEM II. SEPTEMB. VENIT:
V. VIDIT: VI. VICIT:
ET DVCE CAPTO
HOSTES AD INTERNECIONEM DELEVIT.

Ita C. Cæsar olim, Pontico Triumpho, inter Pompæ fercula prætulit Titulum: VENI, VIDI, VICI. Quòd Pharnacem, Ponti Regem, Mithridatis magni filium, intra quintum quàm aduenerat diem, vnà profligasset acie. Eutrop. eius vita. CCXXXVII.

Supra pilam alteram, Epigraphe:

VICTOR, IO, FERNANDE, SONET LÆTA VNDIQVE TELLVS:
AVGET, IO, AVSTRIACAS GENTILIS ADOREA LAVROS.

HONO-

HONORIS ſtatua eſt ante pilam, ad dextrum Triumphalis Tabulæ latus: Iuuenili habitu, capite Lauream, dextrâ Sceptrum, læuâ Cornucopiæ geſtat: quòd verus ſolidusque Honos Vtilitati coniunctus eſſe debeat. Sic ferè viſitur HONORIS effigies in aureo, qui penes me eſt, Aurelij Cæſ. Numo. Epigraphe: HONOS.

——CEDIT DECOR OMNIS, HONOSQVE
TOT MERITIS, FERNANDE, TVIS.

VIRTVTIS ſtatua eſt ad læuam pilam. Galeam capite geſtat, Leonis exuuiis amicta, dextrâ clauam, læuâ parazonium tenet. Epigraphe: VIRTVS.

PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS,
HOC VIRTVTIS OPVS.

Stilo Itinerar. cap. XIII. Perduellium Ductor eò inſolentiæ proceſſerat, vt paullò ante pugnam iactarit: *Velle ſuo die Fortunam ſuam contra Reliquias Imperij ludere.* Sed Diuina Nemeſis nimiam eius confidentiam

A. Augel. Antiq. Diſciſ. Croyiac. tab. XXII. contudit. Exſtat Galbæ Aug. Numus, in quo pariter expreſsi, hinc HONOS laureatus cum haſtâ & Cornucopiæ; inde VIRTVS, habitu Amazonis, cum haſtâ & parazonio, galeam calcans.



Arift. apud Athenæi lib. XV. Hæc eſt VIRTVS illa Militaris, cui encomium iſtud dicauit Philoſophorum coryphæus, Ariſtoteles:

Ἀρετὰ πολύμοχθε	O VIRTVS, *laboriosa*
Γένει βροτῶν,	*Generi mortalium!*
Θνητοῖς κάλλιστος βίος,	*Pulcherrimum Vitæ ſtudium!*
Σὰς ἆθλ. παρθένε, μορφὰς,	*Tuam, ô Virgo, ob formam,*
Καὶ θανεῖν ζηλωτὸς Ἑλλάδι πότμῳ,	*Vel Mortem obire Græcia optandum eſt,*
Καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς,	*Et Labores perferre duros*
Καὶ ἀκαμάτους φῶτι,	*Ac indefeſſos. Talem*
Ἐν φρένα βάλλαις	*Animis iniicis*
Καρπὸν τ' ἀθανάτων,	*Fructum immortalem,*
Χρυσοῦ τε κρίσεω κρὴ γονίων,	*Auroq; potiorem & parentibus,*
Μαλακωτέρου θ' ὕπνου.	*Molliq; ſomno.*
Σοῦ γ' ἕνεκεν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς,	*Tui cauſa Iouis filius, Hercules,*
Λήδας τε κοῦροι πολλὰ ἀνήνασαν	*Et Ledæ nati, multa perpeſſi ſunt,*
Ἔργους σὰν ἀγεδόλοντες δυνάμιν.	*Factus tuam depradicantes Potentiam.*
Σοῖς δι πόθοις Ἀχιλλεὺς	*Tui deſiderio Achilles*
Αἴας τε Ἀΐδαο δόμος ἤλυθον.	*Aiaxq; occubuerunt.*

Præclarè Orpheus VIRTVTEM *Heroum Matrem* appellat. In Pompâ autem illâ ſplendidiſsimâ Ptolemæi Philadelphi, Ægypti Regis, VIRTVTIS quoque ſimulacrum exhi-

exhibitum fuisse refert Callixenus Rhodius apud Athenæum: τὸ τῆς ἈΡΕΤΗ͂Σ ἄγαλμα τὸ παρεστὸς τῷ Πτολεμαίῳ, στέφανον εἶχεν ἐλαίας χρυσοῦν. VIRTVTIS *simulacrum adstans Ptolemæo ex oleâ Coronam auream habebat.* Callixen. apud Athen. lib. v.

De VIRTVTIS & HONORIS Templis iunctim à M. Marcello exstructis, infrà latiùs ad Arcum HERCVLIS PRODICII.

LIBERALITAS REGIS. LIBERALITAS REGIS, Cornucopiæ auro plenum effundens, visitur in dextro latere inter duas pilas secundæ eleuationis. Epigraphe:

MITTIT INEXHAVSTAS PIA MVNIFICENTIA GAZAS.

Talis exstat Hadriani Aug. Numus, cum Inscriptione: LIBERALITAS AVG. Item alius eiusdem Imp. Numus elegantissimus, in quo LIBERALITAS stans ante Imperatorem in suggestu sedentem, è cornucopiæ Numos aureos in sinum ciuium Rom. largiter effundit, cum Inscriptione: LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM.

Croyiac. Tab. xxxvii. Sambuc. in calce Emblem. pag. 245.

Istud verò Elogium Hadriano Aug. ortu Hispano, à S. P. Q. R. olim attributum, iustius hodie Termaximo HISPANIARVM INDIARVMQVE REGI, PHILIPPO IIII. tribuatur. Neque enim credet posteritas, illius ac Catholicorum Regum, maiorum suorum, in sacram Militiam, ad Fidem Orthodoxam in vtrâque Germaniâ asserendam, Liberalitatem. Vereque de HISPANIA illud Poëtæ veteris efferri potest: Claudian.

——Si solueret Ignis
Quas dedit immanes sacra in stipendia gazas,
ARGENTI *potuere lacus & flumina fundi.*

Vt alia sileantur; vel solo Bello Belgico, auitæ Religionis tuendæ & reducendæ causâ suscepto, ab eius exordio, ad annum vsque millesimum sexcentesimum decimum sextum, centum & octoginta Auri milliones consumptos esse, ipsemet PHILIPPVS III. Hispaniarum Rex in Litteris ad Paulum V. Pont. Max. exaratis est testatus: vt refert P. Claudius Clemens, Regius Eruditionis in Collegio Imperiali Madritensi Professor. Cl. Clemēs cap. vii. Dissertationis Christiano-Politicæ, Còpluti excusæ An. 1637.

PROVIDENTIA REGIS. PROVIDENTIA REGIS, à sinistro latere, inter geminas pilas, secundæ eleuationis, Orbem Terrarum gubernaculo innixum, manibus tenet. Epigraphe:

VNA LABORANTI POTIS ES SVCCVRRERE MVNDO.

REGIS CATHOLICI Diuina Mens, velocissimorum siderum more, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, disiunctissimas terras, immensaque spatia percurrit, Orientique & Occidenti prospicit. Vt ipse iure meritò RESTITVTOR ORBIS TERRARVM dici debeat. Qui Titulus Hadriani Aug. Numis inscriptus legitur. In primis autem Germaniæ infinitis Barbarorum millibus oppressæ, opportunè succurrit.—— *Quæ brachia centum,* Croyiac. Tabul. xxxix. Claudian.

Quis Briareus, aliis numero crescente, lacertis,
Tot simul obiectis posset confligere rebus?

Quin imò, *—— Quot nube soporis*
Immunes oculi, per tot discurrere partes,
Tot loca sufficerent, & tam longinqua tueri?

Elegans

Oco in Tito Aug. & Claud. Elegans est Titi Aug. Numus, in quo Vespasianus Aug. capite radiato, Orbem Terrarum, Gubernaculo innixum, Tito filio tradit, cum Inscriptione: PROVIDENTIA AVG.

In exteriori parte TELAMONES vtrimque cum Lampadibus, vt in superiori facie. Adstant illis GENII duo, INSIGNIA vrbis Antuerpiæ gestantes.

Infra, supra Portam lateris dextri, est NOBILITATIS effigies, coronam auream in capite gestans, & floreo serto circumdata. Epigraphe: NOBILITAS.

QVIS VENERABILIOR SANGVIS, QVÆ MAIOR ORIGO?

Nobiliores Bellatores, Augusto commilitio belli tirocinia exorsos, numquam Sol vidit. Nempe XII. CÆSARVM vterque sanguis, & (vt Papinij verbis vtar) *Diuûm vtrimque Genus.* Euoluantur licet Annales omnes, & Genealogiæ omnis ævi, CÆSARVM, Regum ac Principum, nusquam in vnâ stirpe tot AVGVSTI, tot Reges, tot Archiduces, tot Duces reperientur, atque in hac vnâ. Nullique vmquam Domui tot Imperia, tot diademata, tot scepetra supremus ille Nobilitatis omnis ac Potentiæ largitor Deus, indulsit.

Supra Portam lateris sinistri, IVVENTÆ Effigies floribus redimita. Epigraphe: IVVENTA.

INGENIVM CÆLESTE SVIS VELOCIVS ANNIS.

IVVENTAM Diuinis honoribus, Templisque olim cultam legimus. Liuius lib. XXXV:. IVVENTVTIS *Ædem in Circo maximo C. Licinius Lucullus Duumvir dedicauit. Vouerat eam quindecim annis antè M. Liuius Cos. quo die Asdrubalem Exercitumq; eius cecidit. Huius quoque dedicanda causâ Ludi facti: & eò omnia cum maiore Religione facta, quòd nouum cum Antiocho instabat Bellum.* Enimuerò, IVVENES sic dictos, *quòd Remp. in re Militari* IVVENT; spatiumque IVVENTÆ ab anno tricesimo vsque ad quadragesimum quintum extendi, ex Varronis, Romanorum doctissimi, sententiâ, probat Censorinus lib. de Die Natali cap. XIV. VARRO, inquit, *quinque gradus Ætatis, æqualiter putat esse diuisas: vnumquemque scilicet, prater extremum, in annos quindecim. Itaque primo gradu vsque ad annum quintum decimum, Pueros dictos, quòd sint puri, id est, impubes. Secundo, ad tricesimum annum, Adolescentes, ab adolescendo sic nominatos. In tertio gradu qui erant, vsque ad quinque & quadraginta annos,* IVVENES *appellatos, eò quòd Remp. in re Militari possent* IVVARE. *In quarto autem vsque ad sexagesimum annum, Seniores esse vocitatos, quòd tum primùm senescere corpus incipiat.* Hæc Varro. IVVENES unde dicti.

Et certè, quidquid ferè à summis Belli Ducibus præclarè vmquam est gestum, id potissimùm in ipso Ævi flore ac robore, ab iis patratum est. ALEXANDER Macedonum Rex, celeberrimam illam de DARIO ad Arbella Victoriam (cuius præmium Asiæ Imperium erat) anno ætatis suæ XXVI. reportauit. FERDINANDI vtriusque ætas, dum hâc Victoriâ potiti, pariter annorum XXVI. At hoc discriminis est, quòd ALEXANDER in molles Asiaticos, & leues Persas inciderit; FERDINANDI verò, in gentes immanitate barbaras, nec minùs soli cælique sui inclementiâ, quàm armis validas. SCIPIO ille, cui Africani cognomentum res gestæ peperêre, aduersus Pœnos missus, Nouam Carthaginem Ætatis suæ anno XXV. expugnauit: rumorque de eo apud Hostes tunc increbuit: *Venisse Diis simillimum* IVVENEM, *vincentem omnia, tum armis, tum Benignitate ac Beneficiis*, vt refert Liuius libro XXVI.

POMPEIVS, cognomento Magnus, eiusdem ætatis cùm esset, de Hiarbâ, Africæ Rege, triumphauit, *antè* (vt ait Plinius) *Imperator, quàm Miles.* Plinius lib. VII. cap. XXVI.

De DRVSO Germanico, AVGVSTI priuigno, qui primo Iuuentæ flore ad RHÆTICVM Bellum missus, sic Horatius: Carm. lib. IV. de Drusi Laudib.

Qualem ministrum FVLMINIS ALITEM
(Cui Rex Deorum regnum in aues vagas
Permisit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo.)
Olim IVVENTAS, *& Patrium vigor*
Nido, laborum propulit inscium:
Vernisq; (iam nimbis remotis)
Insolitos docuere nisus,
Venti, pauentem; mox in Ouilia
Demisit hostem vinidus Impetu,
Nunc in reluctantes DRACONES
Egit amor dapis, atque Pugna.

Et mox:

Videre RHÆTI *Bella sub Alpibus*
DRVSVM *gerentem, &* VINDELICI: *diu*
Late, victrices caterua
Consilijs IVVENIS *reuicta.*

Augustissimos quoque FERDINANDOS, RHÆTIA nuper, vt olim, DRVSVM, obstupuit. NORLINGA siquidem, RHÆTIÆ ciuitas est: eamdemque esse cum illâ, quæ olim *Ara Flauia* Βωμοὶ Φλαουίου, *Ara Flauia*, Ptolemæo appellatur, viri doctissimi, Pirkimerus, Apianus, & Heroldus, existimant. Norlinga, dicta: Ptolem. Geogr. libr. 2.

Hostium Ductor, Cæsarianum Exercitum copiasque Regias arroganter despexerat, adeoque vel ientaculi vice illas deuoraturum se iactauerat. Sed mox ipse, & vniuersæ Sueonum copiæ fusæ fugatæque, cum ingenti clade ac ignominiâ suâ, Aide Itinerar. cap. XIII.

Scnisse, quid Mens vitæ, quid Indolis,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset. Horat.

Eleganter Ouidius de C. CÆSARE agens: 1. de Art.

Parcite Natales, timidi, numerare Deorum:
CÆSARIBVS *Virtus contigit ante Diem.*
INGENIVM CÆLESTE SVIS VELOCIVS ANNIS
Surgit, & ignauæ fert male damna moræ.

Exstat Numus Aurelij Cæsin quo ipse habitu PRINCIPIS IVVENTVTIS est expressus cum Lauro & Hastâ, iuxta Trophæum, cum Inscriptione: IVVENTAS. Est & Domitiani Aug. Numus cum Inscriptione: IOVI IVVENI TRIVMPHATORI. Crouius. Tabula V. Occo, & Sambuc.

LVCIFER *Laureatus.* In supremo Arcus Fastigio, LVCIFER Laureatus, astro supra verticem eius radiante, EQVO ALATO vectus, laciniam præfert, in quâ Inscriptum:

IO TRIVMPHE.

Callixenus Rhodius in Descriptione Pompæ Ptolemæi Philadelphi: Πρῶτη πομπὴ ἐσάδιζεν Athen. libr. V. Ἑωσφόρος. *Primum Pompa ferculum* LVCIFER *erat.*

EQVO

Naſo lib. II. Amor. Eleg. XI. EQVO vehi LVCIFERVM conſtat ex Naſone: *Equus Luciferi*

Hæc mihi quamprimùm, cælo nitidiſſimus alto,
LVCIFER *admiſſo Tempora portet* EQVO.

Adeoque Stellis omnibus EQVOS ſingulos à priſcis artificibus tributos, teſtatur Lucretius ad VI. Thebaid. QVADRIGAS *dant Soli;* BIGAS *Lunæ;* EQVOS *ſingulos Sideribus.*

ALATVM quoque fuiſſe EQVVM Luciferi, (nempe ob Stellæ eius celeritatem) aſſerit Callimachus, & ex eo Catullus in Elegiâ de *Comâ Berenices:* *Alatus.*

Cum ſeſe, impellens nutantibus Æthra pennis,
Obtulit Arſinoes Cholcidos ALES EQVVS.

Nam *Cholciden*, ibi *Venerem* intelligit: & LVCIFERVM eumdem eſſe cum *Stellâ* Veneris, norunt Aſtronomiæ periti.

Solennem porrò vocem Triumphantibus Ducibus olim accini ſolitam, IO TRIVMPHE, nemo neſcit. Horat. lib. IV. Odâ III. de Auguſto: IO TRIVMPHE.

Tuâ, dum procedis, IO TRIVMPHE,
Non ſemel dicemus, IO TRIVMPHE.

IV. Trift. Eleg. II. Et Naſo, de DRVSI Germanici Triumpho agens:

Tempora Phœbeâ Lauro cingentur: IOVE,
Miles IO, *magnâ voce,* TRIVMPHE, *canet.*

In Baſi, ſub Equo LVCIFERI:

FELIX EXORITVR LVCIFERI IVBAR.
BELGIS.——

Vt poſt caliginoſam & illunem noctem, gratiſſimum eſt mortalibus cernere exorientis LVCIFERI iubar; ita poſt longam illam Temporum noctem, quâ vtraque preſſa & offuſa iacuit Germania, cæleſtis huius VICTORIÆ exorta Aurora, bonorum omnium animos in ſpem publicæ ac duraturæ Serenitatis erexit.

Adſtant vtrimque VICTORIÆ Laureatæ, ſcuta tenentes: & Dextro quidem Scuto inſcriptum: CONCORDIA EXERCITVVM.

CONCORDIA EXERCITVVM.

Mira profectò Cæſarei ac Regij Exercitus è tam variis Nationibus conflati, Concordia in hoc prælio eluxit. Quod ſingulari experientiſimorum Ducum Curæ ac Prouidentiæ tribuendum. Exſtat Numus aureus M. Antonij, in quo binæ dextræ iunctæ, mediæ inter Aquilam, ſigno Militari inſidentem, & Roſtrum Nauis; Concordiam Militum Terrâ Marique denotans. cum Inſcriptione: CONCORDIA EXERCITVVM. Gabr. Iul. Caſt. pag. 40.

Siniſtro autem Scuto inſcriptum: FIDES MILITVM.

FIDES MILITVM.

Fides quoque Militum in hâc Pugnâ clariſimè enituit. Sed & poſt conflictum, & effuſam hoſtium fugam, cùm Inuictiſſimi Archiſtrategi, FERDINANDI ambo, ſingulas turmas obeuntes, gratias militibus pro nauatâ fortiter operâ agerent; illi denuò ſanguinem ſeſe vitamque ſuam pro iuſtiſſimâ Religionis Catholicæ, & Auguſtiſſimæ Domus AVSTRIÆ cauſâ paratos eſſe effundere, lætiſſimis acclamationibus teſtati ſunt. In Numis Macrini *Auct. Innocent. ep. patr.*

Aug. cernitur FIDES, bina Legionum Signa complectens, cum Inscriptione: FIDES MILITVM. Vide Numos, quos suprà in Descriptione PORTÆ CÆSAREÆ attulimus. Croyiac. Tab.v.

Pari curâ & sollicitudine Ser^mus^ Princeps sauciorum Militum rationem vicissim habuit: suoque Augustali illis medendis relicto, ipse humilem domunculam subiit. Aeda Itinerar. cap.XIII.

—— Stat pallidus Hospite Magno Claudian.
Pastor, & ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti Genitrix ostendit Alumno.

Ita prisci illi Heroës, Theseus post Marathonium Taurum à se interfectum, Hecales anus tuguriolum; Hercules post Leonem Nemeæum cæsum, Molorchi pauperis casam intrare dedignatus non est.

In vtroque Arcus cornu TROPHÆVM ingens, cum Spoliis, Signis Militaribus, armisque omnis generis, & Captiuis. Subscriptum vtrimque:

DE MANVBIIS.

MANVBIÆ. MANVBIAS prisci quæuis spolia, aut pecuniam è prædæ venditione conflatam, appellabant. De his Gellius lib. XIII. cap. XXIII. *In Fastigiis*, inquit, *Fori* TRAIANI, *simulacra sunt sita, circumundique inaurata, Equorum atque Signorum Militarium, scriptumq́; est:* EX MANVBIIS. In Lapide antiquo, memoriæ C. Marij posito: DE MANVBIIS CIMBRICEIS ET TEVTONICEIS ÆDEM VIRTVTI ET HONORI VICTOR FECIT, VESTE TRIVMPHALI, CALCEIS PVNICEIS. Talis quoque Inscriptio Lugduni: L. MVNATIVS PLANCVS TRIVMPHANS EX RHÆTIS, ÆDEM SATVRNI FECIT, DE MANVBIIS. Goltz. Thesaur. Rei Antiquar. cap. XXIII. A. August. dialog. X. Antiq.

FAMA. FAMÆ binæ Alatæ buccinas inflantes, TROPHÆIS vtrimque adstant. Sub vnâ:

——FAMÂ PRÆSENTIA MAIOR.

Sub alterâ:

——VIRES NON ACQVISIVIT EVNDO.

Istud FAMÆ ingenium est, vt res procul gestas semper in maius attollat, atque (vt Maro ait) *vires eundo acquirat.* Contrà de hâc Victoriâ factum, quæ re ipsâ maior fuit, quàm FAMA eam vulgarat. Sic Constantius Aug. cùm Romam primùm venisset, *de* FAMA *querebatur vt malignâ, quòd augens omnia semper in maius, erga hæc explicanda quæ Romæ erant, deficeret:* Ammiano teste. Lib.XVI.

TEM-

Biblioteca Nacional de España

OVTINAM, PARTIS TERRAQVE MARIQVE TRIVMPHIS,
BELLIGERI CLVDAS, PRINCEPS, PENETRALIA IANI!
MARSQVE FERVS SEPTEM IAM BENE DECENNIA BELGAS
QVI PREMIT, HARPYAEQVE TEVCES, LVCTVSQVE, FVRORQVE,
HINC PROCVL AD THRACES ABEANT, SCITHICOSQVE RECESSVS
PAXQVE OPTATA DIV POPVLOS ATQVE ARVA REVISAT!

TEMPLVM IANI

AD Forum cui à lacte nomen est, Pegma ingens exstructum erat, quod TEMPLVM IANI repræsentabat: altum pedes LXVI. latum LIII. ita collocatum, vt per Viam Nouam progrediente Principe, oculis eius sese eminus inferret.

Propylæa duo hinc inde, quatuor Dorici operis Columnis surgentia primam eleuationem fulciebant: alteram Tholus insignis superimpositus attollebat.

Supra Pluteos Pegma medium distinguentes, in secundâ operis eleuatione, IANI, antiquissimi Italiæ Regis, bifrons est Imago. Cur autem eâ formâ pingeretur IANVS, rationem adfert Macrobius lib. I. Saturn. cap. VII. *Regionem istam, quæ nunc vocatur Italia, Regno* IANVS *obtinuit. Qui creditur geminam faciem prætulisse, vt quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur. Quod proculdubiò ad* PRVDENTIAM *Regis Solertiamque referendum est, qui &* PRÆTERITA *nosset, &* FVTVRA *prospiceret.* Plutarchus vitâ Numæ, aliam rationem reddit: Ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ εἴτε δαίμων εἴτε βασιλεὺς γενόμενος, πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς, ἐκ τοῦ θηριώδους καὶ ἀγρίου λέγεται μεταβαλεῖν τὴν δίαιταν. Καὶ διὰ τοῦτο πλάττουσιν αὐτὸν Ἀμφιπρόσωπον, ὡς ἑτέραν ἐξ ἑτέρας τῷ βίῳ περιποιήσαντα τὴν μορφὴν καὶ διάθεσιν. IANVS *inter antiquissimos siue Deos, siue Reges, vnus fuisse perhibetur, ciuilis societatis & cœtus hominum studiosus, qui vitæ rationem de belluinâ & ferâ ad humanam redegerit. Ideò eum* BIFRONTEM *fingunt, vt qui vitæ aliam quàm ante fuerit, formam induxerit.* Eamdem quoque rationem idem adfert Romanarum Quæstion. XXII.

IANVS cur Bifrons?

Tabulæ inter bina propylæa mediæ argumentum hoc est: TEMPLVM IANI apertum patet: ac FVROR cæcus, velo oculis obducto, ensem dextrâ, facem læuâ vibrans, è BELLI PORTIS reseratis, foras prorumpit, vinculis solutis.

TABVLÆ MEDIÆ Descriptio.

A dextrâ parte DISCORDIA, caput Anguibus redimita, & TISIPHONE, binos itidem angues manu excutiens, vrnamque sanguine plenam pedibus proturbans, apertas BELLI PORTAS magis reserare & aperire nituntur. HARPYIA virgineâ facie, ac recuruos vngues protendens, aduolitat. ÆGIS, cum capite GORGONIS Medusæ, ad superliminare ostij est affixa.

Ab alterâ verò parte, PAX Caduceum gerens, & PIETAS iuxta Aram illi adstans, ac pateram dextrâ tenens: vnaque Augustæ memoriæ Princeps, D. ISABELLA CLARA EVGENIA, Pacis, dum viueret, studiosissima, & superuolitantes Amoris & Amicitiæ GENII, Templum Iani conantur claudere. Supra Fores Templi, hæc Inscriptio:

O VTINAM, PARTIS TERRAQVE MARIQVE TRIVMPHIS,
BELLIGERI CLVDAS, PRINCEPS, PENETRALIA IANI!
MARSQVE FERVS, SEPTEM IAM PÆNE DECENNIA BELGAS
QVI PREMIT, HARPYIÆQVE TRVCES, LVCTVSQVE, FVRORQVE,
HINC PROCVL IN THRACES ABEANT, SCYTHICOSQVE RECESSVS:
PAXQVE OPTATA DIV, POPVLOS ATQVE ARVA REVISAT!

TEMPLVM IANI eâdem pænè formâ, quâ hìc expressum est (si Tholum demas) spectatur in Numismate D. Augusti apud Choulium, aliisque Numis, quos infrà repræsentabimus.

Choul. pag. XXIII.

BELLI PORTÆ. De TEMPLO illo, BELLIque PORTIS, Plutarchus in Vitâ Numæ, vbi de IANO agit: Ἐπὶ δὲ τούτοις καὶ Νεὼν ἐν ῥίζῃ ἐδείματο, ὃν Πολέμου μὲν ἀνοῖγον εἶναι δόξαν καλοῦσι. Νομίζεται δὲ ἀνῳγέναι μὲν αὐτὸν, ὅταν ὁ Πόλεμος, κεκλῆσθαι δὲ καὶ ὁ Εἰρηνοδρομεῖον. *Est ipsum quoque* TEMPLVM *Romæ duabus Ianius instructum, quæ* BELLI PORTÆ *dicuntur. Statutum enim est, vt quando* BELLVM *geritur, aperiatur id Templum,* PACE *redditâ claudatur.*

TEMPLVM IANI à Numâ Rege condi-tum. Quin & Templum hoc, eiusque Claudendi & Aperiendi Ritum ab eodem Rege Numâ auctore esse institutum, testis est Liuius lib. I. *Numa*, inquit, *Regno potitus, Vrbem nouam, conditam Vi & Armis, Iure eam Legibus q; ac Moribus de integro condere parat: quibus cùm inter Bella assuescere videret non posse (quippe efferatis Militiâ animis) mitigandum ferocem Populum armorum desuetudine ratus,* IANVM *ad infimum Argiletum, Indicem* PACIS BELLIq; *fecit:* APERTVS, *vt in armis esse ciuitatem;* CLAVSVS, *pacatos circa omnes Populos significaret.* Varro item lib. IV. de Linguâ Lat. *Porta* IANVALIS *dicta à* IANO: *& idò ibi positum* IANI *signum, & Ius institutum à Numâ Pompilio (vt scribit in Annalibus L. Piso) vt sit* CLAVSA *semper, nisi cùm Bellum sit. Nusquam traditum est memoriæ, Pompilio Rege fuisse* APERTAM.

Altiùs verò Ritum istum repetit & explicat Maro lib. VII. Æneidos:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus Vrbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima mouent in prælia Martem;
Siue Getis inferre manu lacrymabile Bellum,
Hyrcanisue Arabisue parant, seu tendere ad Indos,
Auroramq; sequi, Parthosq; repostere signa.
Sunt geminæ BELLI PORTÆ *(sic nomine dicunt)*
Religione sacræ, & sæui formidine Martis.
Centum æreis claudunt vectes, æternaq; ferri
Robora, nec Custos absistit limine IANVS.
Has (vbi certa sedet Patribus sententia Pugnæ)
Ipse Quirinali Trabeâ, cinctuq; Gabino
Insignis RESERAT STRIDENTIA LIMINA CONSVL:
Ipse vocat PVGNAS. *Sequitur tum cætera pubes,*
Æreaq; assensu conspirant cornua rauco.

Mox, vbi Latinum, Laurentum Regem, Pacis studiosum, Belli Portas recludere auersatum fuisse, Poëta dixit; à Iunone, Æneadis infestâ, easdem reseratas canit:

Hoc & tum Æneadis indicere Bella Latinis
More iubebatur, tristesq; RECLVDERE PORTAS:
Abstinuit tactu Pater, auersusq; refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit vmbris.
Tum Regina Deûm, Cælo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu PORTAS: *& Cardine verso*
BELLI *Ferratos rupit Saturnia Postes.*

Quos postremos versus imitatus est Maro ex Ennio in Annalibus:

—— *Postquam* DISCORDIA *tetra*
BELLI *Ferratos Postes,* PORTASq; *refregit.*

FVROR. FVROREM in IANI Templo vinctum & catenatum, armisque insidentem eleganter describit Maro lib. I. Æneidos: cuius verba paullò infrà oportunius adferemus & explicabimus.

Biblioteca Nacional de España

bimus. Eumdem verò solutum, vt in hac Tabulâ cernitur, & abruptis repagulis foras prorumpentem, graphicè expressit Petronius in Carmine de Bello Ciuili:

Quos inter FVROR, *abruptis ceu liber habenis,*
Sanguineum latè tollit caput, atque flagranti
Stipite dextra minax Terris incendia portat.

CÆCVS pingitur FVROR, quòd nihil cum Ratione agat, sed Vi atque Impetu impulsus feratur: ac obuia quæque indiscriminatim prosternat. Paria his adfert Papinius noster lib. VII. Thebaidos, vbi Aulæ Martis asseclas, comitesque recenset: FVROR cæcus!

——*Primus* sœuit IMPETVS *ardens*
E foribus, CÆCVMQVE NEFAS: *Iraq; rubentes,*
Exanguesq; Metvs: occultiq; ensibus adstant
Insidiæ, geminumq; tenens DISCORDIA *ferrum.*
Innumeris strepit Aula minis. Tristissima VIRTVS
Stat medio, lætusq; FVROR. *Vultuq; cruento*
MORS *armata sedet.*

DISCORDIA, vt hic repræsentata est, ita à Marone quoque describitur, VI. Æneidos: DISCORDIA.

——DISCORDIA *demens*
Viperum crinem vittis innexa cruentis.

TISIPHONE item, binos Angues implexos manu excutit; qualis apud Papinium lib. VIII. Thebaidos: TISIPHONE.

Ite geminum excutiens Anguem, & bacchatur vtrisque
TISIPHONE *castris.*

Et verò, Apelles noster, ὁ θαυμάσιος Rubenius, velut præsagus, IANI TEMPLVM à Discordiâ & Tisiphone magis referatum & apertum expresserat. Etenim vix digresso, post solennem Introitum, ex hâc Vrbe Ser^mo Principe FERDINANDO, Galli, rupto Pacis Fœdere, infestis armis in Belgicam irruêre: iunctoque cum Batauorum copiis numerosissimo quinquaginta mille hominum exercitu, post Thenarum Vrbem (vbi nullum Furoris hostilis exemplum omissum est) direptam & incensam, Louanium, Brabantiæ Metropolim, obsidione cinxerunt. Sed prouidâ & inuictâ Ser^mi Principis FERDINANDI Virtute, cum grauissimâ clade suâ repressi sunt.

HARPYIA, Belli fores in Tabulâ superuolitans, Virgineâ facie est. Tales Hesiodus describit in Theogoniâ: HARPYIA.

Ἠϋκόμους δ' Ἀρπυίας, Ἀελλάδ' Ὠκυπέτλω τε,
Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται,
Ὠκείῃς πτερύγεσσι.

Pulchricomasq; HARPYIAS, *Aellog, Ocypetenq,*
Quæ Ventos Volucresque alis pernicibus aquant.

Et Maro III. Æneidos:

VIRGINEI *Volucrum vultus: fœdissima ventris*
Proluuies, VNCÆQVE MANVS.

Dictæ Ἁρπυιαι ab Ἁρπάω, siue Ἁρπάζω, *Rapio*: ideoque etiam Ταμιεύουσαι, *aduncis vnguibus*, eædem vocabantur, teste Seruio.

Apollonius lib. II. Argonauticωn:

> Ἀλλὰ διὰ νεφέων ἄφνω πέλας ἀΐσσουσαι
> Ἅρπυιαι στόματος χειρῶν ἄπο γαμφηλῇσι
> Συνεχέως ἥρπαζον.
> *At procul ex altis delapsæ nubibus, ipsis*
> *E manibus, rapiuntq́ dapes ex faucibus,* VNCIS
> VNGVIBVS HARPYIÆ.

Rutilius Numatianus, Gallus, Vir Consularis, in Itinerario:

> HARPYIÆ, *quarum discerpitur* VNGVIBVS *Orbis:*
> *Quæ pede glutineo quæ tetigere, trahunt.*

HARPYIA galeata. Exstat L. Valerij Numus, in quo HARPYIA galeata & clypeata cernitur, binaque gæsa sub alâ ferens. Ful. Vrsinus Sirenem esse falsò credidit, lib. de Familiis Romanis, in Gente Valeriâ: A. Augustinus Dial.v.

Longè autem ab Hesiodo & Marone abit Hyginus, Augusti Libertus, natione Hispanus, qui HARPYIAS non Virgineâ facie fuisse, sed Gallis Gallinaceis, rostro pedibusque, similes tradit. Verba eius hæc sunt: *Zethes & Calais Aues* HARPYIAS *tres, Thaumantis & Ozomenes Filias, Alopien, Acholoen, Ocypeten, fugauerunt à Phineo, Agenoris filio, quæ inhabitabant Insulas Strophadas in Ægeo mari, quæ Plotæ appellantur. Hæ fuisse dicuntur* CAPITIBVS GALLINACEIS, *pennatæ, alasq́ & brachia, humana; Vnguibus magnis,* PEDIBVSQ́ GALLINACEIS, *pectus album, feminaq́, humana.* Hygin. Fab.xiv.

Ægis. ÆGIS ad superius Portæ limen affixa, Lorica Iouis erat, quam induisse fertur, cùm ad Gigantomachiam descenderet. Mineruæ quoque ÆGIS à priscis tribuebatur. Martialis lib. VII. Epigrammate I. ad Domitianum Aug.

> *Accipe Belligeræ crudum Thoraca Mineruæ,*
> *Ipsa Medusææ quem timet Ira comæ.*
> *Dum vacat hæc, Cæsar, poterit Lorica vocari;*
> *Pectore dum sacro sederit,* ÆGIS *erit.*

Hoc Martialis Epigramma in animo habuisse videtur Seruius, vbi ad illum Maronis versum, VIII. Æneidos,

> ÆGIDAQ́ *horrificam, turbatæ Pallados arma,* &c.

hæc adnotat: ÆGIS *proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput. Quod munimentum si in pectore Numinis fuerit,* ÆGIS *vocatur; si in pectore Hominis, (sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus) Lorica dicitur.* At mentem Epigrammatis non rectè cepit. Martialis explicatus. Martialis enim κολακευτικῶς, Thoraci seu Loricæ Domitiani Aug. eam vim inesse, eumq; Terrorem hostibus incutere, asserit, vt vel ipsa Gorgon Medusa, quæ visa (vt Poëtæ fingunt) lapidescere cogebat Homines, Cæsaris Loricâ conspectâ, inhorresceret: eamdemque, dum Cæsare à bellis vacante, non induebatur, posse Loricam dici; at dum sacro Cæsaris pectore gestaretur, vimque inde ac robur traheret, tum verò posse ÆGIDEM vocari: quo nomine, Iouis & Mineruæ Lorica (vt diximus) appellatur. Sunt apud me ectypa statuarum Impp. M. Aurel. Anto-

Antonini, eiusque filij, Commodi, Augg. quæ ÆGIDEM cum capite Gorgonis ad pectus præferunt. Sed Martialis ipse abundè Seruium refellit lib. XIV. Epig. CLXXVII. in Mineruæ statuam:

Dic mihi, Virgo ferox, cùm sit tibi Cassis & Hasta,
Quare non habeas ÆGIDA? *Cæsar habet.*

ALATVM verò est caput Gorgonis in ipsâ Aegide: vel quòd eius adspectus celerrimam & præsentissimam Mortem inferret, vt Fulmen quoque alatum cernitur in priscis Numis; vel quia Pegasi, Equi alati, matrem esse Gorgona, atque ex capite eius desecto, illum prosiliisse, Poëtæ fabulantur. De etymo ÆGIDIS, vide quæ dicta sunt suprà, ad Arcus Lusitanici partem priorem. *Gorgonis caput cur Alatum?*

In Propylæi dextri Intercolumnio FAMES cernitur superuolitans, pallida & macilenta, ore hianti, alis caudâque Draconis; cetera HARPYIIS similis, quarum (vt Maro ait) FAMES.

——— *Pallida semper*
Ora FAME.

Cauda non temerè FAMI adiecta est: nam & Curæ & Sollicitudines cum caudâ Draconis à priscis artificibus olim fictæ: quòd & illæ Hominibus exitiales ac pestiferæ sint. *Cur caudata?*

Paullò inferiùs MORS dextrâ FACEM attollens, PESTEM designat, quæ vt plurimùm Calore immodico excandescit, & Aestate grauiùs affligit, populosque demetit: quare & FALCEM læuâ tenet. Indiuiduæ autem sociæ esse plerumque solent, FAMES & PESTIS: ideoque à Græcis eâdem pænè voce appellantur, & Prouerbio apud illos dicitur: ΛΟΙΜΟ`Σ μετὰ ΛΙΜΟ`Ν. PESTIS *post* FAMEM. Philo quoque libro de Vitâ Moysis: Θεήλατα κακὰ, ΛΙΜΟ`Ν καὶ ΛΟΙΜΟ`Ν, *Mala Diuinitùs immissa*, FAMEM & PESTEM, vocat. Et Hesiodus lib. I. Oper. & Dier. PESTIS.

Τοῖσιν δ᾽ οὐρανόθεν μέγ᾽ ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,
ΛΙΜΟ`Ν ὁμοῦ καὶ ΛΟΙΜΟ`Ν.

Iuppiter his Cælo clades immisit ab alto,
Nempe FAMEM, PESTEMque.

Ac eo quidem, quo diximus, schemate, Pestilentiæ simulacrum, haud paullò ingeniosiùs Apelles noster expressit, quàm planus ille, Apollonius Tyaneus, Pestem inter Ephesios grassantem, sub senis Mendici laruâ latitantem, deprendisse se, atque oppressisse, iactitat, apud Philostratum lib. VIII. cap. III. Τὸ γὰρ τοῦ ΛΟΙΜΟΥ εἶδος, πτωχῷ δὲ γέροντι εἴκαστο, καὶ εἶδον καὶ ἰδὼν εἷλον, οὐ παύσας νόσον, ἀλλ᾽ ἐξελών. *Ipsum* (inquit) PESTIS *simulacrum Mendico seni simile erat: id autem ego vidi, & videns patefeci, neque sedaui Morbum, sed funditus abstuli.* Libro autem IV. cap. III. cùm senem illum iussisset lapidibus obrui; ait ipsum πρότερον μὲν πῦρ βάλλειν τῶν ὀφθαλμῶν, εἶθ᾽ ὕστερον βληθέντα λίθοις, κύνα συντετριμμένον, καὶ περιαπτύοντα ἀφρὸν ὡς οἱ λυττῶντες, φανῆναι. *Primùm Flammam luminibus iaculatum, moxque coniectu elisum saxis, Canem obtritum apparuisse, cui rabidorum more, tetra circa rictum spumæ vndarent.* Sed hanc imposturam eleganter refellit Eusebius lib. aduersus Hieroclem, Confutatione libri IV.

Adstat MILES armatus, qui Feminam capillitio arreptam, humique prostratam trahit: eiusque infantem ab vbere auulsum solo illidit. Quæ quidem Sæuities inter præcipua Belli flagitia ac scelera, vtpote in imbellem turbam commissa, refertur ab Homero, XXII. Iliados, vbi Priamus conqueritur SÆVITIES MILITARIS.

Υἱάς τ᾽ ὀλλυμένους, ἑλκυσθείσας τε θύγατρας,
Καὶ θαλάμους κεραϊζομένους, καὶ νήπια τέκνα
Βαλλόμενα προτὶ γαίῃ, ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι,
Ἑλκομένας τε νυοὺς ὀλοῇς ὑπὸ χερσὶν Ἀχαιῶν.

Occisos gladio natos, natasq; nefandis
Abreptos manibus, violata cubilia, raptos
ILLISOSQ; SOLO PVEROS, *stupra impia passas*
Abductasq; nurus; tot damna illata scelestis
Arginium manibus.

Pindarus quoque Στάσιν, ἐχθρὰν κουροτρόφον; *Seditionem, inimicam Puerorum Nutricem*, appellat. Vt è contrà, Εἰρήνη, κουροτρόφος, *Pax, Puerorum Nutrix*, vocatur ab Hesiodo, locis infrà adducendis.

In plintho dextro, sub SÆVITIA MILITARI adscriptum istud Heroum sapientissimi, Nestoris, effatum, apud Homerum IX. Iliados:

ἈΦΡΗΊΤΩΡ, ἈΘΕΜΙΣΤΌΣ, ἈΝΕΣΤΙΌΣ ἘΣΤΙΝ Ὃ ΚΕΊΝΟΣ
Ὅς ΠΟΛΕΜΟΥ ἙΡΑΤΑΙ ἘΠΙΔΗΜΊΟΥ, Ὁ ΚΡΥΟΕΝΤΟΣ.

In altero, idem Latinè:

INDIGNVS LEGVM AVXILIO, LARIBVSQVE, TRIBVQVE,
QVI POPVLOS INTER CIVILIA SVSCITAT ARMA.

Ad hæc Homeri verba M. Tullius respexit Philippicâ XIII. *Nec privatos focos, nec publicas Leges, nec Libertatis Iura chara habere potest, quem* DISCORDIA, *quem Cades ciuium, quem* BELLVM CIVILE *delectat. Eumq; ex numero Hominum eiiciendum, ex finibus Humana Natura exterminandum puto.* Eumdem Homeri locum laudat Aristophanes in dramate de Pace: & Polybius Historiar. lib. XII.

PAVOR & PALLOR. In eiusdem Propylæi dextri fronte Numisma est, in quo expressi PAVOR & PALLOR, ferto spineo circumdati, cum Flagellis & Compede. Romani haud ignari, repentinus Castris obortus Pauor quantæ calamitati interdum soleat esse, Templum PAVORI & PALLORI, vt Numinibus, vouerunt. Auctor Rex Tullus Hostilius, cùm aduersus Veientes prælium esset initurus, & Metius Suffetius, Albanorum Princeps, secessionem ab illo fecisset, ob eamque causam Pauor subitus Romanos inuaderet. Liuius lib. I. *Eques, citato equo, nuntiat Regi, abire Albanos. Tullus in re trepidâ, duodecim vouit Salios, Fanaq; PALLORI ac* PAVORI. Et paullò pòst, Terrorem & Pauorem in castra hostica transisse, idem asserit. Minutius Felix in Octauio: *Cloacinam Tatius & inuenit & coluit:* PAVOREM *Hostilius atque* PALLOREM. *Mox à nescio quo Febris dedicata.* Lactantius de Falsâ Religione lib. I. cap. XX. PAVOREM PALLOREMQ; *Tullus Hostilius figurauit, & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper Deos suos, (sicut optari solet) præsentes haberet?* Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes: Ὑμεῖς Πυρετῷ καὶ Φόβῳ θύουσι. *Romani Febri &* PAVORI *sacrificant.* Videndus D. Augustinus lib. IV. de Ciuitate Dei cap. XXIII. & Cyprianus lib. de Idolorum Vanitate.

A Tullo Hostilio Regem constituti.

Apud Fuluium Vrsinum, in Gente Hostiliâ, exstant Numi, in quibus PAVORIS & PALLORIS Imagines horripilante comâ, à L. Hostilio, ad Tulli Regis, progenitoris sui, monumenta illustranda, expressas esse, non vanè idem Fuluius existimat.



Homerus lib. XI. Iliados, vbi Agamemnonis Clypeum, & in illo Gorgonis Medusæ caput descri-

describit, Terrorem Pauoremque illi circumpositos canit:

> Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
> Δεινὸν δερκομένη· περὶ δὲ ΔΕΙΜΟΣ τε ΦΟΒΟΣ τε.
>
> *Terribiles oculos voluens ibi pallida Gorgon*
> *Cernitur: hanc circumsistunt* TERRORQ; PAVORQ;.

Similiter Hesiodus in Scuto Herculis:

> ——ἐν δ' ᾗ καὐτὸς ἐναρφόρος οὔλιος Ἄρης
> Δίφρῳ ἐμβεβαώς· παρὰ δ' ΔΕΙΜΟΣ τε ΦΟΒΟΣ τε.
>
> ——*Illic quoque Mars prædator iniquus,*
> *Curribus insistens: iuxtà* TERRORQ; PAVORQ;.

Valerius Flaccus lib. III. Argonauticωn, eosdem Marti Equos attribuit:

> *Stat manus, Ægisono quam nec fera pectore Virgo*
> *Dispulerit, nec Dextra Iouis;* TERRORVE, PAVORVE,
> *Martis equi.*

Supra Propylæum dextrum, in secundâ operis eleuatione, iuxta CANDELABRVM, solenne Templorum ornamentum, stant Figuræ binæ, macie ac mœrore confectæ, lugentium habitu, PAVPERTAS & LVCTVS, Bellorum Comites. PAVPERTAS veste lacerâ, cubito innititur. Pindarus eleganter Στάσιν, ΠΕΝΙΑΣ δώτειραν, *Seditionem*, PAVPERTATIS *datricem*, vocat. LVCTVS, velato capite, digitis pectinatim iunctis (χεῖρας ὁμοπλεκίας, *manus implexas* appellat Poëta, v. Antholog.) Cælum intuetur. Naso lib. IV. Metamorph. vbi Tisiphones Comitatum describit: ——LVCTVS *comitatur euntem,* PAVPERTAS & LVCTVS.

> *Et Pauor & Terror, trepidoq; Insania vultu.*

Et Claudianus in Panegyrico de VI. Consulatu Honorij Aug. de Clade & Fugâ Alarici, Gothorum Regis, agens:

> ——*Comitatur euntem*
> *Pallor, & atra Fames, & saucia liuidus ora*
> LVCTVS, *& Inferno stridentes agmine Morbi.*

Sub Candelabro, in basi, FACES INVERSÆ iacent, Luctus & Funeris signum. Papinius lib. V. Thebaidos, de Lemniadibus, quæ maritos interemerant: FACES INVERSÆ.

> *Protinus à Lemno teneri fugistis Amores,*
> *Motus Hymen,* VERSÆQ; FACES, *& frigida iusti*
> *Cura thori. nulla redeunt in gaudia noctes,*
> *Nullus in amplexu sopor est: Odia aspera vbique,*
> *Et Furor & medio recubat Discordia lecto.*

Fasces quoque inuerti solitos in Principum virorum funeribus, docet Tacitus lib. III. Annalium, de Funere Germanici: *Tribunorum Centurionumq; humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa,* VERSI FASCES. Pedo Albinouanus Elegiâ de Morte Drusi:

> *Quos primùm vidi* FASCES, *in Funere vidi:*
> *Et vidi* VERSOS, *indiciumq; mali.*

In basi, Epigraphe:

CALAMITAS PVBLICA.

Quantas Orbi Calamitates, quæ Funera Bellum inferat, Cædibus, Fame ac Peste pænè iam exhausta testatur Germania.

RIXA & DISCORDIA. Ad exterius Pegmatis latus, adſtant Terminorum habitu, RIXA & DISCORDIA: Feminæ binæ, macie exhauſtæ, rixantium atque inter ſe diſsidentium, veſtemque diſtrahentium formâ, calathiſcum Anguibus plenum vertice ſuſtinentes. Adſcriptum:

RIXA FVRENS, SCISSAQVE FEROX DISCORDIA PALLA.

Iuppiter apud Homerum v. Iliados, Martem ſic increpat:

Ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι Θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Αἰεὶ γάρ τοι Ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε, μάχαι τε.

Tu Diuos inter longè es teterrimus omnes:
Nam tibi RIXA *placet, Bellumq; & prælia dira.*

Petronius, Carmine de Bello Ciuili, ita graphicè DISCORDIAM exprimit, vt nullo id penicillo feliciùs fieri queat:

Infremuere tubæ, ac ſciſſo DISCORDIA *crine*
Extulit ad Superos Stygium caput. Huius in ore
Concretus ſanguis, contuſaq; lumina flebant.
Stabant atrati ſcabrâ rubigine dentes;
Tabo lingua fluens: obſeſſa DRACONIBVS *ora:*
Atque intertorto laceratam pectore veſtem,
Sanguineam tremulâ quatiebat Lampada dextrâ.

TROPHÆVM. Suprà, TROPHÆVM eſt, variis Bellorum ſpoliis, Leonis exuuiis, bipennibus, clauis, haſtis, peltis, aliiſque armis, cum Labaris vtrimque, Rubri & Atri coloris, veſtitum. Eminent bina cæſorum hoſtium Capita, pilis ſuffixa.

VEXILLVM PVNICEVM *Pugnæ ſignum.* E ſummitate Tholi, à parte Belli, VEXILLVM PVNICEVM prominet: quod Pugnæ ſignum fuiſſe Romanis, teſtatur Plutarchus in Vitâ Fabij: Τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. ἔστι δὲ ΧΙΤΩΝ ΚΟΚΚΙΝΟΣ ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. *Prælij ſignum conſtituit. Eſt autem* TVNICA COCCINEA *ſuper tabernaculum Imperatoris extenſa.* Idem in Vitâ Bruti: Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ προὔκειτο μὲν ἐν τῷ Βρούτου καὶ Κασσίου χάρακι σύμβολον ἀγῶνος, ΦΟΙΝΙΚΟΥΣ ΧΙΤΩΝ. *Orto die, propoſitum fuit Bruti & Caßij Caſtris pugnæ ſignum,* PVNICEA TVNICA. Polyænus lib. I. Stratagematũ, de Conone, Athenienſium Duce: Ἐπῆρε τὴν ΦΟΙΝΙΚΙΔΑ, ἣν δὲ ἄρα μάχης σύνθημα τοῖς κυβερνήταις. *Suſtulit* PVNICEAM VESTEM, *quod erat pugnæ ſignum naucleris.*

In imâ Pegmatis parte, ſub DISCORDIA, Captiui ſedent, cum armorum ſtrue, quibus FVRIA incumbit. Atque hactenus quidem de BELLI Typo, eiuſque aſſeclis & Comitatu, qui in dextro Pegmatis latere ſpectabatur.

PACIS TYPVS. Ad ſiniſtrum Tabulæ mediæ latus, PAX Caduceum, id eſt, Virgulam, cui gemini Angues ſunt circumplexi, dextrâ tenens, Templum Iani conatur claudere. Ita apud Lucanum lib. I. ——— PAX *miſſa per Orbem*
Ferrea Belligeri compeſcet limina IANI.

CADVCEI *Deſcriptio.* CADVCEVM eleganter deſcribit & interpretatur Auctor incertus apud Suidam: ΚΗΡΥΚΕΙΟΝ, ξύλον ἔχον ἑκατέρωθεν δύο ΟΦΕΙΣ περιπεπλεγμένους, καὶ ἀντιπροσώπους ἀλλήλοις κειμένους. ὅπερ εἰώθασι φέρειν οἱ Κήρυκες μετ᾽ αὐτῶν· καὶ οὐκ ἐξῆν αὐτοὺς ἀδικεῖν παρ᾽ οὓς ἀπέρχονται. Σύμβολον δὲ ἦν τὸ μὲν ὀρθὸν ξύλον, τοῦ ὀρθοῦ Λόγου. τὸ δὲ παρ᾽ ἑκάτερον εἶδος τῶν ὄφεων, τὰ ἀντιπαρατασσόμενα στρατόπεδα. ὁ γὰρ ὀρθὸς Λόγος δι᾽ ἀμφοτέρων χωρεῖ. CADVCEVS, *Bacillus eſt, habens vtrimque* DVOS SERPENTES *implicitos & inter ſe aduerſos: quem Caduceatores ſecum ferre conſueuerunt: nec illis, ad quos abiiſſent, eos violare licebat. Rectus autem Bacillus ſignum erat Rectæ Rationis.* SERPENTVM *verò vtrimque effigies, aduerſos* EXERCITVS *denotabant. Recta enim Ratio per vtrumque graditur.*

Plinius

Plinius lib. XXIX. cap. III. *Hic complexus Anguium, & effectorum Concordia, caussa videtur esse, quare extera Gentes* CADVCEVM *in Pacis argumentu, circumdata effigie* ANGVIVM, *fecerint.* Isidorus, Hispalensium Præsul, Originum lib. VIII. cap. XI. *Mercurius virgam tenet, quo* SERPENTES *dimittit, id est, Viventes. Nem Bellantes & dissidentes Interpretum Orationis sedantur.*

Crevier. Tab. xiv. Exstat Claudij Aug. Numus elegantissimus, & consideratione illustrium Ingeniorum dignissimus, in quo PAX, habitu Victoriæ, alata, seu Victoria Pacifera, conspicitur, Anguem subiecta Caduceo compescens, cum Inscriptione: PACI AVGVSTÆ. Similis

Tristan. Tab. viii. Crevier. Tabul. xxxii. quoque est Vespasiani Aug. Numus.

Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, Hispaniæ suæ Columen, Dialogo II. Antiquitatum Romanar. hunc Claudij Aug. Numum sic interpretatur: *In Claudij Imp. Numis, Virgo Caduceum ad terram demittit, ubi Serpens est qui venenu sibilo Bellum repræsentat. Et tamets caput erigat, Caduceo tamen vis eius comprimitur.* PAX *etiam alteram manum oculis obiicit, velumq; obtendit, Serpentem ne videat. Volens significare is qui hunc Numum cudit, Belli odium.* Pierius quoque Valerianus, Italus, Hieroglyphicorum lib. XV. cap. XLVI. ita de hoc Numo: *Vidimus Claudij Aug. Numum aureum Bononiæ apud Achillinos, in quo simulacrum alatum est, cum Caduceo & Serpente quodam à pedibus abeunte, cuius Inscriptio est,* PACI AVGVSTÆ. *Illum sanè Serpentis habitu, ablegatum alio Bellum ostendit. In altero, ex are, eiusdem Tib. Claudij Numo elatum Sigillum est, dextra vestimentum à pectore ad faciem tollens, lauò Caduceum exporrigit, pedibus Serpentem sinuosum calcat: quo, Bello oppresso, Pacem condemnatem omnino significat.* Idem etiam de hoc Numo sentit Adolphus Occo, Vindelicius, Germanus. Et certè nihil planius hâc eruditissimorum virorum sententiâ dici potest, qui *Serpentem, Belli Symbolum*, rectè interpretantur.

At verò Ioan. Tristanus, Gallus, in nuperis suis ad Numismata Impp. Romanor. Commentariis, Gallico idiomate editis, vbi Vespasiani Aug. Numum, suprà repræsentatum, explicare nititur, nouam prorsus opinionem adferens, *Anguem, Felicitatis Symbolum* esse, asserit. Sed verba eius referamus: PACI AVGVSTÆ. *Vne Figure allée, tenant vne bague pendue à son col, & vn Caduces: ayant deuant elle vn Serpent, qui semble luy seruir de guide. Ceste Figure a fort exercé les seauants, sans auoir (ce me semble) peu estre cogneu d'eux, ni le sens de tout ce qui la concerne, auec l'Inscription.* ”

Et paullò post: *Le Serpent qui va deuant, faist voir, que ce magnanime Empereur fut guidé en ses desseins & entreprises guerrieres par la Fortune & bon-heur de l'Empire Romain, & par son bon Genie. Car les Serpents, qui estoient pris anciennement pour des Gentes salutaires, l'estoient aussi pour Symbole de Felicité:* ”

Ὄφις ἀγαθὸς ὁ κλάων, δαίμων ἀγαθός.

Serpens visus in thoro, Felicitas. *Ce dit Nicephore en ses Oneirocrit.* ”

Et particulierement pour les exploicts Militaires, esquels le Serpent veu inopinement, promet vne heureuse Victoire. ”
Comme ces deux Serpents representez aux deux costez de l'Autel, qui porte la Dresse Victoire en vne medaille ”
d'Auguste, auec l'Inscription, ASIA RECEPTA, *signifient vne si signalée Felicité, que d'auoir par quelques Victoi-* ”
res reconquis toute l'Asie. Tay aussi remarqué vn passage de Sisenna sur vne medaille des III. VIRS, *qui est formel* ”
aussi pour marquer, que le Serpent estoit pris pour Symbole de Felicité & de Victoire. ”

„ *Mais, ce qui confirme, voire preuue sans difficulté ma coniecture, touchant ce Serpent, guidant ceste Victoire,*
„ *& comme allant combatre pour la Gloire; est ce qu'Arrian remarque en la vie du Grand Alexandre, lib.* III. *Que*
„ *ce magnanime Roy prit pour presage de bon-heur futur, de voir deux Serpents luy monstrer le chemin, comme guides*
„ *tresfideles, luy estant à la teste de son armée, comme il alloit trouuer l'Oracle de Iupiter Hammon, pour apprendre ce*
„ *qui luy deuoit arriuer.* Hæc Tristanus.

At mehercule, dum spretâ doctissimorum virorum sententiâ, nouam ipse suam adstruere, & cornicum oculos (quod dicitur) configere nititur, alienissimam planè, ac futilem interpretationem adfert. Nam, quòd *Serpentem, Felicitatis Symbolum* esse contendit, inductus illo, quem protulit, Nicephori, τοῦ ὀνειροκρίτου, *Somniorum Interpretis*, versu; istud merum Somnium est. Quod dum confutamus, cum Satyrico præfari, & exclamare lubet: Iuuenal. Satyr. II.

O Proceres, Censore opus est, an Aruspice nobis?

Atque vt Aruspicem Aruspici opponamus; alia eiusdem farinæ hariolorum scita Nicephori commentum omnino euertunt, & *Serpentem, Hostilitatis Belliq́ue signum* pronuntiant. Artemidorus, ecce, Daldianus Ὀνειροκριτικῶν, siue *De somniorum Interpretatione*, lib. II. cap. XIII. Ὄφις δὲ νόσον σημαίνει καὶ ΕΧΘΡΑΝ ἐπάγει. ὅπως δ' ἂν διαθῇ τινά, οὕτω καὶ ἡ νόσος καὶ ὁ ΕΧΘΡΟΣ τὸν ἰδόντα διαθήσουσι. SERPENS *Morbum significat, &* INIMICITIAM *inducit. Quomodo autem affecerit aliquem, sic & Morbus &* INIMICVS *eum, qui somnium vidit, tractabunt.* Achmet Arabs Ὀνειροκριτικῶν cap. CCLXXXIII. ex Indorum, Persarum & Ægyptiorum disciplinâ, asserit: Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι Ὄφις μικρὸς ἢ μέσος ἐφάνη αὐτῷ, ἢ ἔδακεν αὐτῷ· εὑρήσει νόσον, καὶ φόβον ἀπὸ ΕΧΘΡΟΥ. Οἱ Ὄφεις καθ' ὅλου, εἰς ΕΧΘΡΟΥΣ ἀναλόγως κρίνονται. *Si quis somnium habuerit quòd sibi* SERPENS *paruus aut mediocris adparuerit, vel vulnus inflixerit; & Morbum & Metum ab* HOSTE *experietur.* SERPENTES *generaliter ad* HOSTES *eorum magnitudini respondentes, referuntur.* His accedit è Neotericis, Hieron. Cardanus, Somniorum Synesiorum lib. I. cap. XXXV. *Generaliter,* inquit, *Feræ &* SERPENTES *designant* INIMICOS *& Hostes. Sed Feræ apertos & qui placari possint;* SERPENTES *autem magis occultos, & Insidiatores, & implacabiles.*

At omissis Hariolorum decretis, Exempla & euentus, illi Nicephori sententiæ ex diametro contrarios proferamus. Grauissimus auctor Plutarchus in Vitâ Gracchorum Fratrum, de Tiberio, illorum Patre, ista narrat: Λέγεται δέ ποτε συλλαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης ζεῦγος ΔΡΑΚΟΝΤΩΝ. Τοὺς δὲ μάντεις σκεψαμένους τὸ τέρας, ἄμφω μὲν οὐκ ἐᾶν ἀνελεῖν, οὐδὲ ἀφεῖναι· περὶ δὲ θατέρου διελεῖν, ὡς ὁ μὲν ἄρρην τῷ Τιβερίῳ φέροι θάνατον ἀναιρεθείς, ἡ δὲ θήλεια τῇ Κορνηλίᾳ. τὸν οὖν Τιβέριον καὶ φιλοῦντα τὴν γυναῖκα, καὶ μᾶλλον αὐτῷ προσήκειν οἰόμενον πρεσβυτέρῳ τελευτᾶν ἡγούμενον, ἔτι νέας οὔσης ἐκείνης, τὸν μὲν ἄρρενα κτεῖναι τῶν ΔΡΑΚΟΝΤΩΝ, ἀφεῖναι δὲ τὴν θήλειαν. εἶτα ὕστερον οὐ πολλῷ χρόνῳ τελευτῆσαι. *Hunc fama est* DVOS ANGVES *in Cubili comprehendisse: atque Aruspices perpenso prodigio, ambos vetasse interfici, vel dimitti: de altero asseuerasse, si necatus mas foret, funestum Tiberio esse; Corneliæ Vxori, si femina. Tiberium verò, qui Vxorem diligebat, ac sibi, ætate priori, mortem maturiorem, quàm iuueni illi ducebat,* DRACONEM *marem sustulisse, emissâ feminâ. Inde non multò post, fato functum Tiberium.* Idem exemplum refert M. Tullius lib. I. de Diuinatione: Valer. Maximus lib. IV. cap. VI. de Amore coniugali: & Plinius lib. VII. cap. XXXVI. Ecquis verò, Anguem hunc, Felicitatis signum Tiberio Graccho fuisse asserat, cui exitium attulit?

At priuatum id exemplum fuit: potissimum autem in Militaribus Expeditionibus Anguem inopinatè conspectum, Felicitatis Symbolum esse, Tristanus asserit. Id quàm verum sit, C. Hostilij Mancini, Cos. & Titi item Sempronij Gracchi, exitus docet apud Iul. Obsequentem, lib. de Prodigiis, cap. LXXXIII. *C. Hostilius Mancinus, Consul, in portu Herculis cùm conscenderet nauem, petens Numantiam, vox improuisò audita: Mancine mane. Cumq́; egressus, posteà nauem Genuæ conscendisset,* ANGVIS *in naui inuentus, è manibus effugit. Ipse Consul deuictus, mox Numantinis deditus.*

Idem

Vide *Valer. Max.* lib. I. cap. VI.

Idem cap. XXXV. *T. Sempronius Gracchus Consul, cùm in Lucanis sacrificasset,* ANGVES DVO *ex occulto prolapsi, repentè hostia quam immolauerat, adeso iecinore, in easdem latebras se retulerunt. Ob id deinde factum instaurato Sacrificio, idem prodigij euenit. Tertiâ quoque casâ victimâ, diligentiusq; asseruatis extis, neque allapsus* SERPENTVM *arceri, neque fuga impediri potuit. Quod quamuis Aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen vitare non potuit, quin Flauij Lucani, hospitis sui, insidiis seductus, inermis à Pœnorum militibus occideretur.* Et cap. LXXXVII. *M. Fuluij Flacci dissensione in Legibus ferendis,* ANGVES DVO *nigri in cellam Mineruæ allapsi Ciuilem cædem portenderunt.* Denique Plutarchus (vt vel vna Familia nobis exempla suppeditet) de Tib. Graccho, Iuniore, paullò antequam multitudine Quiritium oppressus interficeretur, ista commemorat: ἦν αὐτῷ κράνος, ᾧ πρὸς τὰς μάχας ἐχρῆτο, κεκοσμημένον ἐκπρεπῶς, καὶ διάσημον· εἰς τοῦτο καταδύντες ὌΦΕΙΣ, ἔλαθον ἐντεκόντες ᾠά, καὶ ταῦτα ἐξεγλύψαντο, διὸ καὶ μᾶλλον ὁ Τιβέριος ἐταράττετο. *Erat ei galea, quâ in acie vtebatur, exornata eximie & splendida: in eam irrepserant* ANGVES, *& clàm in eâ posuerant, excluserantq; oua. Quo magis cohorruit Tiberius.*

Ex his omnibus, opinor, abundè iam patet, friuolum esse illud Nicephori, τοῦ ὀνειροπόλου, commentum: qui & ipse secum pugnat. Nam versu, proximè illum, qui suprà allegatus est, præcedenti, ait:

ὌΦΕΙΣ ἀναιρῶν, τοὺς ἘΝΑΝΤΊΟΥΣ νόει.

SERPENTES *interficiens,* ADVERSARIOS *esse puta.*

Sed, age, ipsum Tristani argumentum videamus, quo probare nititur, in expeditionibus Bellicis Anguem inopinatè visum Victoriam prosperam polliceri. Argenteum, ecce, istum C. Cæs. Octauiani Aug. Numum testem citat:

Goltz. Cæs. Aug. pag. XLI. Croyiac. Tab. X.

C. CÆS. OCTAV



Hi duo SERPENTES (inquit Tristanus) *ad vtrumque latus Aræ, cui* VICTORIA *insistit, in Numo D. Augusti, cum Inscriptione:* ASIA RECEPTA; *denotant insignem eius* FELICITATEM, *quòd per* VICTORIAS *aliquot Asiam vniuersam recuperarit.* Ita ille. At herclè, non minùs in isto, quàm in præcedenti Numo interpretando Ratio ipsum fugit. Nec id mirum; cùm hactenus omnium Antiquariorum ingenia in Argenteo isto Ænigmate (vt cum Prudentio loquar) enodando, frustrà se torserint. Ac plerique per *Angues geminos*, binas Orbis partes, *Asiam* & *Europam* designari, opinati sunt: sed nullâ veterum auctoritate subnixi. Pierius & Erizzius, è caudarum vtrimque dependentium spiris tertium sibi Serpentem falsò imaginantes, tres Orbis terrarum partes dènotari existimant. Anguiumque ista volumina ita implicant, vt nodum Gordium sibi obiectum magis intricare ac innectere videantur: adeoque Comicum illud de ipsis dici queat:

A. Augustin. Dial. III. *Pierius* Hierogl. lib. XV. cap. XIV. *Erizzius* in Augusto.

Faciunt, næ, intelligendo, vt nihil intelligant.

Quid hæremus? Vel sola CADVCEI, quam præcedenti paginâ è Suidâ attulimus, Interpretatio, Oedipum obiicit Sphingi huic Augustææ. Etenim, vt in Caduceo bini vtrimque ANGVES aduersi denotant binos EXERCITVS & Hostilitates virgâ Caduceatoris mediâ diuisas & disiunctas; ita in hoc Numo Gemini ANGVES, id est, Imperij Romani binas in Partes, seu Factiones, diuisi Hostilitates vtrimque & Dissidia, VICTORIA mediâ

Numus *Cæs. Octau. Aug.* interpretatus.

interueniente separantur & dirimuntur. Quod vt clarius fiat, Historicâ face obiter ista illustranda sunt.

Odiis & Dissidiis C. CÆS. OCTAVIANVM inter & M. ANTONIVM, iam pridem gliscentibus, ac tandem in Ciuile Bellum prorumpentibus; Romani Imperij diuisæ vires in Partes duas abiêre. Et M. ANTONIO quidem ASIA, & Orientis Reges omnes ac Dynastæ, Ægyptus, Macedonia, Græcia, Thracia & Cyrene, accesserunt: C. CÆS. OCTAVIANO Italia omnis, & Hispania, Gallia, Africa, Sicilia, Sardinia, & Illyricum, militabant: vt apud Dionem lib. L. Plutarchum in Antonio, aliosque videre est. Istæ Romani Imperij, geminas in Factiones (vt diximus) diuisi, Hostilitates & Dissidia, hoc Numo Hieroglyphicῶs, per *geminos Angues*, designantur: qui, fuso fugatoque apud Actium, M. Antonio, VICTORIÆ mediæ interuentu dirimuntur.

Ipsa Temporis & Historiæ Ratio ad istam sententiam nos velut manu ducit. Percussus est iste Numus ad annum Vrbis conditæ D. CC. XXIIII. vt patet ex anticæ partis Inscriptione: CÆSAR IMP. VII. Fuit enim illo anno C. CÆSAR OCTAVIANVS dictus IMPERATOR VII^{mùm}: quod è variis eiusdem Numis constat apud Occon. Iam verò, eodem tempore Cæs. Octauianus ob Victorias, Actiacam & Alexandrinam, de M. Antonio & Cleopatrâ Ægypti Reginâ, relatas, triumphauit, teste Dione lib. LI. aliisque. Quare meritò in posticâ Numi parte inscriptum est, ASIA RECEPTA. Qui fructus erat Victoriæ Actiacæ, & (quæ mox secuta est) Alexandrinæ. Etenim M. Antonius, cui in Diuisione Imperij Romani, ASIA obtigerat, mox Cleopatræ Amoribus dementatus, Asiæ Regna nobilissima, velut dotalia, eidem & susceptis ex illâ liberis suis, Alexandro & Ptolemæo donarat: referente Plutarcho in Vitâ M. Antonij. Ἐλθούσῃ δὲ χαρίζεται καὶ προστίθησι μικρὸν οὐδὲν, οὐδὲ ὀλίγον, ἀλλὰ Φοινίκην, κοίλην Συρίαν, Κύπρον, Κιλικίας πολλήν· ἔτι δὲ τῆς τε Ἰουδαίας τὴν τὸ βάλσαμον φέρουσαν, καὶ τῆς Ναβαταίων Ἀραβίας ὅση πρὸς τὴν ἐκτὸς ἀποκλίνει θάλασσαν. αὗται μάλιστα Ῥωμαίους ἠνίασαν αἱ δωρεαί. καίτοι πολλοῖς ἐχαρίζετο τετραρχίας καὶ βασιλείας ἐθνῶν μεγάλων, ἰδιώταις οὖσι. *Vt* CLEOPATRA *venit, nullum ei vile aut modicum ab Antonio munus datum est, sed Phœnice, Cœle-Syria, Cyprus, Cilicia magna pars, Iudæa balsamifera, & Arabia Nabatæa pars ea, quæ ad Oceanum pertinet. Hæ maximè Donationes Romanos offenderunt: cùm aliis Principatus & Regna magnarum gentium priuatis hominibus addixisset.* Et paullò inferiùs: Πρώτην μὲν ἀπέφηνε ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΝ Βασίλισσαν Αἰγύπτου καὶ Κύπρου, καὶ Λιβύης, καὶ κοίλης Συρίας, συμβασιλεύοντος αὐτῇ Καισαρίωνος, ὃς ἐκ Καίσαρος ἐδόκει τοῦ προτέρου γεγονέναι, Κλεοπάτραν ἔγκυον καταλιπόντος. Δεύτερον δὲ τοὺς ἐξ αὐτοῦ καὶ Κλεοπάτρας υἱοὺς, Βασιλεῖς Βασιλέων ἀναγορεύσας, Ἀλεξάνδρῳ μὲν Ἀρμενίαν ἀπένειμε καὶ Μηδίαν, καὶ τὰ Πάρθων, ὅταν ὑπαγάγηται· Πτολεμαίῳ δὲ Φοινίκην, καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν. *Tunc primùm* CLEOPATRAM *declarauit Ægypti, Cypri, Africæ, Cœlæ-Syriæ, Reginam, consorte Regni adiuncto Cæsarione, quem ipsa ex Cæsare Dictatore concepisse, grauidaque ab eo relicta fuisse credebatur. Inde communes sibi & illi filios, Reges Regum appellauit. Et Alexandro Mediam, Armeniam, Parthiamque, (si quando subacta foret) attribuit: Ptolemæo Syriam, Phœnicen & Ciliciam.*

Triumphus *Cæs. Octauiani Aug.*

MEDIA autem VICTORIA, geminos inter Angues, Columellæ seu Aræ insistens, rectè posita est. Nam Pacificatores & Arbitri, *Medij* dicti apud veteres. Thucydides lib. IV. de Arrhibæo Rege loquens: ἐπεκηρυκεύετο, ἑτοῖμος ὢν Βρασίδᾳ ΜΕΣῼ δικαστῇ ἐπιτρέπειν. *Per Caduceatorem nuntiauerat, se paratum esse Brasidæ, arbitro* MEDIO, *rem committere.* Eustathius in lib. X. Iliados: vbi θείους & ἱεροὺς κήρυκας vocari asserit τοὺς δημηγορίαις, καὶ εἰρηναίαις ἐξυπηρετουμένους πρεσβείαις, καὶ πολέμων λύσεσι, ΜΕΣΟΥΣ τε φρουμένους εἰς πᾶν καθῆκον. *Eos qui Reipub. nomine Legationes obeunt, & Feciales, denique* MEDIOS *sequestros omnes.* Maro VII. Æneidos de Galeso:

Medij Pacificatores.

Dum Paci MEDIVM *se offert.* ——

Sido-

Sidonius Apollinaris Carm. XXIII. ad Consentium Narbonensem:

Quod si Fœdera soluerentur Orbis,
Pacem, TE MEDIO, *darent feroces*
Hunni, Sauromatæ, Getæ, Geloni.

Plura eius rei exempla Adolescentes olim attulimus lib. III. Electorum nostrorum, cap. VII. vbi illum Claudiani versum, in Panegyri ad Consulatum Fl. Manlij Theodori, illustrauimus:

——— *Quæ dissona ritu*
Barbaries, MEDII *quem non Reuerentia frangat?*

Quemadmodum verò in Pacificationibus per Caduceatorem initis, Virgula Mercurij, hoc est, Recta Ratio & Oratio media (vt suprà, in Caducei Interpretatione Suidas dixit) *Angues*, siue Hostilitates, separat; ita vbi Marte Iudice, Pax quæritur, VICTORIA Media eosdem dirimere rectè dicitur. Ac de Virgulâ quidem Mercurij sic Hyginus, Augusti Libertus, in Astronomico: *Mercurius ab Apolline Virgulam quamdam muneri accepit: quam manu tenens Mercurius, cùm proficisceretur in Arcadiam, & vidisset* DVOS DRACONES *inter se coniuncto Corpore, alium alium appetere, vt qui dimicare inter se viderentur;* VIRGVLAM *inter vtrumque subiecit: itaq; discesserunt. Quo facto, eam Virgulam Pacis causâ dixit esse constitutam. Nonnulli etiam cùm faciunt Caduceos*, DVOS DRACONES *implicatos Virgulâ faciunt: quod initium Mercurio fuerat Pacis. Eius exemplo & Athletæ in reliquis eiusmodi certationibus Virgulâ vtuntur.* Sed & Patrum memoriâ, in monomachiis dirimendis, Virgulæ huiusmodi vsum, ac prisci moris vestigia exstitisse, ex Historiis constat.

Oliuarius Marcan. lib. I. c. IX. Sandoual. & Heuter. Vitâ Caroli V. ad ann. M.D.XXII.

Cæterùm, exstat geminus M. Antonij Numus, annis aliquot ante Augustæum illum percussus: quem hic adiungendum curaui, vt superiori collatus lucem alter alteri fœneret. Per Litteras autem illas singularias, III. VIR. R. P. C. designari TRIVMVIRVM REIP. CONSTITVENDÆ, nemini Humaniori ignotum est.

Goltz. Iul. Cæs. pag. XLVIII.

Quærunt viri docti, quænam sit Facies illa Muliebris, Media geminos inter Angues, columellæ imposita? Occo, Cleopatræ aut Asiæ caput esse existimat. Alij aliud coniectant. Quæ in altero Numo Figura stolata cernitur, dextrâ Vrceolum, sinistrâ Hastam puram, tenens, eamdem Faciem præferre videtur. Ful. autem Vrsinus Mineruam esse asserit. Ipse PIETATIS istam aut CONCORDIÆ esse effigiem, Formâ OCTAVIÆ, C. Cæs. Octauiani Aug. sororis, & M. Antonij coniugis, expressam, non dubito. Hæc enim sex circiter ante Pugnam Actiacam annis, Bellum Ciuile, M. Antonium inter & C. Cæs. Octauianum, iam tum nascens, singulari prudentiâ suâ auertit: Pacemque inter Coniugem, Fratremque suum conciliauit, teste Plutarcho in Vitâ M. Antonij:

Numus M. Antonij III. viri interpretatus.

F. Vrsin. Gente Antoniâ. Choul. pag. XXVII. Ericeus in Augusto.

Αὐτὸς δὲ πάλιν ἔκ τινων ΔΙΑΒΟΛΩΝ παροξυνθεὶς πρὸς Καίσαρα, ναυσὶ τριακοσίαις ἔπλει πρὸς τὴν Ἰταλίαν. οὐ δεξαμένων δὲ τῶν Βρεντεσινῶν τὸν στόλον, εἰς Τάραντα περιώρμησεν. ἐνταῦθα τὴν ΟΚΤΑΒΙΑΝ, (συνέπλει γὰρ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος αὐτῷ) δεηθεῖσαν ἀποπέμπει πρὸς τὸν ἀδελφόν, ἔγκυον μὲν οὖσαν, ἤδη δὲ καὶ δευτέραν ἐξ αὐτοῦ θυγάτριον ἔχουσαν. ἡ δὲ ἀπαντήσασα καθ' ὁδὸν Καίσαρι, καὶ παραλαβοῦσα τοὺς ἐκείνου φίλων, Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ἐνετύγχανε, πολλὰ ποτνιωμένη καὶ πολλὰ δεομένη, μὴ περιιδεῖν αὐτὴν ἐκ μακαριωτάτης γυναικὸς ἀθλιωτάτην γενομένην. νῦν μὲν γὰρ ἅπαντας ἀνθρώπους εἰς αὐτὴν ἀποβλέπειν, ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ δυοῖν, τοῦ μὲν γυναῖκα, τοῦ δὲ

Pax inter M. Anton. & C. Cæs. Octauian. interprete OCTAVIA.

ἀδελφὴν οὖσαν. Εἰ δὲ τὰ χείρω κρατήσειεν, (ἔφη) καὶ γένοιτο Πόλεμος, ὑμῶν μὲν ἄδηλον ὅτῳ κρατεῖν ἢ κρατεῖσθαι πέπρωται, τὰ ἐμὰ δὲ ἀμφοτέρως ἄθλια.

Τούτοις ἐπικλασθεὶς ὁ Καῖσαρ, ἧκεν εἰρηνικῶς εἰς Τάραντα. καὶ θέαμα κάλλιστον οἱ παρόντες ἐθεῶντο, πολὺν μὲν ἐκ γῆς στρατὸν ἡσυχάζοντα, πολλὰς δὲ ναῦς ἀτρέμα πρὸς τοῖς αἰγιαλοῖς ἐχούσας, αὐτῶν δὲ καὶ φίλων ἀπαντήσεις, καὶ φιλοφροσύνας. Εἱστία δὲ Ἀντώνιος πρότερος· καὶ τοῦτο τῇ ἀδελφῇ Καίσαρος δόντος. ἐπεὶ δὲ ὡμολόγητο Καίσαρα μὲν Ἀντωνίῳ δοῦναι δύο τάγματα πρὸς τὸν Παρθικὸν πόλεμον· Ἀντώνιον δὲ Καίσαρι χαλκεμβόλους ἑκατόν. Ὀκταβία, τῶν ὡμολογημένων χωρὶς, ᾐτήσατο τῷ μὲν ἀδελφῷ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς εἴκοσι μυοπάρωνας, τῷ δὲ ἀνδρὶ παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ στρατιώτας χιλίους. ANTONIVS *denuò* CALVMNIIS *quibusdam aduersus* CÆSAREM *concitatus,* CCC. *nauibus Italiam petiit: Brundusioq; non receptus, Tarentum appulit. Inde* OCTAVIAM, *quæ comitata eum fuerat ex Græciâ, orantem dimittit ad fratrem. Prægnans tum erat, atque alteram ex eo filiam iam genuerat. Hæc in itinere obuiàm* CÆSARI *facta, assumptis ex eius amicis, Agrippâ & Mæcenate, summis precibus eum obtestata est, ne se ex beatissimâ Muliere miserrimam fieri sineret: oculos iam omnium hominum in se conuersos, quæ duorum* IMPERATORVM, *alterius Vxor, Soror alterius esset. Quòd si deteriora Consilia præualuissent, interq; eos Bellum excitassent, ipsos quidem incerto euentu certaturos; suam verò sortem vtrimque fore miseram.*

Fractus his CÆSAR, *pacificè Tarentum venit: fuitq; iucundissimum spectaculum, magnum in Terrâ exercitum quiescere, multas naues in littore ociosas stare, cùm ipsi Imperatores, eorumq; amici, inter se congrederentur, ac mutuò consalutarent. Prior* CÆSAR *apud* ANTONIVM, *in gratiam Sororis suæ, cœnauit. Pactum est ibi inter eos, vti Cæsar duas legiones ad Parthicum Bellum Antonio daret, Antonius Cæsari æratas naues Centum. Præter hæc* OCTAVIA *fratri à marito viginti myoparones; marito à fratre mille milites impetrauit.*

Eiusdem Pacificationis, OCTAVIA Mediâ conciliatæ, meminit Appianus lib. v. de Bellis Ciuilibus: Ὀκταουΐα συνεχώρει πρὸς Καίσαρα, διαιτήσουσα αὐτοῖς. OCTAVIA *igitur profecta est ad Cæsarem, vt Arbitra inter eos foret.* Legendus quoque Dion lib. XLVIII. Quin & paullò ante Pugnam Actiacam, OCTAVIA Bellum Ciuile, coniugem inter, Fratremque suum iam exardescens, denuò sopire & extinguere modis omnibus est molita (vt apud Plutarchum videre est) sed Cleopatræ artibus, eius conatus irriti cecidêre. Plutarchus: Ἀντώνιος δὲ πεισθεὶς ὑπὸ Δομιτίου καί τινων ἄλλων, ἐκέλευε Κλεοπάτραν πλεῖν ἐπ' Αἰγύπτου, κἀκεῖ καραδοκεῖν τὸν πόλεμον. ἡ δὲ φοβουμένη τὰς δι' ὈΚΤΑΒΊΑΣ πάλιν αὐτοῦ διαλύσεις, ἔπεισε πολλοῖς Κανίδιον χρήμασιν, Ἀντωνίῳ διαλεχθῆναι περὶ αὐτῆς, ὡς οὔτε δίκαιον ἀπελαύνεσθαι τοῦ πολέμου γυναῖκα συμβολὰς τηλικαύτας διδοῦσαν. *Antonius, Domitij & aliorum consilium secutus, Cleopatram in Ægyptum nauigare, ibiq; Belli euentum exspectare iussit. At illa metuens ne rursus, interuentu* OCTAVIÆ, *Bellum dissolueretur, magnâ pecuniâ Canidium* (is Peditatus Antoniani supremus Præfectus erat) *corrupit, vt pro ipsâ apud Antonium intercederet, eiq; ostenderet; Iniquum esse, Cleopatram Bello, ad quod tam magna præsidia ipsa contulisset, arceri.*

Præter publicas Odij Simultatumque inter M. Antonium & C. Cæs. Octauianum, caussas, naturale quoddam inter vtriusque Principis Fortunam, Geniumque, exstitisse Dissidium, Plutarchus auctor est: ἦν γάρ τις ἀνὴρ τῶν ἀπὸ μαντικῶν ἀπ' Αἰγύπτου, τῶν τὰς γενέσεις ἐπισκοπούντων, ὃς, εἴτε Κλεοπάτρᾳ χαριζόμενος, εἴτε χρώμενος ἀληθείᾳ, πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἐπαρρησιάζετο, λέγων, τὴν Τύχην αὐτοῦ, λαμπροτάτην οὖσαν καὶ μεγίστην, ὑπὸ τῆς Καίσαρος ἀμαυροῦσθαι. καὶ συνεβούλευε πορρωτάτω τοῦ νεανίσκου ποιεῖν ἑαυτόν. ὁ γὰρ σὸς (ἔφη) Δαίμων τὸν τούτου φοβεῖται· καὶ γαῦρος ὢν καὶ ὑψηλὸς ὅταν ᾖ καθ' αὑτὸν, ὑπ' ἐκείνου γίνεται ταπεινότερος ἐγγίσαντος, καὶ ἀγεννέστερος. *Habebat Antonius secum Hariolum quemdam Ægyptium, eorum vnum qui Natalitias prædictiones scrutantur. Is, siue in Cleopatræ gratiam, seu quòd ita re verâ sentiret, liberè ad Antonium dixit: Fortunam eius, splendidissimam alioquin & maximam, à Cæsaris Fortunâ obscurari: consuluitq; vt ab illo Iuuene quàm longissimè se subduceret. Tuus enim (aiebat) Genius, istius Genium timet: & cùm seorsim alacer sit atque erectus; illo appropinquante, demittit sese, & fit quàm antè, ignauior.* Idem refert Plutarchus in libro de Fortunâ Romanorum.

Vrceolus

Vrceolus ille quem in M.Antonij Numo dextrâ PIETAS, seu CONCORDIA, præfert, Vas Pontificale est, Expiationis & Purificationis Symbolum, additum hîc ob M.Antonij Sacerdotium, qui Flamen Diui Iulij factus erat. Plutarchus: Αὐτὸς δὲ Καίσαρι χαριζόμενος, ἱερεὺς ἀπεδείχθη τοῦ προτέρου Καίσαρος. *Ipse in gratiam Cæs. Octauiani, Flamen Iulij Cæsaris factus est.* In D.Iulij, M.Antonij & Planci Numis apud Goltzium, Vas illud passim appositum cernitur. Vel certè ad Fœderis solemnitatem Vrceolus ille spectat. Sic Homerus III. Iliados, in sacrificij cuiusdam, quod Fœderi fuerat interpositum, descriptione, manus ablutas & expiatas testatur: *Vrceolus Expiationis Symbolum.*

——— ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ

Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον· κρητῆρι δὲ οἶνον

Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Omnia Fœderibus feriendis apta ferentes

Præcones, miscentq́ merum Crateribus aureis:

Tum manibus lymphas Regum fudêre recentes.

M. Tullius, Oratione de Aruspicum responsis, *Bellum inexpiabile* vocat, quod Græci, Πόλεμον ἄσπονδον καὶ ἀκατάλλακτον. Inter M. Antonij Numos apud Goltzium, sunt in quorum
Goltz. Iul.Cæs. pag. XLIII. & XLIX. auersâ parte CONCORDIÆ Caput visitur: in quibusdam, Figura stolata cum Caduceo, & Inscriptione: CONCORDIA PRÆTORIANORVM. Si quis autem cum Fuluio, Mineruæ illam esse in superiore M.Antonij Numo effigiem, contendat, ad OCTAVIÆ Prudentiam id referendum est, quam Plutarchus deprædicat, ἐπὶ κάλλει τούτῳ σεμνότητα καὶ νοῦν ἔχουσαν. *Ad formæ excellentiam, Grauitatem quoque & Prudentiam habuisse adiunctam.*

Temporis & rei gestæ series nobis hîc quoque opitulatur. In anticâ Numi parte, vbi Caput M.Antonij laureatum conspicitur, hæc est Inscriptio: M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Id est: CONSVL DESIGNATVS ITERVM ET TERTIVM. Ex istâ Epigraphe constat percussum esse hunc Numum post annum Vrbis conditæ
Vide Pighij Annal. ad ann. V.cond. D.CC.XIV. D. CC. XIV. Illo enim anno, Pace inter Sext. Pompeium, C.Cæs.Octauianum, & M. Antonium confirmatâ, Consules renuntiati sunt post Quadriennium futuri: atque inter alios, M.Antonio (qui ante Quinquennium cum C.Iul.Cæsare Consul fuerat.) alter & Tertius Consulatus decretus, teste Appiano, lib. v. de Bellis Ciuilibus. Postquam enim Pompeianam istam Pacem descripsit, hæc subiungit: Ἀπέφηναν δὲ τῆς ἐπιούσης ὑπάτους ἐς τετραετὲς, Ἀντώνιον μὲν καὶ Λίβωνα πρώτους, ἀντικαθιστάντος ὁμοίως Ἀντωνίου ὃν ἂν βούλοιτο· ἐπὶ δ' ἐκείνοις Καίσαρά τε καὶ Πομπήιον, εἶτα Ἀηνόβαρβον καὶ Σόσσιον, εἶτ' αὖθις Ἀντώνιόν τε καὶ Καίσαρα, τρίτον δὴ τότε μέλλοντας ὑπατεύσειν. *Sequenti die Coss. designati sunt in quadriennium: ante omnes Antonius & Libo, vt tamen Antonio liceret alium pro se substituere: post illos, Cæsar & Pompeius: tum Ænobarbus & Sosius. Deinde rursum Cæsar & Antonius,* TERTIVM *tunc futuri Consules.* At verò Pacificatio, OCTAVIA Interprete, cum M.Antonio inita fuit duobus annis post illam Pompeianam Pacem: nempe anno Vrbis conditæ D. CC. XVI. Agrippâ & Gallo Coss.

Hederacea Corona Numum ambit. Nam M. Antonius Διόνυσον ἑαυτὸν νέον αὐτός τε ἐκάλει, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ὀνομάζεσθαι ἠξίου. *Bacchum se nouum appellauit: idq́ nominis sibi & ab aliis tribui voluit.* vt refert Dion lib. XLVIII.

Croyiæ. tab. XXVI. & XXX. Similes quoque Vespasiani & Titi Augg. Numi sunt, cum Geminis Anguibus & Victoriâ Mediâ. Nempe in memoriam Belli Ciuilis Vitelliani, quod apud Cremonam, Auspiciis Vespasiani Aug. profligatum est, vt narrat Tacitus lib. III. Historiarum. *Vespasiani & Titi Augg.*

Goltz. Græciæ Insulis tab. III. & IV. In Cretensium Numis etiam spectantur bini Serpentes erecti, quos intermedius Iuppiter, Cretensium indigena, disiungit. Inscriptio addita: ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. Memi- *& Cretensium Numis lux data.*

 nit

nit *Cyda Cretensis* Liuius lib. XLIV. & M. Tullius Philippicâ V. In aliis eiusdem Insulæ Numis Templum Iouis, cum Arâ: in aliis Corytus, siue theca Arcus, media Angues separat. Quæ omnia Concordiam inter Cretensium Vrbes initam denotant. Auctor enim est Strabo lib. X. *Cnosson* & *Gortinam*, nobilissimas & potentissimas Cretæ Vrbes, intestinis bellis inter se conflictari solitas. At cùm externa arma ingruerent, Pacem inibant, quam Συγκρητισμὸν, *Syncretismum*, appellabant Plutarchus lib. de Fraterno Amore: Μιμούμενον αὐτὸ γοῦν τοῦτο τῶν Κρητῶν, οἳ πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων Πολεμίων, διελύοντο καὶ συνίσταντο. Καὶ τοῦτ' ἦν ὁ καλούμενος ὑπ' αὐτῶν Συγκρητισμός. *Imitandi Cretenses, qui crebris seditionibus, Bellisq; Ciuilibus exagitati, extrinsecus aduentantibus hostibus,* PACEM *ac Societatem inierunt. Is enim erat, quem ipsi vocabant Syncretismum.* Qui in alterâ Cretensium Numorum facie expressus est Anguis, cistulæ irrepens, ad Bacchica Orgia referendus est.

Syncretismus.

Quamuis autem ex iis omnibus quæ suprà adduximus, Triumphalis illius Numi Augustæi, aliorumque, sensum cuius perspicuum esse non dubitem; nihilominùs tamen illustria aliquot vetustissimorum scriptorum loca velut ἐπίμετρα & (vt cum Apuleio loquar) superpondia quædam, ad superiora illa Rationum nostrarum momenta hîc adiicere volui, vt nullum de Interpretatione nostrâ dubium relinquatur.

SERPENS *Odij* Symbol.

Ægyptij (à quibus prima Eruditionis semina Græci accepêre) SERPENTEM, *Odij Symbolum, dixere*, referente Diodoro. Vnde Theognis amicum perfidum sic detestatur:

Pierius Hierogl. lib. XVI. c. XXXVII.

Ἔρρε, θεοῖσίν τ' ἐχθρὲ, καὶ ἀνθρώποισιν ἄπιστε,
Ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες Ὄφιν,
Apage, Diisq; Inimice, & Hominibus infide,
Frigidum qui in sinu varium habebas ANGVEM.

Maro VII. Æneidos, vbi Bellum Æneam inter Turnumque orditur, *Alecto Anguicomam* inducit, quæ ad Turnum accedens, ac —— *Flammea torquens*
Lumina, cunctantem & quærentem dicere plura,
Reppulit, & GEMINOS *erexit crinibus* ANGVES.

Similiter apud Papinium lib. VIII. Thebaidos:
It GEMINVM *excutiens* ANGVEM, *& bacchatur vtrisque*
Tisiphone castris.

Idem *Belli* Symbol.

Peculiariter verò per DRACONEM, aut Serpentem, Bellum Vastitatemque designari, innuit ipse elegantioris omnis Doctrinæ Fons, Homerus. Is enim cùm significare vellet, Bellum Troianum totos annos nouem absumpturum; sacrificantibus Græcis DRACONEM visum canit, qui octo passerculos, ipsamque matrem, nonam, deuorabat, Iliados II.

Ἔνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα, ΔΡΆΚΩΝ ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς,
Σμερδαλέος, τόν ῥ' αὐτὸς Ὀλύμπιος ἧκε φόως δὲ,
Βωμοῦ ὑπαΐξας, πρός ῥα πλατάνιστον ὄρουσεν·
Ἔνθα δ' ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοὶ, νήπια τέκνα,
Ὄζῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ, πετάλοις ὑποπεπτηῶτες,
Ὀκτώ. ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ἔνθ' ὅγε τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας.
Μήτηρ δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα.
Τὴν δ' ἐλελιξάμενος, πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν.
Illic apparuit magnum signum: DRACO, *dorso sanguineus,*
Horribilis, quem ipse Olympius misit in lucem.

Quum

Quum ex altari prosiliit, ad platanum perrexit:
Ibi erant passeris pulli, parui filij,
Ramo in extremo, sub foliis volitantes,
Octo: sed mater nona erat, quæ peperit filios.
Ibi ille hos miserabiliter comedit stridentes:
Mater autem circumuolabat lugens dilectos filios:
Hanc circumactus ala prehendit latè clamantem.

Prodigium istud Calchas Vates, paucis versibus interiectis, ita interpretatur:

Ὡς οὗτος κατὰ τέκν' ἔφαγε στρουθοῖο καὶ αὐτὴν,
Ὀκτὼ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα.
Ὡς ἡμεῖς τοσαῦτ' ἔτεα πολεμίξομεν αὖθι·
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.

Vt hic filios deuorauit passeris, & ipsam,
Octo: sed mater nona erat, quæ peperit filios;
Sic nos tot annos bellabimus hic:
Decimo autem Ciuitatem capiemus latas vias habentem.

Liuius lib. XXI. Hannibalem, Italiæ Bellum inferre parantem, tale Somnium habuisse narrat: *Vidisse post se* SERPENTEM *mirâ magnitudine, cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri, ac pòst insequi cum fragore Cæli, Nimbum. Tum, quæ moles ea, quídve Prodigij esset, quærentem, audiuisse:* VASTITATEM *Italiæ esse.* M. Tullius lib. I. de Diuinatione, vbi inter cetera idem Somnium examinat: *Tum visam Belluam vastam, & immanem, circumplicatam* SERPENTIBVS, *quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta peruertere: & cum admiratum quæsisse de Deo, Quidnam illud esset, tale Monstrum? & Deum respondisse,* VASTITATEM *esse Italiæ: præcepisseq́ue, vt pergeret protinus.* Silius Italicus, vir Consularis, lib. III. de Bello Punico, graphicè istud Hannibalis Somnium describit:

Ecce iugis rapiens syluas, ac robora vasto
Contorta amplexu, tractasq́ue per inuia rupes,
Ater lethifero stridebat turbine SERPENS:
Quantus non æquas perlustrat flexibus Arctos,
Et geminum lapsu sidus circumligat Anguis.
Immani tantus fauces diducit hiatu:
Attollensq́ue caput nimbosis Montibus æquat.
Congeminat sonitus rapti Violentia Cæli,
Imbriferamq́ue Hyemem permixtâ grandine torquet.
Hoc trepidus Monstro (neque enim Sopor ille, nec alta
Vis aderat Noctis, Virgâque fugante tenebras
Miscuerat lucem Somno Deus) ardua, quæ sit,
Scitatur, Pestis? Terrasq́ue vrgentia membra
Quò ferat? & quosnam Populos deposcat hiatu?
Cui gelidis alma Cyllenes editus antris:
BELLA *vides optata tibi: te maxima* BELLA,
Te strages nemorum, te toto turbida Cælo
Tempestas, cædesq́ue virûm, magnæq́ue ruinæ
Idæi generis, lacrymosaq́ue Fata sequuntur.

Quantus per campos populatis Montibus actus
Contorquet sylvas squallenti tergore SERPENS,
Et latè humectat Terras spumante Veneno;
Tantus perdomitis decurrens Alpibus, atro
Inuolues Bello Italiam: tantoq́; fragore
Eruta conuulsis prosternes oppida muris.

Non immeritò igitur Val. Maximus lib. I. cap. VII. vbi idem istud Somnium commemorat, eleganter ait: *Non Vigilias tantùm, sed & ipsam Hannibalis Quietem Romano Imperio fuisse Hostilem.*

DRACO *Palladi sacer.*

Porrò Palladi, vt Bellorum Præsidi, DRACONEM Comitem attribuêre veteres. Sic in C. Clouij Numo apud Goltzium, & in Gemmâ vetustâ apud Gorlæum spectatur: *Goltzius* Iul. Cæs. pag. XI. *Gorlæus* Dactyliothecâ Num. LXXXVII.

Pierius Valerianus Hieroglyphicorum lib. XV. cap. XV. & Æneas Vicus, in Commentariis ad prisca Impp. Romanorum Numismata, in isto C. Clouij Numo, *Romæ Gradientis* simulacrum expressum esse, falsò credidere: cùm haud dubiè *Palladis*, Trophæum gestantis, ea sit effigies. Statuæ enim eius Deæ DRACONEM à Phidiâ adiunctum fuisse, testatur Plutarchus lib. de Iside, Pausanias in Atticis, Phurnutus, aliique. Nota Demosthenis vox, cùm Athenis exularet: Ὦ δέσποινα Πολιάς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις; Γλαυκί, καὶ ΔΡΆΚΟΝΤΙ, καὶ Δήμῳ; *O Domina* PALLAS, *quid tribus teterrimis Bestiis delectaris; Noctuâ,* DRACONE, *& Populo?* *Plutarch.* Vitâ Demosth.

DRACONES *inter Signa Militaria.*

Quin & inter signa Militaria, DRACONVM simulacra ingentia, ore patulo, in prælongis hastis olim præferri solita. Ammianus Marcellinus lib. XVI. vbi Pompam Introitus Constantij Aug. in Vrbem Romam, describit: *Alios purpureis subtegminibus texti circumdederunt* DRACONES, *hastarum aureis gemmatisq́; summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut Irâ perciti, sibilantes, caudarumq́; volumina relinquentes in Ventum.* Claudianus in Panegyrico ad III. Consulatum Honorij Aug.

Hi volucres tollunt Aquilas, hi picta DRACONVM
Colla leuant: multusq́; tumet per nubila SERPENS
Iratus stimulante Noto, viuitq́; receptis
Flatibus, & vario mentitur sibila tractu.

Pulcherrimis istis Claudiani versibus certat Sidonius Apollinaris, Aruernorum Præsul, in Panegyrico Maioriani Aug. ——*Iam textilis* ANGVIS

Discurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris. Patulo mentitur hiatu
Iratam pictura Famem; pannoq́; Furorem
Aura facit, quoties crassatur vertile tergum
Flatibus, & nimium iam non capit aluus inanis.

Ex Indis tractum eum morem, è Suidâ constat: Ἰνδοί, ἔθνος βάρβαρον. κατὰ δὲ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτοῖς σημαῖαι τῶν ἱππέων καθ' ἑκάστην χιλιοστύν, ΔΡΆΚΩΝ ἐπὶ κάμακος ἀνατεταμένος. ὁ δὲ χρυσωμένη ἡ κεφαλὴ πεποίηται, σεσηρότων ὀδόντων, καὶ τοῦ χάσματος ἀπειλὴν ἔχοντος· τὸ δὲ ἄλλο σῶμα σηρικόυφον ἦν ἔς τε μῆκος καὶ βάθος, καὶ τὸ ποικίλον τῆς χρόας, ἐς ἀληθινὸν ΔΡΆΚΟΝΤΑ.

Indi,

Indi, Gens Barbara. Ipsis autem in Bello, pro singulis millibus equitum erant Vexilla: DRACO *scilicet in pertica extensus, cuius caput quidem erat argenteum, dentibus exertis, & vultu minitabundo. Reliquum verò corpus ex serico contextum, longitudine & profunditate & coloris varietate verum* DRACONEM *referens.*

At verò DRACONEM aut Serpentem calcatum, BELLI oppressi & profligati Symbolum esse, ex Claudij Aug. item que D. Iulij Numo, per Traianum Aug. restituto, supra vidimus. Et euidentissimè id patet ex Vespasiani Aug. Numo, vt in priscis Numismatibus quæ studio ac munificentia Caroli, Croyiaci & Arschottani Ducis, Belgæ, congesta, & cum Ant. Augustini Dialogis, ab Andr. Schotto Latinè versis, edita sunt, videre est. Illic enim PAX, seu VICTORIA Pacifera, Serpentis corpus medium pedibus calcans, reluctantis ac obnitentis retortum caput Caduceo compescit. Apud Goltzium quoque in Gemmâ antiquâ, VICTORIA Pacifera simili schemate expressa est.

Draco calcatum Bellis oppressi Symbol.

Goltzius Tab. XXVII. Gorlæus Dactyliotheca, Num. XII.



Ecquis Numum istum, Gemmamque contemplatus, protinus non exclamet, Artifices illorum inuentores, dum ingeniosè ista designarent, in mente habuisse istud Regis ac Vatis Diuini, Psalmo XC. Ἐπὶ Ἀσπίδα καὶ Βασιλίσκον ἐπιβήσῃ, καὶ καταπατήσεις Λέοντα καὶ Δράκοντα. *Super* ASPIDEM *&* BASILISCVM *ambulabis, & conculcabis Leonem &* DRACONEM? Itemque illud Seruatoris nostri apud D. Lucam, cap. X. Ἰδοὺ, δέδωκα ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω Ὄφεων καὶ Σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra* SERPENTES *&* *Scorpiones, & super omnem Virtutem Inimici.* Certè & de Hostili EXERCITV ista interpretatur Clemens Alexandrinus, Stromatum lib. IV. Ἐπάνω Ὀφέων καὶ Σκορπίων πεποίηται, κυριεύειν τε τῶν δαιμόνων, καὶ ἡ ἐξ αὐτοκράτορος Στρατιὰ. *Super* SERPENTES *&* *Scorpios ambulare, & in Dæmones, & in Aduersarij* EXERCITVS *dominatum obtinere.* Similiter & in istud Psalmi LXXIII. Σὺ συνέτριψας ἐν ἰσχύϊ σου τὰς κεφαλὰς τῶν Δρακόντων ἐπὶ τοῦ ὕδατος. *Tu contriuisti capita* DRACONVM *in aquis;* ita Euthymius Zygabenus: *Per* DRACONVM *capita,* MILITES, *Tribunos, Centuriones & Duces intelligit, quos à Pharaone missi sunt ad persequendum populum Israel.*

Sed & solum Serpentis schema in Vespasiani Aug. Numo clarè demonstrat, esse absurdum, (quod Tristanus contendit) Serpentem hic Victoriæ Pacificæ velut viæ Ducem *(Guide)* adiunctum esse. Conculcatus enim collum atque os versus Victoriam retorquet, aduersantis & obnitentis specie: quod certè non est viæ ductorum schema atque habitus. Quid deinde à ratione alienius, quàm ANGVEM, (quem non tantùm è profanis, sed & sacris Litteris, Odij, Hostilitatis, Belliqúe Symbolum esse probauimus) Victoriæ Pacificæ ἐδώγὸν, seu viæ Ducem, dare? Id sanè non minùs ridiculum, quàm si (vt Flaccus ait)

SERPENTES *Auibus gementur, Tigribus Agni.*

SALVTIS quidem Symbolum esse Anguem, omnibus notum est: quòd nempe ex eius carne Remedia & Antidota parentur, velut Theriaca: vt ita venenum veneno pellatur. Atque ideo Æsculapio Anguis sacer erat, & in priscis Statuis & Numis illi adiunctus cernitur. At nusquam in Victoriæ aut Felicitatis Numismatib. Serpentes appositi sunt: nisi, vt in Caduceo, domiti iam, & disiuncti. Quin & in Salutis Numis à Nerone cusis, Serpens abest: quasi nihil venenatum ille Saluti tribuendum duxerit. Vt obseruat A. Augustinus.

A. Augustin. Dial. I. Goltzius Tab. XXI.

Quod ad locum Sisennæ à Tristano citatum spectat, illum M. Tullius lib. II. de Diuinatione satis refellit: *De* ANGVE *illo* (inquit) *qui Sylla apparuit immolanti, vtrumque memini; & Syllam cum in expeditionem educturus esset, immolauisse, & Anguem ab Ara exstitisse: eoq; dictum præclare esse gestum, non Auspicio consilio, sed Imperatoris.*

Postremum Tristani argumentum, Fabellam de Draconibus, quos Alexandro, Iouis Hammonis Oracultum petenti itineris Duces fuisse, Arrianus lib. III. narrat; idem Auctor mox abundè refutat, dum alios Scriptores secutus, Coruos, (inauspicatissimi ominis aues) Alexandri castris præuolasse refert: Ἀετοὺς δὲ (φησὶ ὁ πολλῶν λόγος τοῦτο κατέχει) Κόρακας δύο ἀφικνεῖσθαι πρὸ τῆς στρατιᾶς. Aristobulus autem, cui plures assentiuntur, duos Coruos ante exercitum volitasse scribit, eosq; Alexandro Itineris duces exstitisse: quod & Curtius asserit lib. IIII. Quid verò alias mirum magnoperè fuerit, si in Libyæ desertis, Serpentum feracissimis, Dracones duo ante Alexandri castra oberrarint? An ideò Felicitatis aut Victoriæ Symbolum Anguis dicendus?

Vsqueadeò autem sibi de nouitia istâ sententiâ placuit Tristanus, vt & illam repetierit in Explicatione Gemmæ Cæsareæ, siue Achatis Tiberiani: cuius nobilissimi & antiquissimi cimelij, quod in Gazophylacio sacro Regis Galliarum asseruatur, ectypon operi suo inseruit. In eâ Gemmâ Tiberius inter alias Augustæ Domus personas sedens spectatur: atque in vestis eius squammosæ limbo ac laciniis, quinque aut sex Serpentes prorepunt. „ De his ita Tristanus: *Vous y contemplez Tibere, lequel est assis, tenant le* Lituus, *ou baston Augural. Le de-* „ *uant de son Vestement Imperial chargé autour d'vn entrelas de cinq ou six* SERPENTEAVX. *Qui me semblent* „ *signifier la singuliere* FELICITE *de Tibere, en ses entreprises, si heureusement executées, par l'vnique vertu, & sa-* „ *gesse prudence de Germanicus. Ces* SERPENTS *marquans, (comme ie croy) le nombre de ses* VICTOIRES *plus* „ *signalées.* Hæc ille.

Achatis Tiberiani illustratio.

An non Laurum tibi, quam mordeas, ad manum esse optas, erudite Lector, eùm haud dubiè præcordia tibi ad risum saliant, dum hæc legis? Nam Vestis illa Tiberij Aug. Ægis est, seu Palladis lorica, squammosa & Serpentibus cincta, qualem Maro describit VIII. Æn.

Ægidaq; horrificam, turbata Pallados arma,
Certatim squamis Serpentum, auroq; polibent.
Connexaq; ANGVES. &c.

Solitam Ægida in antiquis Imperatorum statuis exprimi, suprà ostendimus. Aptissimè verò ad Gemmæ istius lucem Angelus Politianus, Miscellaneon cap. XLVII. *Vidimus*, inquit, *Romæ marmoreum quoddam Palladis simulacrum, gestans Ægida squammosa Draconum corio contectam; sic vt extremum eius ambitum* DRACVNCVLI *item, ad limbi aut fimbria vicem, circumcluderent.* Quantum & in reliqua eius Gemmæ Regiæ Explicatione hallucinatus sit Tristanus, eruditè ostendit politioris Litteraturæ, omnisque Antiquitatis & Elegantiæ prisca Φῶς ἀγαθὸν Albertus Rubenius, Petr. Paulli, Equitis, Apellis nostri, filius, Regi Catholico in sanctiore Concilio Belgico à Secretis, in accuratissimâ suâ Achatis illius Cæsarei Interpretatione, quam luci paratam apud illum nuper vidimus. Quàm infirmis autem friuolisque argumentis idem Tristanus nostram de *Manly*, Astronomici Auctoris, Ætate sententiam, quam olim in Papinianis nostris proposuimus, impugnarit, latius mox & oportunius (fauentibus Superis) demonstrabimus in Vindiciis Manlianis.

Sed iam à viroso Serpentum sibilis, Bellique simulacro, ad optatissimam almæ PACIS Imaginem oculos referamus.

Ad

Ad valuas Templi Iani, iuxta PACIS pedes CORNVCOPIÆ iacet, proprium insigne & gestamen Pacis, cuius beneficio rerum omnium Vbertas & Abundantia Mortalibus obtingit. Tragicus in Medeâ, de Pace: CORNV-COPIÆ.

Quæ dat belligeris Fœdera gentibus,
Et CORNV *retinet diuite* COPIAM.

In plintho adscriptum illud Pacis elogium ex Euripide desumptum: PACIS *Elogium.*

ΕἸΡΉΝΗ ΒΑΘΎΠΛΟΥΤΕ,
ΚΑῚ ΚΑΛΛΊΣΤΑ ΜΑΚΆΡΩΝ ΘΕῶΝ,
ΖΗ͂ΛΌΣ ΜΟΙ ΣΈΘΕΝ· ὩΣ ΧΡΟΝΊΖΕΙΣ!

In altero latere, idem Latinè:

O PAX ALMA, DATRIX OPVM!
O PVLCHERRIMA CÆLITVM!
QVAM TE MENS SITIT! O MORAM!

PIETAS velata Aræ adstans, & pateram dextrâ tenens, Templum Iani hortatur claudi. Ita apud Statium VII. Thebaidos: PIETAS.

——*Castra silent, suspensaq; Bellum*
Horrescit PIETAS.

Pacem inter & Pietatem media cernitur D. ISABELLA CLARA EVGENIA, Belgarum quondam & Burgundionum Domina, Pacis, dum viueret, studiosissima, Bellique fores denuò obserare nititur, quas ipsa cum Coniuge suo, ALBERTO, Austriæ Archiduce, per annos XII. initis cum Batauorum Gente Induciis, olim clauserat. ISABEL. CLARA EVGE-NIA.

Amoris & Amicitiæ GENII, Cupidinum instar alati, in Tabulâ superuolitant: quorum alter lychnuchi pedem valuis Templi claudendis admouet. In veteri Inscriptione Prænestinâ, *Cupidines duo cum suis lychnuchis*, recensentur. GENII *Amoris.*

In Propylæo sinistro spectantur Pacis Comites ac Sociæ, TRANQVILLITAS & SECVRITAS. Et TRANQVILLITAS quidem sellæ insidens, cubitoque columellæ incumbens, Papauera aliquot cum spicis dextrâ protendit, læuâ palmam gestat. Papauera somnos non interruptos, Spicæ Fertilitatem designant, quæ Tranquillitatis bona sunt. Huiusmodi exstat D. PII Numus, in quo Mulier dextrâ temoni innitens, læuâ Spicas protendens, cum Inscriptione: TRANQVILLITAS AVG. Pindarus Ode VIII. Pythior. Tranquillitatem μεγιστόπολιν, id est, *Maximarum vrbium Conditricem* non immeritò vocat: TRAN-QVILLI-TAS.

Φιλόφρον Ἡσυχία, Δίκας
Ὦ μεγιστόπολι θύγατερ.
O amica Menti TRANQVILLITAS,
Iustitiæ Filia, Vrbium maximarum Conditrix!

Stob. Florileg. tit. LVIII. Idem alibi, eleganter:

Τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ καταθεὶς,
Ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἡσυχίας
Ἱερὸν φάος. Στάσιν ἀπὸ πραπίδος
Ἐπίκοτον ἀνελὼν, Πενίας δώτειραν,
Ἐχθρὰν κουροτρόφον.

O ter Beatus, qui Patria ſtatum
In conſtitutâ ſede locauerit!
TRANQVILLITATIS *lumen almum*
Reſpiciens, animiſq; pellens
DISCORDIARVM *tetrica nubila:*
Quas atra gaudet Pauperies ſequi,
Infeſta creſcenti Iuuentæ,
Et Pueris inimica nutrix.

SECVRITAS. Stat SECVRITAS iuxta Tranquillitatem, columellæ innitens, ac dexteram ſiniſtræ axillæ inſerens. Huiuſmodi eſt Imp. Cæſ. Hoſtiliani Meſsij Aug. Numus, in quo ſtat figura Muliebris ſiniſtro cubito columellæ innixa, dextrâ Palmam gerens, cum Inſcriptione: SECVRITAS AVG. Numum adfert Pierius Hieroglyphicor. lib. XLIX. cap. XLIII.

VIRTVS & HONOS. In fronte eiuſdem Propylæi ſiniſtri, Numiſma eſt cum Effigiebus VIRTVTIS & HONORIS, iunctim poſitis, ſerto Laureo circumdatum. Talis exſtat Caleni Numus.

Creſſac. Tab. LXVIII.

Pace, VIRTVTI ſua præmia & Dignitas conſtat: HONOS Cælitibus, Hominibuſque bene de Repub. meritis, impenditur. Papinius lib. II. Syluar. ad Meliorem Atedium, eadem quoque coniungit:

Tu cuius placido poſuere in pectore ſedem
Blandus HONOS, *hilariſq;, tamen cum pondere,* VIRTVS.

LYRA. LYRA, formæ veteris, Numiſmati ſubiecta eſt, quòd Muſarum & Eloquentiæ ſtudia & Scientiæ, Pace vigeant. Bacchylides, Pæanibus:

Pind. Interp. Thay.

Τίκτει δ' τε θνατοῖσιν Εἰρήνη μεγάλα,
Πλοῦτον, καὶ μελιγλώσσων Ἀοιδᾶν αἰδέσια.
PAX *Alma res fert maximas mortalibus:*
Illa miniſtrat Opes, blandoſq; LVSVS CARMINVM.

Adiacent & Penicilli, itemque Circinus, Regula, aliaque Artium fabrilium inſtrumenta: quòd PAX exſtruat & reſtauret, quæ BELLVM & Barbaries diruit.

ABVNDANTIA. VBERTAS. In ſecundâ Eleuatione ad idem Latus iuxta CANDELABRVM, ſtat ABVNDANTIA, ſpicis coronata, ſinu & Cornucopiæ elato, fructus omnigenos geſtans. VBERTAS Copiæcornu inuerſum effundit, quâ formâ in priſcis Numis ſpectantur.

Infrà, ſub Candelabro geminum COPIÆCORNV, è quo hinc inde Pueri caput eminet. Quemadmodum in T. Antonini Aug. Numiſmate (quod ſuprà ad ARCVS PHILIPPEI partem poſteriorem attulimus) expreſſa ſunt in duplici Copiæcornu bina Puerorum capita: vt & in Numo M. Antonij III. viri apud Ful. Vrſinum in Gente Antoniâ. Adſcriptum:

TEMPORVM FELICITAS.

TEMPORVM FELICITAS. Non fruſtrà ab Heſiodo Εἰρήνη πλουτοφόρος, PAX *Liberorum Altrix*, appellatur. Etenim PACE, Heſiod. lib. I. Oper. & Dierum.

Biblioteca Nacional de España

PACE (vt cum Velleio dicam) *refulget certa Spes* LIBERORVM *Parentibus, Viris Matrimoniorum, Dominis Patrimonij: omnibus hominibus Salutis, Quietis, Tranquillitatis.* Et Aristophanes ita PACEM affatur: Aristoph. in Pace.

Ὦ σεμνοτάτη Βασίλεια, Θεὰ,
Πότνια, ΕἸΡΉΝΗ,
Δέσποινα χορῶν, Δέσποινα ΓΆΜΩΝ.
O veneranda Regina, Dea,
Reuerenda ô PAX,
Domina Chorearum: Domina NVPTIARVM.

Seneca lib. I. de Clementiâ, cap. XIII. *Tollere omnes & educare* FILIOS *cupiunt, & publicis malis Sterilitas indicta recluditur. Benè se meriturum de* LIBERIS *suis quisque non dubitat, quibus tale Sæculum ostenderit.*

Ad exterius latus, adstant Feminæ binæ Iuuenculæ, Terminorum habitu, quæ se mutuo complectuntur, & iaculorum fasciculum à Sciluro, Scytharum Principe, Liberis suis traditum, CONCORDIÆ Symbolum, manibus tenent, calathiscum Rosis plenum capite gestantes. Subscriptum: CONCORDIA.

PACIS ALVMNA QVIES: POPVLI CONCORDIA NVTRIX.

CONCORDIAM, *fundamentum ac radicem otij, bonorum Ciuium seminarium, Quietus publicæ segetem, & Almam* PACIS *altricem*, vocat Nazarius in Panegyrico Constantini Aug.

De Sciluri Fasciculo sic Plutarchus: Σκίλουρος ὀγδοήκοντα παῖδας ἄρρενας ἀπολιπὼν, ἐπεὶ τελευτᾶν ἔμελλε, ΔΕΣΜΗΝ ἈΚΟΝΤΊΩΝ ἑκάστῳ προτείνων ἐκέλευσε καταθραῦσαι· πάντων δ' ἀπαγορευσάντων, καθ' ἓν αὐτὸς ἐξελὼν ἀκόντιον, ἅπαντα ῥᾳδίως συνέκλασε· διδάσκων ἐκείνους, ὅτι συνεστῶτες, ἰσχυροὶ διαμενοῦσι, ἀσθενεῖς δ' ἔσονται διαλυθέντες καὶ στασιάζοντες. *Scilurus quum relictis octoginta maribus filiis obiturus esset,* IACVLORVM FASCICVLVM *vnicuique proponens, confringere iubebat. Verùm singulis se id posse negantibus, ipse dum singula iacula excepisset, facile omnia perfregit: sic illos docens, si vnà esse perseuerarent, firmos fore; sin dissoluti dissidentesque forent, infirmos ac debiles futuros.* Plutarch. Apophteg. Regg. & Impp. Sciluri Fasciculus.

Exstat Lud. Viuis, Valentini, liber aureus de CONCORDIA & DISCORDIA.

Suprà, ARBOR est, velut quoddam PACIS TROPHÆVM, erecta: vtrimque LABARA candidi & viridis coloris (eæ Pacis notæ sunt) eminent. Vannus, modius, rastellum, aliaque Agriculturæ instrumenta, appensa sunt. Culmis, Racemis, Pomis, Melo-peponibus, Cucumeribus, aliisque omnis generis fructibus ARBOR vestita est. In eius summitate par TVRTVRVM, columbatim sibi blandientium, corbi insidet, concordis Coniugij Pacisque Symbolum. Aristophanes, loco suprà citato, de PACIS bonis:

Καὶ τὴν ἀγορὰν ἡμῖν ἀγαθῶν
Ἐμπλησθῆναι μεγάλων σκορόδων,
Σικύων πρῴων, μήλων, ῥοιῶν,
Κἀκ Βοιωτῶν γε φέροντας ἰδεῖν,
Χῆνας, νήττας, φάττας, τροχίλους,
Καὶ κωπαΐδων ἐλθεῖν σπυρίδας.
Vt nostra bonis nunc Fora abundent,
Et sint fœta ingentibus alliis,
Pomisque & cucumeribus præcoquis.
Vt Bœotia deferat ad nos
Anates, Trochilos, atque Palumbes,
Cumque Anseribus veniant sportulæ.

E summitate Tholi, à latere PACIS, Vexillum candidi coloris eminet. Acroterio Templi Nux Pinea est imposita. Qualis Romæ in Vaticano visitur ænea Pini nux, quam nonnulli in fastigio Molis Hadriani Aug. stetisse opinantur. In imâ Pegmatis parte, sub CONCORDIA, Hœdi bini colludentes lasciuiunt.

IANI TEMPLVM claudendi & aperiendi Causa.

Iconum, Symbolorumque, quæ in IANI TEMPLO spectabantur, descriptione iam absoluta, operæpretium duxi obiter caussam rationemque indagare, quæ priscos mouerit, vt Templum illud Belli tempore reserarent, Pace clauderent? Seruius in I. Æneid. ad Fabellam, locique miraculum, id refert, quod Bello aduersus Tatium Sabinorum Regem gesto, acciderit. *Aiunt*, inquit, *Romulo contra Sabinos pugnante, cùm in eo esset vt vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugauit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, vt pugnaturi* APERIRENT TEMPLVM IANI, *quod in eo loco fuerat constitutum, quasi in pace principis auxilij.* Eadem ratio adfertur à Macrobio lib. I. Saturnal. cap. IX. Et Ianus ipse apud Nasonem I. Fastor. hæc ita narrat:

Oraq; (quàm pollens opto sum) fontanus reclusi,
Summq; vepuntinas eiaculatus aquas.
Aduè tamen madidis subiuci sulphura vnnis,
Clauderet vt Tatio feruidus humor iter.

Idem autem paullò pòst, aliam eius rei caussam reddit:

At cur PACE *late? motisq; RECLVDERIS armis?*
Nec mora, quæsiti reddita caussa mei est.
Vt populo reditus PATEANT *ad Bella profecto,*
Tota PATET *demptâ Ianua nostra serâ.*

Ceterùm, cùm (vt suprà commonstrauimus) Ritus iste IANI TEMPLVM claudendi & reserandi, à sapientissimo, omnisque Philosophiæ gnaro, Rege Numâ primùm institutus sit, altioris cuiuspiam sensus, magisque reconditi, Rationem sub isto ceremoniarum commento latere existimo. Nempe, quòd Pacis Tempore, Vis omnis maior & Violentia coërceatur à prouido & clemente Principe: qualem fuisse Ianum Regem ex Plutarcho & Macrobio, initio huius Descriptionis docuimus. Et ipse D. Augustinus lib. VII. cap. IIII. de Ciuit. Dei, hoc illi Elogium tribuit: *De* IANO *quidem*, inquit, *mihi non facilè quidquam occurrit, quod ad probrum pertineat. Et fortasse tales fuit, vt innocentior viuerit, & à facinoribus flagitijsq; remotior.*

A tali Principe FVROREM ac Violentiam cohiberi, vinclisque constringi solitam, quid mirum veteres eleganti Mythologiâ finxisse? In hunc sensum Maro, I. Æneidos:

——— Dira ferro & compagibus arctis
Claudentur BELLI PORTÆ. FVROR *impius intus*
Saua sedens super arma, & centum vinctus aheneis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Et Fl. Manlius Theodorus, vir Consularis, Astronomici lib. I.

Sed satis hoc Fatis fuerit: iam BELLA *quiescant,*
Atque adamanteæ DISCORDIA *vinctа catenis*
Æternos habeant frenos in Carcere clausa.

At verò, dum ab hostibus Bella ingruerent, atque vltrò Iniuriæ lacesserent; tum reseratis Templi foribus, abruptisque vinculis ac repagulis, FVROR in hostes, à sic coacto Principe emittebatur. Quod & Maro lib. VII. Æneidos, illo quem suprà adduximus loco, innuit.

Nam

Nam cùm à Patribus decerni Bellum solitum dixisset, mox subdit:

———Reserat stridentia limina Consul:

Ipse VOCAT PVGNAS. *Sequitur tum cetera pubes.*

Atque istud est, quod Iustum Bellum appellat Liuius lib. IX. *Iustum Bellum,* inquit, *quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Huc facit, quod Plinius lib. XXXV. cap. X. scribit, ab Apelle pictam esse BELLI *Imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru Triumphante. Quam Tabulam D. Augustus in Fori sui parte celeberrimâ dedicauit.* Quod & Seruius refert ad I. Æneid. Huc quoque respexit Naso I. Fastorum, ad Germanicum Cæsarem:

Gratia Dis, Domuiq; tuæ. RELIGATA CATENIS

Iam pridem vestro sub pede BELLA *iacent.*

Et verò, optimus & Pacificus Princeps Numa, Romanorum Rex, IANI TEMPLVM per annos XLIII. primus clausit, Plutarcho teste, in eius Vitâ. Secundò id fecit T. Manlius Cos. post primum Bellum Punicum. Tertiò Augustus, Pace Terrâ Marique partâ, idem Templum æuo suo ter clausit. Et postremò quidem circa Natiuitatem Regis & Pontificis Summi, IESV CHRISTI, Domini nostri, Principis Pacis. Eius rei hodieque illustre monumentum exstat Emeritæ in Hispaniâ:

Liuius lib. I. — TEMPLVM IANI *à quibus clausum?* — *Gruter. pag. CXLIX.*

IMP. CÆS. DIVI F. AVGVSTVS, PONT. MAX.

COS. XII. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII.

ORBE, MARI ET TERRA, PACATO,

TEMPLO IANI CLVSO,

ET REP. P.R. OPTIMIS LEGIB. ET SANCTISS. INSTITVTIS REFORMATA,

VIAM SVPERIORVM COSS. TEMPORE INCHOATAM,

PRO DIGNITATE IMPERI LATIOREM LONGIOREMQVE

GADES VSQVE PERDVXIT.

Exstat & Numus D. Augusti, in quo Templum Iani clausum conspicitur, cum istâ Inscriptione: IAN. CLV. Similis quoque est Neronis Cæs. Numus, cum hac Epigraphe: PACE TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT.

Goltz. Augusto pag. LVII. *A. Augustin.* dialog. V. *Torrent.* ad Sueton.

Vtinam & nostrâ Tempestate IANI TEMPLVM tot iam lustris reseratum, aliquando claudatur! & funesta illa ac plusquam ciuilia, quæ Belgium, adeoque Europam penè vniuersam exhauriunt & euertunt Bella, fidâ perpetuâque PACE componantur!

Votum pro PACE & CONCORDIA *Christianorum Principum.*

Vtinam Christiani Principes,

Horat.

———O vtinam, nouâ

Incude diffingant retusum in

Massagetas Arabasq; ferrum!

Vt olim VRBANO II. Pont. Max. adhortante, Ductore GOTHOFREDO BVLLONIO, Belgâ, Lotharingiæ inuictissimo Duce, ac ANTVERPIÆ (qui summus Vrbis huius est honos) ad Scaldim Marchione, totiusque Galliæ ac inprimis Belgicæ Nobilitatis flore vltrò sacræ Militiæ

Gulielm. Tyrius Belli Sacri lib. I. cap. XIV. & lib. II. cap. I. *A. Miræus* Chron. Belg. ad an. 1095. — GOTHOFREDI BVLLONII *Expeditio in Terram sanctam.*

Militiæ nomen dante, in communem Christianæ Pietatis hostem concordibus animis armisque itum est. Terraque illa sanctissimis τῶν Σωτῆρος calcata vestigiis, Diuinoque imbuta sanguine, ab impiorum Tyrannide est vindicata; non Dominandi libidine, sed vero Christianæ Religionis zelo nobilissimæ Expeditionis consortes Principes inflammante. Nam & GOTHOFREDVS ipse auitum patrimonium suum, Castrum Ditionemque BVLLONIENSEM, Otberto, Leodicensium Præsuli diuenditam, Belli Sacri sumptibus impendit. Adeò terrenum Principatum Heros pius & magnanimus neglexit, dum ad Ciuitatem Dei recuperandam Vindex festinat. Quin & mox, Hierosolymis expugnatis, cùm GOTHOFREDO, ob incomparabilem eius Virtutem, quâ primus in Vrbem Victor irruperat, Regale Diadema, Coronaque aurea de communi Christianorum Principum consensu esset oblata; ille, Ambitionis omnis expers, *Nefas esse*, dixit, *Hominum Coronâ auream in eâ Vrbe insigniri, in quâ Deus, Rex ipse Regum,* CHRISTVS, *ob salutem Generis Humani, spineâ prius olim deformatus fuerat.* Tyrius lib. 12. cap. 12.

Vt de aliâ priscorum Heroûm prope innumerabilium Sacrâ Militiâ sileatur; quis DIVI LVDOVICI, IX. eius nominis, Gallorum Regis Christianissimi, Sacras Expeditiones nescit, quibus & se Vitamque suam impendere gloriosum duxit? Lubet è Diuinâ S. D. N. VRBANI VIII. Pont. Max. in eumdem DIVVM LVDOVICVM Odâ, Vota Precesque ipsius Religionis nomine conceptas hic subiungere, ac Purpuram illam longè splendidissimam, Gemmeamque insertam, pannoso huic nostro Σκώμματι intertexere: Vide Libellum Militum Sacrum Diuini Brabant.

Nunc, ô vertricis insola
Cælestis, audi quas Preces, decorum
Pallida vultum
RELLIGIO *mœrens lacrymis tibi fundit obortis.*
Inuicte Rex, en GALLIA
Iunctæ est rursus IBERIÆ
Sanguinis vinclis; Animos & Arma
Hæc iungat arctum Fœdus. Heu! quot conficit
EVROPA *se discors in ora!*
Squalet Punica tellus:
Te deuincta vocat GRÆCIA *compede,*
IORDANES *vocat, & sacrum*
CHRISTI *Sepulchrum Vindicem moratur.* Mayhem Catalin. Rarissimum VRBANI VIII. Pont. Max. Odi in D. LVDOVICVM.

ARBOR

ARBOR GENEALOGIÆ AVSTRIACÆ



Biblioteca Nacional de España

ARBOR GENEALOGIAE AVSTRIACÆ.

A Templo Iani Ser^mus Princeps per Forum Vrbis maius progrediens, ad latus Viæ Maylliriæ in conſpectu habuit PROSCENIVM à D. Lucæ Sodalitio, cui Pictores, Librarij, Statuarij, aliique eius generis Artifices nomen dedere, erectum & inuentum, viuiſque Perſonis inſeſſum: altum pedes LX. latum XLIII.

In medio Theatri, ARBOR GENEALOGIÆ AVSTRIACÆ eminebat, cuius ramis maximorum illius Auguſtæ Domus Heroum Nomina ſparſim inſcripta legebantur: RODOLPHI, ALBERTI, FREDERICI, MAXÆMILIANI, CAROLI, FERDINANDI, MATTHIÆ, PHILIPPI, LEOPOLDI, ERNESTI, aliique; quorum ea Pietas, eaque Fortitudo, iuſtis Bellis aduerſus Chriſtianæ & Orthodoxæ Religionis hoſtes ſuſceptis, enituit, vt non ſibi, ſed Eccleſiæ, ſed Cælo certatim vincere, Laureaſque Triumphales referre viderentur. Arbori Epigraphe erat ſuperpoſita:

AVSTRIADVM GENVS EST RELLIGIONIS HONOS.

Præclarè Agapetus Diaconus in Paræneſi ad Imp. Cæſ. Iuſtinianum Aug. Τῆς πάσης βασιλείας ἐστὶ στήριγμα τὸ βασιλικὸν κομμὶ. *Super omnia quæ in Regno illuſtria ſunt*, PIETATIS *Stemma Regem exornat.*

De Imp. Cæſ. RODOLPHI I. Auguſtæ Domus AVSTRIÆ Conditoris, incomparabili erga SS. Euchariſtiam cultu & Pietate ſuprà in illius Elogio diximus. Eius rei geſtæ Hiſtoriam cùm Ser^mus Archidux ERNESTVS AVSTRIACVS Belgij pro Rege Gubernator, eximij Pictoris manu delineandam curaſſet, Iuſtus Lipſius, Profeſſor Regius, iſtud Epigramma Tabellæ ſubiunxit:

A Mirm Laudatione Fundb. Rodolphi Imp. Aug.

Comes fuit RODOLPHVS *olim* HABSBVRGICVS,
Cui, rure (iuxta riuulum qui excreuerat,)
Ferens ad agrum quempiam EVCHARISTIAM,
Parochus ſit obuius. Comes mox in pedes
Salit, ſuoq. collocat Myſtam loco.
Euns ſimul, ſimul domos agri petunt,
Intrantq. triſte limen: ne iſtinc ster
Aliud loquunt. Sed hic equum vult reddere
Parochus, negat Comes: quin impium ſeclus,
Neſaſq. ducit. Ipſe, ſcilicet, premam
Ephippion, quo vectus eſt Cali Deus?
Ait: pedeſtq. conficit captam viam.

Fides inaudita! En, Sibyllinâ fata
De stirpe Vates, INCLYTO COMITI *canit*
ÆTERNVM HONOREM. *Hoc Præmium* PIETAS *habet.*

Eiusdem Cæsaris quanta erga Sanctam Sedem Apostolicam obseruantia fuerit, Fl. Blondus, Foroliuiensis, Secretarius Apostolicus testatur: RODOLPHVS, inquit, *Hetruria à Carolo Regis Vicariatu liberata facto delimitus,* ROMANIOLAM (priscis *Flaminia* dicta fuit) *& Rauennatum Exarchatum* PONTIFICI & ECCLESIÆ *reddidit. Namque post fractas apud Forumliuium, Bononiensium Florentiorumq; copias, omnis* ROMANIOLA *Imperatorias secuta erat partes.* Et mox: *Nicolaus itaque Pontifex, Bertoldo Vrsino, Nepote, in* ROMANIOLÆ *Comitem declarato, & cum nuntiis & Litteris* RODOLPHI *misso, omnem* ROMANIOLAM *pro Ecclesiâ recepit: cui &* BONONIA *tunc pariter fuit dedita.* Fl. Blondus Historiar. Decad. II. lib. III. sequitur de Regno Italiæ lib. XI.

ALBERTI I. Aug. istud Apophthegma memoratur: *Tria Hominum genera præcipuo se honore prosequi:* CLERVM DEVOTVM, *Milites strenuos, Feminas pudicas.* FREDERICVS III. Aug. cognomento Pulcher, bina equitum millia cum magnis peditum copiis, Henrico fratre suo Ductore, in Italiam Pontifici aduersus factiosos, suppetias misit. ALBERTVS II. Aug. Husitas Hæreticos Ziscâ Duce in Bohemiâ tumultuantes compescuit: & Amurati, Turcarum Imperatori, Pannoniis imminenti, se obiecit. FREDERICVS IV. Aug. Religionis ergò Terram sanctam adolescens inuisit. MAXÆMILIANVS I. Aug. Turcarum infinitas copias, Carinthiam, Carnioliam, Styriam infestantes, profligauit. Cuspin. Annal. Austriac. lib. I.

De CAROLO V. Aug. ita supremæ Galliarum Curiæ Præses: *Vita eius fere iam à primis pueritiæ annis seria fuit, & maximis negotiis & variis expeditionibus exercitata. Atque in ipso præcipuum* PIETATIS *studium fuisse, postquam ad Imperium euectus est, citra adulationem dicere possumus, eoq; omnia fermè, quo ille Pace vel Bello fecit, referri debere. Nimirum, vt Concilium legitimum celebraretur, & per illud Concordia in* ECCLESIA *sarciretur.* Thuanus Historiar. lib. XXXIII.

FERDINANDVS I. Aug. Bello Saxonico aduersus Lutheranos, Carolo V. Aug. Fratri suo sedulam operam nauauit. De MAXÆMILIANI II. RODOLPHI II. & MATTHIÆ I. Augustor. contra communem Christiani Nominis hostem, Bellis, suprà in illorum Elogiis abundè egimus.

FERDINANDI II. Aug. non semel ista vox audita est: DEI GLORIAM *sibi sic esse cordi, vt* [illegible] *illius augmentum si nosset suo decremento posse comparari, non cunctaretur solio decedere, Coronas ac Sceptra deponere, ad vitam priuatam delabi, ad miseriam redigi, ad Mortem contemptu & probris plenam.* R. P. Cyriac. Lucan. lib. de Virtut. FERDINANDI II. cap. III.

FERDINANDVS III. Aug. summum suum in promouendâ Catholicâ Fide Zelum, PIETATE & IVSTITIA Orbi testatum facit.

De PHILIPPIS, Catholicis Regibus, fidicere aggrediar, quis finis? Mirata est olim Vetustas PHILIPPVM Macedoniæ Regem, qui ob Templum Delphicum à Phocensibus violatum ac direptum, aduersus eosdem Bellum per annos decem gesit, quod τερὶ πόλεμον, *Bellum sacrum*, dictum fuit: magnamque istud PHILIPPO gratiam atque auctoritatem apud Græcos peperit. At quid hoc ad incomparabile PHILIPPORVM, Hispaniæ Regum, in auitâ Religione propugnandâ studium, qui iam per annos amplius sexaginta, ob violata maiorum sacra, aduersus eosdem Hæresi Bellum gerunt? Illustre eius rei Testimonium dedit Clemens VIII. Pont. Max. qui nuntio de PHILIPPI II. Hispaniarum Indiarumque Regis morte allato, in publico Cardinalium consessu dixit: *Vniuersam* PHILIPPI II. *Regis Catholici Vitam nihil aliud fuisse, quàm perpetuum aduersus Infideles & Hæreticos Bellum.* PHILIPPI, III. & IV. Reges Catholici, Patris Auique exemplum imitati, Bellis Bohemicis, Germanicis, Belgicis, Petrus Matthæus lib. V. Historiæ Henr. IV. Gall. Reg.

cis, Regna sua vniuersa ob Catholicæ Fidei Tutelam in discrimen adducere numquam dubitarunt. Atque his tot Cæsarum Regumque, Maiorum suorum, vestigiis insistens FERDINANDVS Hispaniarum Infans, strenuum sese Orthodoxæ Religionis & Romani Imperij Vindicem commonstrauit.

In ramis ARBORIS GENEALOGICÆ Nomina Cæsarum, Regum, ac Archiducum, pro loci spatio indiscriminatim posita sunt. Recta serie illa exhibet Gerardus Roius Annalium Austriacorum initio. Et copiosè Genealogiam AVSTRIACAM edidère Wolphangus Lazius, Pontus Heuterus, Theodoricus Pieſpordius, & Franciscus Gulimannus, aliique.

Adeat Lector P. Ioan. Ganzij, Societatis IESV Theologi, ARBORETVM GENEALOGICVM, exhibens omnes ferè Imperij Principes & Europæ hodie Reges lineâ rectâ ab Imp. Cæs. RODOLPHO Aug. descendentes.

Ad radicem Arboris, loco edito, sedet Sancta ECCLESIA CATHOLICA ROMANA, in hanc Epigraphen, Arbori affixam, digitum intendens:

TE STANTE VIREBO.

Iuxta Ecclesiam viuæ Personæ variæ (nihil enim à Rubenianâ manu, aut Inuentione, hic erat) conspiciebantur.

Ad dextrum Ecclesiæ latus adstat ÆTERNITAS; ad sinistram, GRATIA DIVINA, quam comitatur VERITAS, sacræ Scripturæ Codices sub brachio gestans, quæ à PAGANISMO, MAHOMETISMO, & HÆRESI oppugnatur. Sed à FORTITVDINE, sub habitu MILITIS CHRISTIANI defenditur, & tres istæ sectæ in Tartarum profligantur.

Infra Ecclesiam genu flectunt VITA ACTIVA & CONTEMPLATIVA. Iuxtà cernitur DIVINA PROVIDENTIA, quæ Insignia Ser^mi Principis Cardinalis BELGICÆ ostendit, certamque illi Victoriam & Felicitatem hoc Duce pollicetur.

TEMPVS sacras Traditiones præfert. Adstat CHRISTIANISMVS: ac ponè tres Virtutes Theologicæ, FIDES, SPES, CHARITAS. Supernè è Cælo Coronæ apparent.

In summo Pegmatis fastigio, festas inter faces, Vas VIOLIS plenum conspicitur. Habet enim D. Lucæ Sodalitium pro Symbolo suo VIOLAS.

In dextro Cornu PICTVRA; in læuo, STATVARIA insident: Artes quæ apud Antuerpianos, ad exterarum Gentium Inuidiam florent. Vtraque, artis suæ instrumenta manu gestat.

Infrà ad latera, gemina hinc inde CONCORDIÆ Symbola, mutuum Ciuium Amorem, animorumque Coniunctionem denotant.

Ab hoc Pegmate Ser^mus Princeps Curiam transiens, in veteri Foro Frumentario, è regione Viæ cui à Peregrinis nomen, aliud Pegma conspexit, à Ciuium Sodalitio, cui CALTHA insigne est, erectum, & viuis quoque Personis insessum. In eo BELGICÆ, CALTHÆ. Hostibus vndique in illam conspirantibus obsessæ, Typus erat. Atque illi oculos in Cælum flectenti SPES apparens, Præsidium & Propugnatorem commonstrabat Ser^mum Principem FERDINANDVM. *Præfectum.*

Pegmatis istius Iconem hic non adiunximus, quòd Personæ ac Symbola in eo repræsentata in aliis Pegmatibus ferè iam exhibita sint.

BASILICAM MARIANAM FERDINANDVS *intrat.*

Hinc Ser^mus Princeps deflexit ad BASILICAM MARIANAM. Atque ibi equo descendentem, limenque Templi subeuntem, Canonicorum Decanus, D. Aubertus Miræus, Episcopatus Vicarius Generalis, (neque enim designatus pridem in demortui Antistitis locum R^mus D. GASPAR NEMIVS Sedi tum inauguratus erat) breui Oratione excepit, adstante vniuerso Canonicorum Collegio. Idem Decanus Ser^mum Principem aquâ lustrali adspergens, flectenti in puluino holoserico Crucem Dominicam de more osculandam præbuit. Inde, toto Templo, Organis & Musicis omnis generis concentibus personante, rectà ad Chorum cum toto Aulicorum Procerum cœtu Princeps progressus est. Ibidemque ante Aram summam Preces ad Deum Opt. Max. fudit, dum solemne Carmen, TE DEVM LAVDAMVS, ob felicissimum eius Aduentum intonatur. Hymno finito, Princeps ad portam Templi maiorem à Decano eiusque Collegis deductus, conscenso equo, denuò per Forum Frumentarium ad Viam Altam perrexit.

MER-

NE PRECOR ILLE CVI LVCRES ET TECTVS CYLLENIVS ALAS,
O PRINCEPS, VLLIAMQVE SIBI NE DEFERAT VRBEM,
SED FVGITIVA MEO REDEANT COMMERCIA SCALDI

MERCVRIVS ABITVRIENS.

VERSVS Scaldim, ad Pontem Diui Ioannis, Pegma erat Operis Rustici, hispidum vndique, & velut defluentibus riuis, Marinam Machinam referens. Altum pedes LX. latum LXX.

In Tabulâ Mediâ, MERCVRIVS, mercimoniorum Præses, petasatus, marsupium & caduceum dextrâ tenens, vertice ac pedibus alatis, velut basi suâ auolaturus spectatur, sed GENII duo, chlamyde arreptâ, illum retinere conantur. TABVLÆ MEDIÆ Descriptio.

Infrà, Matronæ habitu, turrita, sertoque gentilitio è Rosis contexto ornata sedet ANTVERPIA, quæ supplex, vultu ad transeuntem Principem conuerso, ipsum videtur precari, vt eius Auspiciis MERCVRIVS in basi maneat, nec Vrbem deserat. Ab eâdem parte NAVTA est, qui repræsentat otium, incumbens inuersæ scaphæ iuxta anchoram.

Ex aduerso, SCALDIS arundine caput redimitus, velut soporatus, retibus insidet, vnæque innititur. Crura eius Compedibus vincta sunt, ob commercium Vrbi interclusum. Assidet illi GENIVS, qui Compedes eius abrumpere nititur.

Epigraphe, ex personâ ANTVERPIÆ:

NE, PRECOR, HINC VOLVCRES FLECTAT CYLLENIVS ALAS,
O PRINCEPS, CVLTAMQVE SIBI NE DESERAT VRBEM:
ET FVGITIVA MEO REDEANT COMMERCIA SCALDI!

MERCVRIVM petasatum, pasim in Numis, & priscis statuis exprimi solitum nemo ignorat. Est autem πῖλος, *Pileus Arcadicus*, teste Hesychio. Vnde Papinius VII. Thebaid. de Mercurio agens: MERCVRII simulacrum.

——*Crepat aurea grandine mulcta*
Palla, nec ARCADII *bene protegit vmbra* GALERI.

MARSVPIVM quoque idem gestabat. Suidas: Κερδῶῤ· Θεὸς ὁ Ἑρμῆς, ὡς κέρδος ποιῶν. Διὸ καὶ Μάρσιππον αὐτὸν ποιοῦσι βαστάζοντα. *Lucrio Deus* MERCVRIVS, *vt lucri sui quæstus effector. Quamobrem ipsum etiam faciunt gestare* MARSVPIVM. Codinus in Parecbolis: Τὸ κέρδος αἴνιγμα λέγεται, καὶ ἐμπόρεσιν τὸν Ἑρμῆν. Οὗτο τὸ ἄγαλμα αὐτὸ ἐν ὅλῃ βαστάζον Μάρσιππον. *Lucri auctorem dicunt & Negotiatorem* MERCVRIVM. *Hinc ipsius statua* MARSVPIVM *tribuunt.* In Numis Samiorum & Heraclienſium, qui commerciis olim florebant, itemque in M. Decij Aug. Numo, eo, quo diximus habitu, exprimitur:

Gallia. Insid. Græc. tab. XVI. Idem, Insid. Asiæ, tab. IV. Lem. Insul. pag. XXIX.

Belgis quoque MERCVRIVM præcipuis honoribus olim cultum fuisse, testatur Cæsar lib. VI. de Bello Gallico, de Belgis agens: *Deum maximè* MERCVRIVM *colunt: huius plurima simula-*

cra : hunc ad quæstus PECVNIÆ, *Mercaturasq́ue, habere vim maximam arbitrantur.*

Cur autem Cubo insistens olim pictus MERCVRIVS, rationem vide apud Galenum, Oratione suasoriâ ad Artes.

OPVLENTIA. A dextrâ Pegmatis parte expressa est OPVLENTIA, insidens bilanci & mercibus, cui ABVNDANTIA pleno cornu omnis generis opes in sinum effundit.

Suprà, Tabula est, in quâ hæc Epigraphe:

AVREA SECVRIS REVOCABIT SÆCVLA BELGIS

FERNANDVS, PRISCVMQVE DECVS: DITESQVE RESVMET

MERCIBVS OMNIGENIS FLORENS ANTVERPIA CVLTVS;

LARGAQVE SVCCEDET FOECVNDO COPIA CORNV.

Ambitur ea Tabula velut quodam serto, è vario concharum & cochlearum marinarum genere, concinnato.

COMVS. Ab eâdem parte, COMI, Epularum, Comessationumque, ac Chorearum Præsidis, est effigies. Epigraphe:

EX OPIBVS LAVTO NASCVNTVR GAVDIA COMO.

De COMO sic Philostratus in Iconibus: Ὁ δαίμων ὁ ΚΩ͂ΜΟΣ, παρ' οὗ τὸ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις. *Deus est* COMVS, *à quo comessari est mortalibus.* Iuuenili formâ expressus est, qualem etiam illum depingit Philostratus: ΚΩ͂ΜΟΣ ἥκει νέος παρὰ νέους, ἁπαλὸς, καὶ οὔπω ἔφηβος, ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου. COMVS *Iuuenis ad Iuuenes accedit, mollis, nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus.* Hinc est quòd vuam dextrâ teneat, sinistrâ facem Nuptialem, quam & illi tradit Philostratus. Nebride, siue pelle ceruinâ amictus est, qualem & Bacchus gestasse fertur. Epicharmi Siculi elegans Gradatio huc facit: *Athenæus lib. 2. Deipnosoph.*

——— Ἐκ μὲν θυσίας
Θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο.
Ἐκ πόσιος δὲ ΚΩ͂ΜΟΣ, ἐκ ΚΩ͂ΜΟΥ δ' ἐγένετο θυανία.
Ἐκ δὲ θυανίας δίκη 'γένετ', ἐκ δίκης δὲ καταδίκη,
Ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε καὶ σφάκελοι καὶ ζημία.

——— *Ex Sacro Conuiuium;*
Ex Conuiuio Potatio nata est;
Ex Potatione COMESSATIO; *ex Comessatione Bacchatio;*
Ex Bacchatione Lis; ex Lite Condemnatio;
E Damnatione mulcta, vincla, sideratio.

PAVPERTAS. A sinistrâ Pegmatis parte PAVPERTAS habitu Feminæ pauperculæ sedet, laceris vestibus, colum tenens. Adest illi puer famelicus caulem crudum præmordens: adiacent & alia oluscula. Adstat NAVTA otiosus Ligonem tenens, dextrâ caput scabens. Epigraphe:

SCALDIM COMPEDIBVS PRINCEPS DABIT IRE SOLVTIS,

DESVETASQVE ITERVM PONTO DECVRRERE PVPPES.

PAVPERIES PROCVL, ET PALLENS ABSCEDET EGESTAS,

NEC DVRVM VLTERIVS TRACTABIT NAVTA LIGONEM.

INDVSTRIA. In exteriori parte stat INDVSTRIA, Paupertatis Filia, è silice ignem excutiens. Denotat

hæc

hæc, Antuerpienſes Ciues commercio fluminis intercluſo, ſolertiâ ſuâ ex variis operibus manu elaboratis, & ad exteros tranſmiſsis, rem facere. Inſcriptio:

OCCVLTAS SOLERS INDVSTRIA REPPERIT ARTES.

Vt Pauperies INDVSTRIAM, ita Induſtria Artes parere ſolet. Theocritus:

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.
Sola eſt, ô Diophante, ARTES *quæ gignit,* EGESTAS;

Eleganter quoque Claudianus:

Prouocet vt ſegnes animos, rerumq́; remotas
Ingenioſa vias paullatim exploret EGESTAS:
Vtq́; ARTES *pariat* SOLERTIA, *nutriat vſus.*

Et Fl. Manlius Theodorus, Vir Conſularis, lib. I. Aſtronomici ſui, in eumdem ſenſum ita canit:

Necdum etiam doctas SOLERTIA *fecerat* ARTES:
Sed cùm longa dies acuit mortalia corda,
Et LABOR *Ingenium miſeris dedit, & ſua quemque*
Aduigilare ſibi iuſsit Fortuna premendo;
Seducta in varias certarunt pectora curas.

Apud Gades in Hiſpaniis, gemina ARA, altera PAVPERTATI, altera ARTI erecta erat. Quâ de re ſic Euſtathius in Periegeſin Dionyſij Alexandrini, vbi de Gadibus agit: Καὶ Βωμὸς δὲ παρὰ τοῖς ἐκεῖ, Πενίας καὶ Τέχνης. Τῆς μὲν, ἐξιλεουμένοις· τῆς δὲ, παραλαμβάνουσιν εἰς ἄκος ἐκείνης. *Et* ARA *quidem apud illos eſt,* PAVPERTATIS & ARTIS. *Paupertatis quidem, vt illam placarent; Artis verò, vt Remedij ad effugiendam Paupertatem optimi.*

In ſuperiori Pegmatis parte Typus eſt florentis olim apud Antuerpienſes Nauigationis. Caput OCEANI Portæ incumbit, è vertice & capillis per humeros fuſis, barbâque totâ aquis diſtillans. Talem Tiberinum deſcribit Claudianus: OCEANVS.

Illi glauca nitent hirſuto lumina vultu,
Diſtillant per pectus aquæ. Frons hiſpida manat
Imbribus; in liquidos fontes ſe barba reſoluit.

Oceano ORBIS TERRARVM innatat. NEPTVNVS & AMPHITRITE Orbi inſident. NEPTVNVS & AMPHITRITE.
Hinc Neptunus Homero dictus Γαιήοχος, *Terram continens*, ſiue *ambitu ſuo complectens*; itemq́ue Ἐννοσίγαιος, Ἐννοσίχθων, Σεισίχθων, *Terræ-concuſſor*, eidem Homero & Pindaro, aliiſq́ue Poëtis dicitur. Sic & vxor eius Ἀμφιτρίτη dicta, ἀπὸ τοῦ ἀμφιτρίβειν, id eſt, à *circumterendo*, quòd Mare Terram vndique atterat & lancinet.

Neptunus Tridentem & Gubernaculum; Amphitrite Roſtrum nauis & Cornucopiæ tenet. Tridentem ille geſtat, quòd Terram fluctibus ſuis pulſet & feriat. Sed & Terræmotus cauſam ad illum referunt Philoſophi. Sub pedibus illorum DELPHINI gemini, Mare Orientale & Occidentale denotant.

A lateribus vtrimque TRITONES concham inflantes, & Inſignia Vrbis Antuerpienſis geſtantes. Tritonis habitum & formam ita graphicè deſcribit Maro lib. X. Æneidos: TRITONES.

——*Immanis* TRITON, *& cærula Conchâ*
Exterrens freta. Cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert. In Priſtin deſinit aluus:
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda.

Et Nonnus Dionysiacor. XXXVI.

> ΤΡΙ'ΤΩΝ δ' εὐρυγένειος ἐβόμβεεν ἤθαδι κόχλῳ,
> Ἀνδροφυὴς, ἀτέλεστος, ἀπ' ἰξύος ἔγχλοος ἰχθύς.
>
> TRITON *verò latas maxillas habens, bombum edebat consuetâ cochleâ,*
> *Humanam formam habens, imperfectus, ab ilio vsque viridis Piscis.*

Iuxta Tritones vtrimque GENII, qui Aquam ex vrnâ effundunt.

A tergo Neptuni & Amphitrites, inter arundineta MALVS Nauis cum Antennis eminet, in cuius fastigio GNOMONIS MAGNETICI, siue Acus Nauiculariæ instrumentum cernitur. Gemini eius Apices Polum Arcticum & Antarcticum demonstrant. Inscriptio:

POLVS NON SVFFICIT VNVS.

Fuit sanè Tempus, cùm Oceanus & Neptunus Scaldi inseruientes, omnium toto Orbe gentium mercimonia in eius portum aduehèrent, & vicissim ipse per omnia Terrarum spatia refunderet & distribueret. Vnde meritò *Fluuius, rerum toto Orbe nascentium Mercator placidissimus* appellari poterat, quemadmodum Tibris à Plinio nuncupatur. Vel vnum Hieronymi Cardani, Mediolanensis, Philosophi & Medici præstantissimi, de hac Vrbe Elogium huc attulisse suffecerit. *Cùm,* inquit, *Belgicæ Vrbes omnes, magnitudine, frequentiâ, & opulentiâ sint insignes, omnes tamen* ANTVERPIA, *Emporium Europæ celeberrimum, excedit. Incredibilis enim ibi concursus hominum atque mercium ex Anglia, Hispaniis, Gallia, Germania, Italiæ. Et quidquid opum vterque Mundus habet, citra vltraq́; Æquinoctialem, ibi visitur.* SCALDI *flumine, Marisq́; aquâ, ab Occidentali parte tam commodè alluitur, vt omnem Classem, omnemq́; Nauem excipere possit.* Cardan. de Rer. varietate lib. XVII. cap. XCVI.

Narrat Lud. Guicciardinus, vno Maris æstu, quingentas Naues non rarò Antuerpiam appulisse. Sed hæc fuère. Et decumani hi Ciuilium Bellorum fluctus, quibus infelix BELGICA iactatur, mercimoniorum frequentiam aliò auerterunt.

At nihil est, quod non ab inuictis armis Monarchæ Maximi, PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis, sibi polliceatur ANTVERPIA. Illius certè Auspiciis, & inusitatâ FERDINANDI Principis, eius Fratris, Virtute, speramus Oceanum commerciis, Flumina nauigationi, Emporia opulentiæ, Belgium vniuersum pristinæ Tranquillitati restitutum iri. Quò etiam spectat Inscriptio nostra, PORTÆ REGIÆ ad Scaldim anno M. DC. XXIV. è marmore, à fundamentis sumptu publico exstructæ, præfixa:

CVI TAGVS ET GANGES, RHENVS CVI SERVIT ET INDVS,
HVIC FAMVLAS GAVDET VOLVERE SCALDIS AQVAS.
QVASQVE OLIM PROAVO VEXIT SVB CÆSARE PVPPES,
HAS VEHET AVSPICIIS, MAGNE PHILIPPE, TVIS.

ARCVS



MONETA
AD COMMERCIVM
GENERIS HVMANI, CVSA ET
OCEANVMQ
ARCVS MONETALIS
PARS PRIOR

ARCVS MONETALIS PARS PRIOR.

AD Officinam MONETÆ REGIÆ, quà ad Cœnobium D. Michaëlis itur, MONTEM bracteatis Auri Argentique venis interlucentem Præfecti Sodalesque Monetales ære priuato excitarunt, altum LX. pedes, latum XL.

Præcipuè verò POTOSIN, Peruuiæ Montem argentiferum, designarunt. Ita olim Pompeius, deuicto Mithridate Triumphans, inter alia Aurea Argenteaque fercula, MONTEM AVREVM, *quadratum, cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdatà vite aureà,* exhibuit, vt ex Actis eius Triumphi refert Plinius lib. XXXVII. cap. II.

Supra Portam, quâ Mons est peruius, MONETA, Matronæ habitu, expapillato brachio sedet, dextrâ Caduceum, loculos & bilancem; sinistrâ Cornucopiæ tenens. Quo modo ferè in Numis priscis spectatur. MONETA.

Paulò altiùs, ad verticem MONTIS, Numisma est, effigiem PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis potentissimi, referens. Epigraphe:

MONETA
AD COMMERCIVM GENERIS HVMANI CVSA,
ET AVGVSTISSIMA REGIS,
ORBIS TERRARVM LOCVPLETATORIS,
IMAGINE CONSECRATA.

Cùm primùm, commerciis inter homines institutis, rerum ipsarum permutatio esset vsitata; demùm Numus, ad commodiorem negotiationis vsum, est repertus. Quâ de re eleganter Aristoteles: Ξενικωτέρας γὰρ γινομένης τῆς βοηθείας, τῷ εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ ΝΟΜΙΣΜΑΤΟΣ ἐπορίσθη χρῆσις. Οὐ γὰρ εὐβάστακτον ἕκαστον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων· διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν, ὃ τῶν χρησίμων αὐτὸ ὂν, εἶχε τὴν χρείαν εὐμεταχείριστον πρὸς τὸ ζῆν· οἷον, σίδηρος καὶ ἄργυρος, κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον. Τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς· ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον. Id est: *Subsidio longinquiore facto importandis rebus quibus egerent, & exportandis quibus abundarent, necessariò* NVMI *repertus est vsus. Nam res singulæ ad Naturam necessariæ non facilè huc illuc comportari possunt. Quapropter ad res contrahendas tale quidquam de communi sententià constituerunt inter se dare & accipere, quod cùm esset è numero rerum vtilium, vsum haberet tractabilem ac facilem ad vitam degendam: quale est Argentum, & si quid aliud eius generis. Primò quidem simpliciter magnitudine & pondere definitum: tandem verò & nota impressa à permutantibus, vt eos liberaret à dependendo. Nota enim imposita fuit ponderis index.*

Polit. lib. I. cap. IX.

Similem quoque rationem super NVMI institutione, adfert Paullus I.C. in Digestis, Tit. de Contrahendâ emptione, Leg. I. *Origo emendi vendendiq;, à permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat Numus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed vnusquisque secundùm necessitatem tempo-*

rum ac rerum vtilibus inutilia permutabat. Quando plerumque euenit, vt, quod alteri superest, alteri desit: sed quia non semper nec facilè concurrebat, vt, cùm tu haberes quod ego desiderarem, inuicem haberem quod tu accipere velles; electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis, subueniret: eaq́ue materia formâ publicâ percussa, vsum dominiumq́ue non tam ex substantiâ præbet, quàm ex quantitate.

Elogium istud: LOCVPLETATOR ORBIS TERRARVM, in Numis D. Hadriani Aug. legitur; sed quod Munificentissimo Hispaniarum Regi, qui aurato imbri Orbem perpluit, veriùs competit. Quâ de relatiùs egimus ad ARCVS FERDINANDINI partem posteriorem. Num. Hadriani Aug. apud Sambuc. & Occon.

Ad vtrumque latus MONETÆ, Numi varij Regiâ notâ insigniti, appensi sunt.

COLVMNÆ HERCVLIS. COLVMNÆ HERCVLIS hinc inde erectæ: ad quas LEONES gemini sedent, Regiæ opulentiæ custodes. Columnæ dextræ, SOLIS; sinistræ autem, LVNÆ effigies est imposita. Notum est, SOLIS appellatione AVRVM; LVNÆ autem ARGENTVM, Alchymistis denotari. Hinc connubium Solis & Lunæ apud illos.

In Laciniâ columnam dextram ambiente:

VLTRA ANNI SOLISQVE VIAS.——

In altera,

OCEANVMQVE VLTRA.——

Nempe vltra Columnas Herculeas, & priscis notos Orbis terminos, vltraque Atlanticum Oceanum, inexhaustos Auri Argentique thesauros Catholicorum Regum Pietati, & singulari Religionis & Fidei propagandæ zelo Deus reclusit.

IASON. In vertice Montis, IASON est, qui AVREVM VELLVS ab Arbore suspensum, rapit. Ramis Arboris insident Psittaci, in Indiâ frequentissimi. Epigraphe:

——PRETIVM NON VILE LABORVM.

VELLERIS AVREI Ordo. PHILIPPVS cognomento BONVS, Burgundiæ Brabantiæque Dux, Equitum VELLERIS AVREI Sodalitium longè Augustissimum primus instituit, ductâ origine atque appellatione ab IASONE, Thessalorum Rege, qui in Colchidem cum aliis Heroibus Argonaui delatus, VELLVS inde AVREVM auexit, hoc est, *Auream gazam*, vt interpretatur Strabo de Colchis agens: Παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάρρους, ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημέναις, καὶ μαλλωταῖς δοραῖς. ἀφ' οὗ δὴ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. *Aiunt apud hos etiam* AVRVM *deferri à torrentibus, idq́ue Barbaros excipere alueolis perforatis, &* VELLERIBVS LANOSIS. *vnde etiam* AVREI VELLERIS *exstiterit fabula.* Eiusdē sententiæ est Appian. vbi Caucasum montē describit: Χρυσοφορεῖ δ' ἐν τῷ Καυκάσῳ πολλαὶ πηγαὶ ψῆγμα ἀφανές. Καὶ οἱ περίοικοι κώδια θέντες ἐς τὸ ῥεῦμα βαθύμαλλα, τὸ ψῆγμα ἐνισχόμενον αὐτοῖς ἐκλέγουσι. Καὶ τοιοῦτον ἦν ἴσως τὸ χρυσόμαλλον Αἰήτου δέρος. *In hoc Monte multi fontes sunt ferentes ramenta* AVRI *minutissima. Accolæ verò* VELLERA VILLOSA *in riuos demergunt, atque ita Aureas arenulas his inhærentes colligunt. Et fortasse tale fuit* ÆETÆ, *Colchorum Regis,* VELLVS AVREVM. Diuersam à supradictâ opinione rationem adfert Suidas: Τὸ ΧΡΥΣΟΜΑΛΛΟΝ δέρας, ὅπερ ὁ Ἰάσων διὰ τῆς Ποντικῆς Θαλάσσης σὺν τοῖς Ἀργοναύταις εἰς τὴν Κολχίδα παραγενόμενοι ἔλαβον. Τοῦτο δὲ οὐχ, ὡς ποιητικῶς φέρεται. Ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν. Εἰκότως οὖν οἱ τότε χρυσοῦν ὠνόμαζον αὐτὸ δέρας, διὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν ἐξ αὐτοῦ. AVREVM VELLVS, *quod Iason cum Argonautis in Colchidem per Ponticum Mare profectus, cepit. Hoc autem non fuit huiusmodi Vellus, vt Poëtæ fabulantur. Sed Liber fuit in Arietinis* VELLERIBVS, *siue membranis scriptus, in quo continebatur Auri conficiendi ratio per Chymiam. Meritò igitur illius sæculi homines hoc vocabant* AVREVM VELLVS, *ob Auri parandi artem in eo comprehensam.*

Strabo lib. xi.

Appian. de Bellis Mithrid.

Suidas voce Δέρας.

Quid-

Quidquid autem per Χρυσόμαλλον veteres olim denotarint, certè Ordo ille VELLERIS AVREI, à PHILIPPO, cognomento BONO, institutus, omen certissimum fuisse videtur, eius posteros PHILIPPOS, Hispaniarum Reges, BVRGVNDIÆque Duces, ac supremos eiusdem Ordinis Principes, auriferis Mexicani ac Peruani tractus vastissimi Regionibus potituros. Auspiciis enim Imp. Cæs. CAROLI V. Aug. Supremi itidem eiusdem Ordinis Principis, Ferdinandus Cortesius anno salutis M. D. XX. Mexicanum Motezumæ; ac deinde Franciscus Pizarrus Peruanum Atabalibæ, Regnum; alij alia, velut noui IASONES & Argonautæ, superato inuictis Classibus Oceano, subegerunt. Vnde non vnicum, tantopere à priscis decantatum VELLVS; sed quotannis inexhaustæ opulentiæ Thesauri in Iberiam aduehuntur. Hoc est quod innuimus in Epigrammate nostro Insignibus Gentilitiis Equitum Ordinis AVREI VELLERIS, à Ioan. Iacobo Chiffletio, Equite, Regis, ac Ser^mi Principis FERDINANDI, Archiatro, editis, præfixo:

Ecce alios Proceres; en altera quos vehit ARGO
Heroas, Gentis fydera clara suæ.
Quis Ducibus subnixa DOMVS BVRGVNDA, *superbos*
ORBE NOVO *domito* vertulit exuuias.

Ceterùm, in Hispaniâ ad Bætin fluuium, oues esse AVREIS VELLERIBVS, hoc est, rutilo lanæ fulgore ab ipsâ Naturâ donatas, testatur Martialis lib. IX. Epigram. LXI.

In Tartessiacis Domus est notissima terris,
Quà diues placidum Corduba Bætin amat.
VELLERA *natiuo pallent* vbi FLAVA METALLO,
Et linit Hesperium BRACTEA VIVA *pecus.*

Idem lib. XII. Epigram. C.

Bætis, oliuiferâ crinem redimite *coronâ,*
AVREA *qui* nitidis VELLERA *tingis aquis.*

Ad radicem Arboris, soporatus iacet DRACO aliàs peruigil, qui AVREVM VELLVS custodiebat. De illo Claudianus lib. de Bello Getico: DRACO peruigil.

——— *Insopitisq; refusum*
Tractibus, AVRATI *custodem* VELLERIS *Anguem.*

A dextrâ parte Arboris stat FELICITAS, siue NAVIGATIO PROSPERA, Heroinæ habitu, NAVEM complexa: dextrâ pallam instar carbasi attollens. Denotans felices Hispanarum Classium in Indiam appulsus. In Imp. Cæs. M. Antonini Aug. Numismate, NAVIS, seu TRIREMIS expressa. Adscriptum: FELICITATI AVG. FELICITAS. Antonin. augustus. Dial. II. Cronac. tab. 18.

Paullò inferiùs, sub FELICITATE, ad idem latus, CVNICVLVS cernitur ob Cunicu- CVNICVLVS.
los, siue Auri Argentique fodinas. Eamdem quoque ob causam, vel ob incredibilem

eius animalis in Hiſpaniis olim frequentiam, Catullus *Cuniculoſam Celtiberiam* vocat. Epigram. xxxv. ad Egnatium: Turneb. Aduerſ. lib. xxix. cap. xxvii.

Tu prater omnes de capillatis,
Cvnicvlosæ Celtiberiæ Fili.

Et Marcus Varro auctor eſt, à Cuniculis ſuffoſſum in Hiſpaniâ Oppidum, teſte Plinio lib. viii. cap. xxix. Vide eâ de re Strabonem lib. iii. & Ælianum lib. xiii. de Animal. lib. cap. xv.

Exſtat Imp. Cæſ. Hadriani Aug. origine Hiſpani, Numus, in quo ſedet HISPANIA, Oleæ ramum tenens, innixa montibus Pyrenæis, ad cuius pedes CVNICVLVS ſpectatur. Eiuſdem exſtat alter Numus, in quo HISPANIAM idem Imperator attollit, Cuniculo ad Prouinciæ pedes adiuncto. Quo Metallorum Cuniculos ſubterraneos deſignari, eruditi rectè cenſent. Cuyiac. Tab. xxxix. Eodem. Anton. Aguſtin. Dialo.

PERVVIVS. Infrà, à dextro latere, PERVVIVS, Flumen, à quo Regioni vniuerſæ nomen inditum eſſe, refert Ioſephus Acoſta, Hiſtor. Naturalis Indiarum lib. i. cap. xiii. Epigraphe:

REGIS LARGA MANVS FLVVIOS EFFVNDIT IBEROS
AVREA DONA VOMENS.

RIO DE LA PLATA. Ab altero latere, RIO DE LA PLATA, ſiue ARGENTEVS AMNIS: Hiſpanis enim *Plata* Argentum dicitur. Epigraphe.

DESPVMAT DITES ARGENTEVS AMNIS ARENAS.

ARGYREVM Amnem Græcâ voce illum appellat Lætinus Apollonius Gandobruganus de Peruuiæ Regionis Inuentione lib. i. vbi Peruuiæ Montanæ Amnes deſcribit: *Inter omnes*, inquit, *longè princeps* ARGYREVS, *ab Argenti copiâ, quam limpidiſſimis glareis egerit, Hiſpanicâ voce* Plata *dictus, longiſſimo occurſu diuagatur: & in omnes aquè gazarum ſuarum profuſus ac liberalis, quacumque tendit, agros ac incolas inexhauſtâ Argenti Auriq; opulentiâ affluit.*

Ad Portæ vtriuſque latus ſpectantur bina Capita hiſpida, velut Montem referentia.

ARCVS

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

ARCVS MONETALIS PARS POSTERIOR.

ALteram Montis faciem, posterior MONETALIS ARCVS pars referebat. Supra Portam Officina est VVLCANI, FVLMEN AVREVM cudentis. Epigraphe:

ARGENTI LOCVPLES AVRIQVE PERVVIA VENIS,
INFORMES QVAS LARGA SOLET TRANSMITTERE GAZAS,
MVLCIBER ARTIFICI PROPERO SACRARE MONETA:
AVREAQVE HESPERIO PROCVDERE FVLMINA REGI.

PERVVIA, Americæ Meridionalis pars, à Francisco Pizarro, auspiciis Imp. Cæs. CAROLI V. Aug. inuenta, Aurearum Argentearumque fodinarum copiâ inter omnes totius Orbis Regiones opulentissima est. Neque vlla penè eius est Colonia, quin Auri venis splendescat. Adeoque præter Fodinarum incredibilem multitudinem, Flumina hic quoque aurifera, quæ grumis arenisque rutilantibus aureo profluxu decurrere videntur: vt testatur Læuinus Apollonius, Gando-Bruganus, Flander, qui PERVVIAM libris v. à se descriptam peragrauit. PERVVIA.

Inter alias autem eius Regni Fodinas, POTOSINI MONTIS opulentissimæ sunt, & inexhaustæ. Et mirum sanè est quod refert Ios. Acosta, in eo Monte Argenti venam lanceæ altitudine supra Terræ superficiem instar cristæ galli gallinacei protuberasse, longitudine trecentorum pedum, & latitudine tredecim. Testatur idem Acosta Regem Hispaniarum ex solis Fodinis POTOSII, quotannis percipere Millionem ducatorum, idque ex quintâ parte Argenti tantùm. Vnde MONTI erat præfixa Epigraphe:

Acosta Histor. Natural. Indiar. lib. IV. cap. VI. Ibidem cap. VII.

ΤΑΜΕΙΌΝ ἩΓΕΜΟΝΊΑΣ ἈΝΕΚΛΕΊΠΤΟΥ.

ÆRARIVM PRINCIPATVS PERPETVI.

Posidonij hæc vox est apud Strabonem lib. III. vbi de Auri Argentique fodinis Hispaniæ agens, asserit, τὸ πᾶν ὄρος, καὶ πάντα βουνὸν ὕλην εἶναι νομίσματος, ἀπό τινος ἀφθόνου τύχης σεσωρευμένην. Καθόλου δ' ἄν εἴπε, φησὶν, ἰδών τις τοὺς τόπους, θησαυροὺς εἶναι φύσεως ἀενάου, ἢ ΤΑΜΕΙΌΝ ἩΓΕΜΟΝΊΑΣ ἈΝΕΚΛΕΊΠΤΟΥ. Οὐ γὰρ πλουσία μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπόπλουτος ἦν, φησὶν, ἡ χώρα. Καὶ παρ' ἐκείνοις ὡς ἀληθῶς τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅδης, ἀλλ' ὁ Πλούτων κατοικεῖ. *Omnem* MONTEM *& omnem Collem, locupletissima cuiusdam Fortunæ dono, Numismatis esse materiam. Et omnino, inquit, videns aliquis ista loca, dixerit* THESAVROS *esse* PERENNIS NATVRÆ, *aut* PRINCIPATVS ÆRARIVM PERPETVI. *Non enim diues modò Terra illa est, sed & infra se opes habet conditas. Et reuerà apud istos homines infra Terram non* Ἅδης, id est, *Orcus, sed* PLVTVS, id est, *Dis ipse, Opulentiæ Deus, inhabitat.* Hæc olim de Hispaniâ Posidonius, quæ sanè de POTOSINI soli opulentiâ veriùs modò efferri possunt. Non enim Pactolus, non Hermus tantum Auri vmquam suggesserunt, quantum manantes ex PERVVIÆ Regno in sacrum Regis Ærarium Aurei riui quotidie conferunt. In Hispaniâ quoque MONTEM ARGENTEVM esse, testatur Strabo lib. III. Οὐ

 πολὺ

πολὺ δ᾽ ἄπωθεν τῆς Κασαῶνος ἐστὶ καὶ τὸ ὄρος, ἐξ οὗ ῥεῖν φασὶ τὸν Βαῖτιν, ὃ καλοῦσιν Ἀργυροῦν, διὰ τὰ ἀργυρεῖα τὰ ἐν αὐτῷ. *Non procul à Castaone Mons est, vnde Bætis dicitur profluere, quem* MONTEM ARGENTEVM *vocant, ob Argenti in eo Metalla.*

FVLMEN AVREVM. FVLMEN AVREVM à VVLCANO cuditur. Nam Fulmen olim Notam Monetalem fuisse, è priscis Numis non paucis, quibus illud adiectum est, constat. Nec absurdè PECVNIA Fulmini comparatur, cùm *nihil tam munitum sit, quod expugnari Pecunia non possit*, vt à M. Tullio dictum. Vnde Demosthenes quoque νεῦρα πολέμου τὰ χρήματα, *Neruum Belli Pecuniam* vocat. Aquilæ, signa Legionum, FVLMEN AVREVM vnguibus tenebant. Dion lib. XLIII. de Pompeij exercitu agens: Οἱ δὲ δὴ Ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ, τάς τε πτέρυγας σείσαντες, καὶ ΤΟΥΣ ΚΕΡΑΥΝΟΥΣ, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινες ΧΡΥΣΟΥΣ ἔφερον, ἐκβαλόντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐπεσήμηνον, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο. AQVILÆ *Legionum eius alas concutientes*, & FVLMINA AVREA, *quæ nonnulla earum vnguibus tenebant, abiicientes, Pompeio exitium palam denuntiabant, ipsaque ad Cæsarem auolabant.* Ioui Capitolino quoque FVLMEN AVREVM sacrauit Antiquitas, teste Liuio lib. XXXII. *Decemuirorum monitu decretum fuit*, IOVI *primum donum*, FVLMEN AVREVM, *Pondo quinquaginta fieret: Iunoni Mineruæque ex Argento daretur.* Callixenus Rhodius in descriptione Pompæ Ptolemæi Philadelphi, Ægypti Regis: Ἐπόμπευσε δὲ καὶ Θώραξ χρυσοῦς πηχῶν δώδεκα, καὶ ἕτερος ἀργυροῦς πηχῶν ὀκτωκαίδεκα, ἔχων ἐφ᾽ ἑαυτὸν ΚΕΡΑΥΝΟΥΣ ΧΡΥΣΟΥΣ, δώδεκα πήχεις, δύο, καὶ στέφανον δρυὸς διάλιθον. *Fuere & inter Pompæ fercula, Lorica aurea cubitorum* XII. *& argentea altera cubitorum* XVIII. *Quibus imposita fuerunt* AVREA FVLMINA *duo, cubitorum* XII. *& è Quercu corona gemmata.* Alexander, FVLMEN dextrâ gestans, pictus ab Apelle, vt refert Plinius. Et eo etiam habitu Traianus, & M. Antoninus, aliique Cæsares in priscis Numis expressi cernuntur. Apud Athen. Diepnosoph. lib. V.

Sub INCVDE Vulcani, istud Horatianum:

AVRVM POTENTIVS ICTV FVLMINEO.

Exstat Lemniorum Numus, in quo VVLCANVS cum forcipe: in posticâ parte Incus, cui FVLMEN incumbit, cum Malleo. Goltzius Insular. Græciæ tab. XIII.

A dextro MONTIS latere bini FOSSORES sunt, qui latentes Auri Argentique venas scrutantur. Epigraphe:

REGI SVCCRESCIT REDIVIVO VENA METALLO.

Aiunt Hispaniarum Regis Legatum, cùm à Reipub. celeberrimæ Proceribus ad Thesaurum publicum, opulentiæ ostentandæ ergò, deductus esset, inflexo paulisper corpore, Ærarij pedem intentis oculis inspexisse. Ac rogantibus Proceribus, quid ita fixo ac requirenti vultu, intueretur? respondisse; *Videre se an Ærario illi etiam radices essent, vt Ærario Regis Hispaniarum, quod inexhaustis Indiæ venis nouos semper Auri Argentique thesauros suggerentibus, continuò accrescit.*

Ab

Ab altero latere, bina Mancipia, quæ rudes Auri Argentiq́ue glebas ex arrugiis & cuniculis ſubterraneis efferunt. Epigraphe:

——LABOR OMNIA VINCIT IMPROBVS.

Supra VVLCANVM Numiſma eſt, in quo tres Matronæ conſpiciuntur, geſtantes tria Metalli genera, è quibus Pecunia cuditur; nempè AVRVM, ARGENTVM, ÆS, ſcribiq́ue ſolita triplici A. A. A. in Numis infinitis. Additæ binæ litteræ F. F. id eſt, FLANDO, FERIVNDO. quòd Metalla illa conflari & feriendo cudi ſoleant. Vna de tribus Matronis Bilancem dextrâ geſtat, quâ formâ MONETA in Numis paſſim cernitur. Operæpretium duxi Numos aliquot hic ſubiicere.

Anton. Auguſtin. Dialog. 4. mitig.

Cognac. Tabul. XXIV. Xxiiii.

A Numiſmate Monetali, quatuor vtrimque minores Numi dependent, Monetâ Regiâ inſigniti.

In ſummitate Montis, ARBOR eſt AVREIS MALIS onuſta, quæ in Heſperidum Hortis naſci, & à peruigili DRACONE cuſtodiri ſolita, tradidit Antiquitas. Ad hæc rapienda miſſus ab Euryſtheo Rege HERCVLES hîc exprimitur, DRACONEM cuſtodem (cui nomen Ladon) interficiens. Epigraphe:

AVREA MALA Heſperidum.

ALCIDES DOMITO RAPIT AVREA POMA DRACONE.

Hac de re ita Lucanus lib. IX.

——Enit aurea ſylua,
Diuitiiſq́, graues, & fulua germine rami,
Virgineuſq́, chorus, nitidi cuſtodia luci,
Et numquam ſomno damnatus lumina Serpens
Robora complexus rutilo curuata metallo.
Abſtulit arboribus pretium, nemoriq́, laborem
Alcides, paſſuſq́, inopes ſine pondere ramos,
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

A dextro ARBORIS latere Turrita ſtat HISPANIA, pleno ſinu AVREOS FRVCTVS decerpens. Epigraphe:

HISPANIA.

——VNO AVVLSO NON DEFICIT ALTER AVREVS.——

HESPERIDVM INSVLAS in Mari Atlantico ſitas, eas eſſe quas Hiſpani hodie *Iſlas de cabo verde* vocant, vulgò exiſtimant Geographi. Aurcorum verò Malorum & Draconis eorum cuſtodis fabula vnde fluxerit, ſic breuiter enarrat Solinus cap. XXVII. *De* HORTIS HESPERIDVM, *& pernigili* DRACONE, *(ne fama licentia vulneretur) fides & ratio hæc eſt. Flexuoſo meatu*

æstuarium è Mari fertur, adeò sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus Angueos fractâ vertigine mentiatur. Itaq; quos HORTOS *appellauire, circumdat: vnde* POMORVM CVSTODEM *interpretantes, struxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc Insula præter arbores Oleastri similes, & Aram sacram Herculi, nihil aliud præfert, quod propalet vetustatis memoriam. Verùm vltra* FRVTICES AVREOS, & METALLA FRONDENTIA, *illud magis mirum, quod solum inferiore licet Librâ depressius, numquam tamen accessus Freti superlabitur.* Videndus Plinius lib. v. cap. I. vnde hæc hausit Solinus. At verò HESPERIDVM HORTOS prope Tritonem, Africæ paludem, fuisse asserit Claudianus:

——— Proximus HORTIS
HESPERIDVM *Triton.* ———

Et III. Consulatu Honorij Aug. de Theodosio Aug. agens:

——— Per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitq; nouis Atlanta maniplis:
Virgineum Tritona bibit, sparsosq; venenis
Gorgoneos vidit thalamos, & vile virentes
HESPERIDVM *risit, quos ditat Fabula, ramos.*

Porrò, Ἑσπερικὸν μῆλον, siue (vt à Iubâ, Mauritaniæ Rege, vocatur) Ἑσπερίδων μῆλον, esse illud, quod *Citreum* vulgò appellatur, quorumdam est opinio. Alij *Cotoneum* malum esse asserunt. Goropius in Vertumno. *Ladon.* Nonnus Diæteti-ci lib. I. cap. XXX.

Suprà Fossores, Cercopitheci ad vtrumque latus oberrant.

Sub *Monte*, duo Peruuiæ Auriferæ Flumina, hinc CONDORILLVS, Cornucopiæ; inde MARAGNON, Gubernaculum tenens. Infernè vtrimque Instrumenta Monetalia, Mallei, Forcipes, Libræ, aliaque.

ARCVS

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

159

ARDVA SAXOSO VIRTVTIS SEMITA CLIVO
CALCATVR, FERNANDE, TIBI: MALESVADA VOLVPTAS
PELLITVR, AVSPICIIS FIDÆ DVCTVQVE MINERVÆ.
I FELIX, COMITANTE DEA: SIC ITVR AD ASTRA.
HINC TE, SVBLIMI QVÆ PENDET ADOREA TEMPLO,
HERCVLEOQVE MANET NON IMPAR FAMA LABORI.

Biblioteca Nacional de España

ARCVS
AD D. MICHAELIS
PARS PRIOR.
HERCVLES PRODICIVS

AD D. MICHAELIS Cœnobium, vbi Ser^mi Principis est Palatium, Arcus erat Operis compositi, altus pedes LV. latus XXXIV.

In Tabulâ mediâ HERCVLES Ephebus conspicitur, de vitæ instituendæ ratione deliberans, Leonis exuuiis amictus, clauam dextrâ tenens. Adstat VENVS, quæ renidenti vultu illum allicere, & ad VOLVPTATIS Viam seducere conatur. LIBER quoque PATER, Pampino redimitus, & Corollam floream ostentans, illum ad se inuitat. CVPIDO medius, veste & clauâ HERCVLIS arreptâ, renitentem illum ad se trahere nititur. At ipse, adsistentis sibi, PALLADIS Armatæ, consiliis obsecutus, spretis Deliciarum blandimentis, ad HONORIS & VIRTVTIS Templa, in editâ rupe posita animosè contendit. Viam DRACO alatus, aliæque feræ bestiæ obsident. Adiacet Machina ænea, cum armis & instrumentis Bellicis. Epigraphe: *TABVLÆ MEDIÆ Descriptio.*

ARDVA SAXOSO VIRTVTIS SEMITA CLIVO
CALCATVR, FERNANDE, TIBI: MALESVADA VOLVPTAS
PELLITVR, AVSPICIIS FIDÆ DVCTVQVE MINERVÆ.
I FELIX, COMITANTE DEA: SIC ITVR AD ASTRA.
HINC TE, SVBLIMI QVÆ PENDET ADOREA TEMPLO,
HERCVLEOQVE MANET NON IMPAR FAMA LABORI.

PRODICVS Ceius, Philosophus, Socratis Præceptor, commentum de VIRTVTIS & VOLVPTATIS cum HERCVLE Ephebo, congressu, primus vulgauit. Fusè illud enarrat Xenophon lib. Memorabilium II. Philostratus item de Vitâ Apollonij lib. VI. cap. V. & Themistius Oratione III. de Amicitiâ, aliique. Breuiter & eleganter sic Max. Tyrius Dissert. IV. *Prodici de Herculis cum Voluptate & Virtute congressu, commentum.*

Πρόδικος μὲν Ἡρακλέα ἄγει ἐν τῷ μύθῳ ἄρτι ἡβάσκοντα καὶ ἀνδριζόμενον ἐπὶ διπλᾶς ὁδούς, Ἀρετὴν καὶ Ἡδονὴν ἐπιστήσας ἡγεμόνας ἑκατέρᾳ τῇ ὁδῷ. Ἡ μὲν αὐτῶν σοβαρὰ τῶν ἡγεμόνων, ἡ δὲ εὐσχήμων ἰδεῖν, βαδίζουσα ἠρέμα, φθεγγομένη μουσικῶς, βλέμμα πρᾷον, ἀμπεχόνη ἄνετος· ἡ δὲ δευτέρα, θρυπτική, ἐπίχρυσος, χλανιδίοις ἐξηνθισμένη, βλέμμα ἰταμόν, βάδισμα ἄτακτον, φωνὴ ἄμουσος. Ταῦτα ὁρᾷ καὶ ὁ Ἡρακλῆς, ἅτε Διὸς παῖς, ἀγαθὸς τὴν φύσιν· καὶ χαίρειν τῇ Ἡδονῇ φράσας, ἐπιτρέπει ἑαυτὸν τῇ Ἀρετῇ ἄγειν.

Fabulam quamdam conscripsit PRODICVS, *in quâ* HERCVLEM *iam Ephebum, virilesque gerentem animos duplici in viâ statuit. Vtrique huic Viæ* VIRTVTEM VOLVPTATEMque, *tamquam duces præficit. Quarum altera arrogans, procaxque: altera formoso vultu, modesto incessu, venustâ voce, aspectu mansueto, veste simplici, ab eo inducitur. Altera rursus lasciua, fucata, veste floridâ, vultu impudentissimo, incomposito gradu, voce inconcinnâ. Hæc*

animaduerrit ipse etiam HERCVLES, *vt qui & Ionis esset Filius, & Indolis praclarae. Quare* VOLVPTATI *res suas sibi habere iubet, Ducemq; sequitur* VIRTVTEM.

Silius quoque Italicus, vir Consularis, lib. xv. de Bello Punico, asserit ad Scipionem Iuuenem, deliberantem an post Patris Patruique obitum, Belli Punici in Hispaniis contra Hasdrubalem gerendi curam susceperturus esset, VIRTVTEM & VOLVPTATEM accessisse: vbi inter alia VIRTVS sic VOLVPTATI insultat:

Quippe nec Ira Deûm tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola nocet animis illapsa VOLVPTAS.
Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus & atrus
Circà te semper volitans Infamia pennis.
Mecum Honor & Laudes, & lato Gloria vultu,
Et Decus & niueis Victoria concolor alis:
Me cinctus Lauro perducit ad astra TRIVMPHVS:
Casta mihi Domus, & celso stant Colle Penates.

VIRTVTIS & HONORIS Templa in editâ rupe cernuntur sibi mutuo iuncta, quâ formâ à M. Marcello extructa sunt; quòd nempe ad HONORIS, non nisi per VIRTVTIS Templum ingredi, fas esset. Vnde Symmachus: *Bene & sapienter Maiores nostri Ædes* HONORI *atque* VIRTVTI *gemellas iuxtim locarunt: commenti ibi esse pramia* HONORIS, *vbi sunt merita* VIRTVTIS. Symmac. lib. 1. Epist. xx.

Via quæ ad VIRTVTIS Ædem ducit, à DRACONE, aliisque monstris ab HERCVLE domandis, est obsessa. Quod pericula ac discrimina Heroibus superanda denotat. Hinc quoque in fastigio Arcus, supra Insignia Ser^mi Principis, in laciniâ LAVRVM PALMAMque decussatam ambiente, scriptum:

ARDVA PER PRÆCEPS GLORIA VADIT ITER.

In hanc sententiam, illa Diuinæ Vatis Iessæi Lyræ æmula MAPHÆI Cardin. BARBERINI, nunc VRBANI VIII. PONTIFICIS OPT. MAX. Musa sic VIRTVTEM loquentem introducit: Ode ad Francis. Cardin. Barberin.

Incompta quondam, clarag, simplici
Nitore formæ, talibus HERCVLEM *est*
Affata VIRTVS: *(dum procaci*
Blanda sono loquitur VOLVPTAS *)*
Si me sequeris; per loca sentibus
Infesta, tesquis horrida, per nives,
Per saxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi Ferrum & Ignis.
Vrèris æstu, puluere sordidus
Pulchro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generosus ausu.
Euectus alis hisce per Æthera
Tranabis Ignem, & Lactis iter pede
Premens, coruscanti micabis
Luce nouum Decus inter Astra.

Ad

Ad Faſtigij latera, geminæ hinc inde adſtant VICTORIÆ, quæ ſigna Militaria, in quibus Auguſta PHILIPPI & FERDINANDI Nomina Laureis ornata viſuntur, geſtant. VICTORIÆ.

Paullò inferiùs, SPHINGES binæ ſedent. Notum eſt, SPHINGEM, triforme monſtrum priſcis dictum fictumque, facie Puellari, alis Volucris, & pedibus Leoninis. Auſonius in Gripho ternario: SPHINGES.

Terruit Aoniam Volucris, Leo, Virgo, triformis
SPHINX; *Volucris pennis, pedibus Fera, fronte Puella.*

SPHINGEM, *Roboris* ac *Prudentiæ* Symbolũ Ægyptiis fuiſſe, refert Syneſius Orat. de Regno: *Sphinx* Roboris *&* Prudentiæ *Symbol.*
Ταῦτ' ἄρα καὶ ἡ Σφίγξ αὐτοῖς ἐπὶ τῶν προτεμενισμάτων ἱδρύεται, τοῦ συνδυασμοῦ τῶν Ἀρετῶν ἱερὸν Σύμβολον, τὴν μὲν Ἰσχὺν, θηρίον· τὴν δὲ Φρόνησιν, Ἄνθρωπος. Ἰσχύς τε γὰρ ἔρημος ἡγεμονίας ἔμφρονος, ἔμπληκτος φέρεται, πάντα μιγνύουσα καὶ ταράττουσα πράγματα. Καὶ Νοῦς ἀχρεῖος εἰς πρᾶξιν, ὑπὸ χειρῶν οὐχ ὑπηρετούμενος. SPHINGEM *Ægyptia gens ante delubra collocauit, vt ſacrum Symbolum coniunctionis Virtutum, Fortitudinis & Prudentiæ: dum ferina ſpecies Robur repræſentat; humana, Prudentiam. Robur namque Prudentiâ duce deſtitutum, temerè, citraq́ Conſilium & Iudicium rapitur, miſcens atque confundens omnia: rurſus, Ingenium aut Prudentia, quantumuis magna, niſi manus habeat adminiſtras, inutilis eſt & euanida.*

ARCVS
AD D. MICHAELIS
PARS POSTERIOR.
BELLEROPHON.

TABVLÆ MEDIÆ *Descriptio.*

POsterior huius ARCVS pars, eiusdem planè erat cum anteriori, architecturæ, eademque parerga continebat.

In Tabellâ mediâ quæ hic exhibetur, visitur BELLEROPHON armatus, qui equo PEGASO alato per aëra vectus, CHIMÆRAM, hastâ in pectus adactâ, interficit. Id Monstrum, primâ parte LEONEM, caudâ DRACONEM, mediâ verò CAPRAM referens, immanes ore flammas euomebat, ac proxima quæque exitiali afflatu inficiebat. Adiacent cadauerum, à Monstro absumptorum, ossa. Epigraphe:

FLEXIBVS ALIGERI DELVSA, ET CVSPIDE FIXA,
VT CECIDIT MAGNO SVB BELLEROPHONTE, CHIMÆRA;
HAVD SECVS INVICTO FERNANDI ROBORE, DIRA
CONCIDET HÆRESEOS RABIES: DELAPSAQVE CÆLO
VNANIMES TANDEM IVNGET CONCORDIA BELGAS.

BELLEROPHON. BELLEROPHON, Glauci, Corinthiorum Regis, filius, Heros inclyto Formæ, Fortitudinis, & inprimis Pudicitiæ decore conspicuus. Vnde Homerus Iliad. vi.

Αὐτὰρ Γλαῦκος ὑπεπτη ἀμύμονα Βελλεροφόντην·
Τῷ ῥ' θεοὶ κάλλός τε καὶ ἠθείην ἐφέτειλαν
Ὡπάσσαν.

Ast GLAVCVS *genuit præclarum* BELLEROPHONTEM;
Huic Superi Formam, decus, Robur, que dederant
Prabuerant.

De illo varia Poëtæ fabulati sunt. Aiunt enim ipsum ad Argiuorum Regem Prœtum profectum esse. Et primùm quidem perhumaniter hospitio exceptum. Mox, cùm illius amore Antia, Prœti vxor, deflagraret; BELLEROPHON hospitales Aras veritus, eius Libidini noluit obsequi. Quare repulsæ impatiens mulier, illum per summam calumniam apud Maritum suum, tentatæ pudicitiæ accusauit: qui nimis credulus, BELLEROPHONTEM ad Iobaten, Lyciæ Regem, socerum suum, cum litteris in eius perniciem scriptis, mittit. Iobates, vt Prœto morem gereret, BELLEROPHONTEM domandæ CHIMÆRÆ obiicit. At verò Minerua (vt auctor est Pindarus) Innocentiæ BELLEROPHONTIS opem tulit. Quippe aureum frænum, quo PEGASVM domaret, illi tradidit. Hoc equo vectus



Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

vectus BELLEROPHON, CHIMÆRAM occidit. Quâ partâ Victoriâ, aliis periculis eius innocentia exploratur. Contra Solymos enim (est ea gens inter Lyciam & Pamphyliam) & Amazonas mittitur. Sed cùm vbique Victor BELLEROPHON euaderet, Virtute eius & Prudentiâ Rex Iobates permotus, Philonoëm, Filiam suam, illi in vxorem dedit: ac posteà moriens successorem etiam Regni sui BELLEROPHONTEM instituit. De hac re sic Homerus Iliad. VI.

Πρῶτον μέν ῥα Χίμαιραν ἀμαιμακέτην ἐκέλευσε
Πεφνέμεν· ἡ δ' ἄρ' ἔην θεῖον γένος, οὐδ' ἀνθρώπων·
Πρόσθε Λέων, ὄπιθεν δὲ Δράκων, μέσση δὲ Χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.
Καὶ τὴν μὲν κατέπεφνε, θεῶν τεράεσσι πιθήσας·
Δεύτερον αὖ, Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι·
Καρτίστην δὴ τήν γε μάχην φάτο δύμεναι ἀνδρῶν.
Τὸ τρίτον αὖ κατέπεφνεν Ἀμαζόνας ἀντιανείρας.
Τῷ δ' ἄρ' ἀνερχομένῳ πυκινὸν δόλον ἄλλον ὕφαινε·
Κρίνας ἐκ Λυκίης εὐρείης φῶτας ἀρίστους,
Εἷσε λόχον· τοὶ δ' οὔ τι πάλιν οἶκόν δε νέοντο.
Πάντας γὰρ κατέπεφνεν ἀμύμων Βελλεροφόντης·
Ἀλλ' ὅτε δὴ γίγνωσκε θεοῦ γόνον ἠὺν ἐόντα,
Αὐτοῦ μιν κατέρυκε, δίδου δ' ὅγε θυγατέρα ἥν·
Δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης.

Primùm quidem CHIMÆRAM *inexpugnabilem iussit*
Interficere: hæc autem à Diis sata erat, non ab hominibus.
Antè LEO, *pòst autem* DRACO, *media verò* CAPRA,
Ingentem spirans Ignis vim ardentis:
Et hanc quidem interfecit, Deorum miraculis confisus.
Secundò iterum, cum Solymis pugnauit inclytis.
Fortißimam certè hanc pugnam dicebat iniisse virorum.
Tertiò rursus, interfecit Amazonas viragines.
Huic verò redeunti astutum dolum alium struebat, [Iobates]
Delectis ex Lyciâ latâ viris fortißimis,
Collocauit insidias: hi verò rursus domum non redierunt:
Omnes enim interfecit eximius BELLEROPHONTES.
Sed quando [Iobates] *iam cognouit illum Dei Sobolem præclaram esse,*
Illic ipsum detinuit: dedit autem ei Filiam suam,
Dedit etiam Maiestatis Regiæ totius dimidium.

De CHIMÆRA quoque Hesiodus in Theogoniâ:

Ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε, πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήν τε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί· μία μὲν, χαροποῖο Λέοντος·
Ἡ δὲ, Χιμαίρης· ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο Δράκοντος.
Πρόσθε Λέων, ὄπιθεν δὲ Δράκων, μέσση δὲ Χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.
Τὴν μὲν Πήγασος εἷλε, καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.

Tum

Tum ipsa CHIMÆRAM *peperit, spirantem terribilem ignem,*
Truculentum, magnamque, pernicemque, validamque.
Illius erant tria capita: vnum quidem terribilis LEONIS,
Alterum CAPELLÆ, *tertium verò serpentis robusti* DRACONIS:
A fronte LEO, *caudâ verò* DRACO, *mediâ verò* CAPRA,
Horrendè efflans ignis vorem ardentis.
Hanc quidem PEGASVS *tepit, & strennus* BELLEROPHONTES.

Quòd verò BELLEROPHON Glauci, Regis Corinthi, esset filius, exstat Corinthiorum Numus, in cuius alterâ parte pictus Bellerophon Pegaso insidens, & CHIMÆRAM interficiens. In alterâ parte VENVS, cum Inscriptione, KOPINΘIΩN, quòd apud Corinthios splendidissimo Templo Venus coleretur, teste Strabone. Est & C. Cæsaris Numus, in quo Bellerophon Chimæram interficit, cum Inscriptione: COL. IVL. COR. id est, COLONIA. IVLIA. CORINTHVS. Etenim C. Iul. Cæsar Corinthum à Mummio euersam, restituit, teste Dione.

Vt autem breuiter, quid per triplicem CHIMÆRÆ formam denotarint veteres, excutiamus; Nymphodorus Syracusanus, CHIMÆRAM Lyciæ montem esse dixit, qui Ignem perennem euomeret. Atque in eius summâ parte LEONES; in mediâ (vbi spatiosa erant pascua) CAPRAS; ad radices verò, DRACONES habitasse. Hunc porrò montem cùm BELLEROPHON fecisset habitabilem, dictus est Monstrum istud triplex telo suo confodisse. Antigonus verò Carystius auctor est, tres variarum gentium Populos à BELLEROPHONTE fuisse domitos.

In Fastigio, sub PALMA, Epigraphe:

SIBI PANDIT ITER PER NVBILA VIRTVS.

Viam nullam Virtuti inuiam esse, Ser^mi Principis FERDINANDI iter in Belgium docuit. Recte Claudianus in Panegyrico de IV. Consulatu Honorij Aug.

Exstruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluuiis, vastas opponite syluas;
Non dabitis murum Sceleri. Qui vindicat, ibit:
OMNIA SVBSIDENT MELIORI PERVIA CAVSÆ.

Arcus hic, Fuggerorum munificentiâ non parum splendoris acceperat.

SPECTA-

SPECTACVLA MOBILIA

PASSIM PER VRBEM DISPOSITA.

PRÆTER Arcus & Pegmata iam recensita ac descripta, erant & alia quædam Spectacula Vrbis ordinaria, eaque mobilia, quæ passim per Vrbem erant disposita: qualia sunt GIGAS, ELEPHAS, BALÆNA, CVRRVS ÆQVOREVS, PARNASSVS, aliaque. Illa hoc loco repræsentata non sunt, quòd in Sermorum Principum, ERNESTI & ALBERTI, Austriæ Archiducum, solenni in hanc Vrbem Introitu, per Ioan. Bochium descripto, eorum Icones sint expressæ. Itaque nouas quas iisdem spectaculis subscripsimus Epigraphas hic tantùm subiungemus.

IN GIGANTEM, GIGAS.

Qui in Foro maiori spectabatur:

IMMANES SVBIGIT VIRTVS ANIMOSA GIGANTES:
BRABONIS REPERIT FABVLA PRISCA FIDEM.

Vulgares & vernaculi Brabanticarum rerum Annales referunt, DRVONEM quemdam ANTIGONVM, portentosæ molis Gigantem, Scaldis ripam olim tenuisse, ac viatoribus, ingens quod exigebat, portorium soluere recusantibus, manus amputatæ pœnam irrogasse: donec tandem Saluius BRABON, (quem C. Iul. Cæsaris commilitonem fuisse, BRABANTIAMque ab eodem nomen sortitam ferunt) inito certamine Tyrannum superarit: immanisque Vectigalis talione relatâ, dextram eius præciderit, & quantâ vi potuit, in præterfluentem proiecerit. Atque ab isto manus proiectu (*Hand-werp*) Vrbi ad Scaldis ripam conditæ nomen inditum volunt. Id quoque innuit Corn. Scribonius Grapheus, Vrbi olim à Secretis, illo versu:

PROIECTÆ *fecere* MANVS, *rigidâq; Tributum*
Antigoni, magnum tibi clara ANTVERPIA *nomen.*

Ex Ansibariorum (ij Germaniæ populi erant) Legibus, huic rei fidem petunt, in quibus statuitur: *Negati Regibus Honoris reum, naso; Tributi,* MANV; *Homagij, capite truncandum.*

Videndi ea de re Gramaye & Scribanius in Antuerpia, nec non Goropius in Gigantomachia suâ. Nobis Liuij istud, vbi de Marte, Romuli Vrbis Romæ conditoris parente, agit, huc attulisse sufficerit: *Datur hac venia Antiquitati, vt miscendo Humana Diuinis, primordia Vrbium augustiora faciat.* Nota sunt, quæ de Byrsâ, seu Carthagine; de Athenis, Neptunique ibidem & Mineruæ certamine, à priscis scriptoribus; & de Francione, aliarumque gentium & Vrbium originibus vulgò adferuntur.

ELEPHAS.

IN ELEPHANTEM,

Qui initio Vici Vitei positus, Castrum & Milites tergo gestabat:

BELLVA ANHELANTI LIBYES NVTRITA SVB AXE,
BELLATVRA TVIS ADSVM, DVX MAXIME, CASTRIS.

Elephas ab Emanuele, Lusitaniæ Rege, ad Imp. Cæs. Ferdinandum I. Aug. missus, Antuerpiam anno CIↃ. IↃ. LXIII. transiens, mox in rei inusitatæ memoriam affabrè repræsentatus, per solemnia Vrbis amburbalia circumfertur. Solitos autem Elephantes olim ab Afris & Asiaticis in aciem produci, nemo nescit. Europa illis caret. Vnde Fl. Manlius:

Et gemino clausos Elephantes carcere terra.

BALÆNA.

IN BALÆNAM,

Quæ in Merâ visebatur:

BALTICA QVAM BELGIS MISERVNT ÆQVORA, DVCOR,
ARMIPOTENS FERNANDE, TVO BALÆNA TRIVMPHO.

Balænas in mari Baltico frequenter capi, asserit Gesnerus in Aquatilium Historiâ. Easdem in Scaldim quoque ex Oceano illapsas, & inde in ripam haud procul Antuerpiâ expulsas patrum & nostrâ memoriâ videri contigit. BALTIAM verò, Insulam esse immensæ magnitudinis, à Littore Scytharum tridui navigatione semotam, ex Xenophonte Lampsaceno tradit Plinius lib. IV. cap. XIII. Atque à *Baltiâ* istâ Insulâ hodieque *de Belt*, Germanis dici, quod Balticum Mare vulgò vocamus, verisimile est. Sed & Alaricum, Gothorum Regem, è *Baltica stirpe* oriundum fuisse refert Iornandes & Olaus. Vide Cluver. German. Antiq. lib. III. cap. XXXVII.

CYRRVS ÆQVOREVS.

IN CVRRVM ÆQVOREVM,

Qui iuxta Scaldim, in Foro Linario, volitabat, NEPTVNVMque vehebat:

VINCE MARI, NAM TERRA TVA EST, GENS AVSTRIA. EN VLTRO
IPSE TIBI ÆQVOREVM NEPTVNVS CEDO TRIDENTEM.

Themistoclis, Athenensium Ducis clarissimi, sententia erat: *Maris imperium illi parandum, qui in Terrâ dominari tutò vellet.* Et verò, magnæ Potentiæ præsidium semper fuit, Mari dominari, quod Græci Θαλασσοκρατίαν vocant. Propterea prisci Græcorum Chronologi cùm nullum exstaret summum Imperium vllius Græci populi, cuius factis ante Olympiadum institutionem, Doctrina Temporum inniteretur, inter alias notas, quibus ad seriem Temporum designandam vsi sunt, diligenter eos Populos recensuerunt, penes quos Imperium Maris tunc fuisset. Quod & ex Chronico Eusebiano patet. Pluribus eâ de re agit Casaubonus in Commentario posthumo ad Polybij lib. I. Castor Rhodius item librum edidit περὶ Θαλασσοκρατόντων. *De iis qui Imperio Maris sunt potiti*, vt refert Suidas. M. Tull. ad Attic. lib. X. epist. VII. Strabon. Polyæno. Clauft. lib. II. cap. XXXVIII.

IN

IN PARNASSVM,

Qui haud procul Arcu Ferdinandino, in Viâ nouâ positus erat, Apolline, Musisque Honori Ser^mi Principis Epinicia concinentibus:

Claudian. CONSVEVIT VIRTVS TESTES SIBI IVNGERE MVSAS:

CARMEN AMAT, QVISQVIS CARMINE DIGNA GERIT.

Plutarc. Apophthegm. Laconi. cis. Eudamidas Lacon interrogatus olim, τῶν ἵππων καὶ τῶν κυνιδίων ταῖς Μοῦσαις ζῶσιν, ὅπως, (ἔφη) αἱ παῖδες λόγων ἀγαθῶν τυγχάνωσιν. *Quæ causa esset, quòd ante prælia dissirmen* Musis *sacrificarent Lacedæmonij? Vt rebus (inquit) præclarè gestis Orationes quoque præclara obtingant.* Eum morem secutus Alexander Macedo, paullò ante Persicam Expeditionem, ταῖς Μούσαις ἀγῶνα ἐτίθει. *Ludos solemnes* Musarvm *Honori instituit*, teste Arriano Nicomediensi lib. I. de Rebus ab Alexandro gestis. Fuluius item Nobilior, Consul, qui de Ætolis triumphauit, Ædem Herculi & Musis communem primus dedicauit. Eumenius Rhetor in Panegyrico: *Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecuniâ Censoria fecit. Non id modò secutus, quòd ipse Litteris & summis Poëtis* [Ennij] *amicitiâ ducereturs, sed quòd in Græciâ quum esset Imperator, acceperat Herculem* Μουσηγέτην *esse, id est, Comitem Ducemq; Musarum. Idemq; primus nouem signa, hoc est, omnium Camœnarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutelâ fortissimi Numinis conseruauit. Vt res est, quia mutuis operibus & præmiis iuuari ornariq; deberent: Musarum Quies, defensione Herculis; & Virtus Herculis, voce Musarum.*

VIâ Triumphali iam emensâ, & Arcubus Pegmatibusque perlustratis, Ser^mus Princeps paullò post horam vi. pomeridianam, Cœnobium Diui Michaëlis, vbi Palatium eius splendidè erat adornatum, ingressus est. Ibi Magistratus felicissimi eius Aduentus gratulandi causâ, illum accessit. Vrbis Syndici, Iac. Edelherij, I.C. hæc erat Oratio:

Magistratus Ser^mi PRINCIPI *Aduentum gratulatur.*

SERENISSIME PRINCEPS

REGALIS illa, eademq; exspectatissima Ser^mæ Celsitvd. VR^Æ *Præsentia, qua tot maximorum Cæsarum ac Regum, Maiorum tuorum, Heroicas Virtutes oculis nostris subiicit, eo gaudio ciuium Mentes perfudit, vt dissusa, quas præcedentium temporum Calamitas intulerat, Mœstitiæ nebulæ, omnes exultantis Animi affectum toto vultu præferant.*

Magistratus autem Vrbis, ad Ser^mæ Celsitvd. VR^Æ *pedes prostratus, Arcubus Triumphalibus, aliisq; Lætitiæ publicæ signis, communi Vrbis nomine erectis, incomparabilem Augustissimæ Domus* Avstriæ *Magnitudinem ac Splendorem ob oculos ponere conatus est. In primis verò promptissimam ciuium voluntatem, fidelitatemq; testari voluit: quæ (rebus sic ferentibus) illos ad* Catholicæ maiestatis, *ac Ser^mæ* Celsitvd. VR^Æ *obsequium, vitæ fortunarumq; suarum prodigos ostendet.*

Et certè ipse ductus, scopum hunc suum Ser^mæ Celsitvd. VR^Æ *gratum acceptumq; fore, ingeminato gaudio, eidem optatissimum in hanc Vrbem Aduentum, quantò potest submissione, gratulatur. Publicis ad Deum Opt. Max. pro Salute & incolumitate Ser^mæ* Celsitvd. VR^Æ *conceptis votis: vt nempe hæc Vrbs, quæ Diuis Cæsaribus,* Maximiliano I. & Carolo V. *Augg. aliisq; Maioribus tuis, præcipua incrementa sua debet, adeoq; vniuersa Prouincia Belgica, pristinum, Te Moderatore & Vindice, Splendorem ac Tranquillitatem nanciscantur.*

Affectum, officiumque Vrbis, gratum sibi esse, vultu, quo solet, sereno, verbisque perbenignis Princeps declarauit.

Magistratus, post profundum submissionis ac reuerentiæ honorem Ser^mo Principi exhibitum, digressus est. Series autem & Nomina Magistratus hæc erant:

PRÆTOR,

Nicolaus à Varick, Vicecomes Bruxellensis, Bonendalæ, Olmæ & Baulæ Toparcha, ac Marchionatus Rhiensis ditionis titulo illustris.

AMMANNVS,

Ludouicus Clarisse, Eques, Toparcha de Beckerzele, Dielbeeck, &c.

CONSVLES,

Robertus Tucher, Eques.
Ioannes Rosa. V.N.

SENATORES,

Equites.

Nicolaus Roccox
Cornelius à Spangen
Carolus de Merle
Carolus de Santacruz
Antonius Siuori
Henricus van Etten

Franciscus vanden Cruyce.
Henricus de Clerck.
Philippus Schoyte, V.N.
Lazarus Tucher, V.N.
Gulielm. vanden Werue, V.N.
Christian. van Broechouen, V.N.

Paullus van Halmale, V.N.
Gulielmus Despomereaulx, V.N.
Ioannes Rosa. V.N.

Henricus Moens.
Ioannes Snijers, I.C.
Carolus de Tassis, V.N.

PRÆFECTI ÆRARII.

Alexander vanden Broeck.
Iacobus Breyel.
Andreas Ianssens.

SYNDICI.

Iacobus Edelheer, V.N. & I.C.
Ambrosius Rosa, I.C. & V.N.

GRAPHIARII.

Ægidius Fabri, I.C.
Casp. Geuartius, I.C.
Hadrianus van Ceulen, I.C.
Franciscus Vecquemans, I.C.

SECRETARII.

Alexander de la Faille, I.C.
Augustinus van Lyere, I.C.
Gregorius de Weerdt, I.C.
Philippus van Valkenissen, I.C.

FESTO.

Biblioteca Nacional de España

Biblioteca Nacional de España

FESTORVM IGNIVM HILARIA.

VESPERE circa horam IX. grandioris Campanæ sono, de more, intonante, Vrbs tota festiuis flammis, bombis creperis, aliisque omnis generis ludicris pyrobolis refulsit.

Pagin.

Collucet polus ignibus, nihilq;
Obscura patitur lucra Noctis.

TVRRIS Templi Mariani pars superior, lucernis eleganti ordine dispositis circumdata erat. Nec secùs ex illâ, quàm ex Ætnæo vertice, missiles Ignes innumeri in auras vndique emittebantur: qui velut fœti latentibus flammis, noua Cælo sydera visi spargere.

Festa coronata vsumunt Incendia Turres:
Ecce volans Fax alta, lues imitata sagittæ,
Ingenti ferè totum metitur Olympum:
Elatoq; altè iam iam prope sydera cursu,
Parturit innumeros mediis in nubibus Ignes.

Littera F, Nomen Ser^mi Principis FERDINANDI designans, in ipso Turris acroterio, puluere pyrio attemperato latè irradians, fulgidissimum iubar quaquauersum exerebat:

Pagin.

—— Trepidis ceu dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharos æmula Lunæ.

DOMVS CIVICA per ternam contignationem candidis circumquaque funalibus obsita lucebat. Nec exiguum huic splendori momentum adferebant Ignes Triumphales à sex armatis Ciuium Collegiis in Foro excitati.

TEMPLVM ac DOMVS PROFESSA Societatis IESV, similiter facibus luculenter ornata erant, & velut stellato quodam Baltheo præcincta: lucernis ac lampadibus in characteres varios & pulcherrima rerum Symbola ingeniosè dispositis. Denique, commune Vrbis, omnisque ordinis hominum Gaudium testabantur vbique collucentes flammarum strues, in nullis non viis, vicis ac regionibus à Ciuibus passim erectæ, & postridie quà publicè quà priuatim repetitæ. Omnibus ardentissimi sui in Ser^mum Principem Amoris & Affectus flammas per Festiuos hosce Ignes certatim significantibus.

Per dies VIII. quibus Ser^mus Princeps Antuerpiæ est commoratus, inter grauissimas rerum gerendarum curas Tempus diuidens, celebriora Vrbis loca, ac præ ceteris visenda & admiranda, lustrauit.

LOCA VRBIS *celebriora & Principe lustrata.*

MOENIA inprimis, non minùs robore ac propugnaculis ex quadrato lapide constructis, quàm amœnitate miranda. Quinis siquidem quaternisque tiliarum ordinibus passim consita sunt: vt iure merito Belgica Tempe dici queant. Hæc curâ & hortatu Ser^mæ MARIÆ AVSTRIACÆ, Hungariæ quondam Reginæ, ac Belgicarum Prouinciarum pro Imp. Cæs. CAROLO V. Aug. Fratre suo, Gubernatricis, structa sunt: haud multò post Geldrogallicam, Duce Roshemio, Antuerpiæ obsidionem, Ciuium incredibili virtute solutam.

MOENIA.

TEMPLVM DEIPARÆ.

TEMPLVM DEIPARÆ Cathedrale, Turri inter omnes Christiani Orbis Templorum Turres (si Ortelij iudicio stamus) pulcherrimâ, ac pedes cecc. & LXVI. altâ, nobile. Canonicorum eiusdem Templi Collegium, Conditorem agnoscit fortissimum Heroem, GOTHOFREDVM BVLLONIVM, Lotharingiæ Inferioris Ducem, Marchionem Antuerpianum, ac deinde Hierosolymorum Regem.

Ortel. Theatr. in Antuerpiæ descript.

Meteren. hist. Belgic.

TEMPLVM MARMOREVM SOCIET. IESV.

TEMPLVM SOCIETATIS IESV, è Marmore solido constructum, quo nullum nec Belgium, nec Gallia cernit augustius. Interiorem eius descriptionem libet hic ex auctore libelli, quo Honor S. IGNATIO & S. FRANCISCO XAVERIO, per Gregor. XV. Pont. Max. inter Diuos relatis, Antuerpiæ anno M. DC. XXII. habitus, est descriptus, breuiter referre: *Interiorem*, inquit, *Ædis elegantiæ ad magnificentiam Aulæ cælatu exactæ. Dubium, vtrum magis Auri splendor, quàm Marmoris politi pulchritudo oculos rapiat. Quippe proximentium candido & cæruleo stratum Marmor: ad speculi nitorem accedit. Ipse verò nouus totius fornix aureis vestitur Rosis, quæ limbos inter inuratos ordine continuo micant. Aureis Cali quoddam simul ternum credi possit. Columnæ itemi e marmore candido vtrinque Porticus geminas sustentant, quarum hæc Dorico, illa Ionico præstat artificio: umbra (Choro excepto) totam ambiunt ædem, & opportuna confessionibus excipiendis tribunalia continent. Laquearia Porticuum plana quidem, sed nec fornicata esse malleut. si formam spectes; nec aurea, si materiam: siquidem nobilissimis vestita sunt Imaginibus, quæ nunc mysteria Salutis nostræ, ex vetteri nouoq; Testamento æquandas exhibent, aut variis sexus vtriusque, sanctitate eximios. Omnes delineatæ & conformatæ sunt à Pictore celeberrimo, qui propter litis ac perfectæ difficultatem, in hoc opere creditur sesipsum superasse. Chorus denique Dei palatio dignus. Testudinem hic habet sculpentis arte admirandam è saxo candido cælato, cui gradus summi Altaris, vti & latera marmore vermiculato respondent.*

SACELLVM MARMOREVM GAVELLIANVM.

SACELLVM MARMOREVM Templi CARMELITARVM, à Ioanne Gauerellio, vrbis Antuerpiensis olim Syndico, nunc Concilij sanctioris Senatore, & rei maritimæ Præfecto, à fundamentis exstructum, ac honori DEIPARÆ LAVRETANÆ dicatum. Cuius sacra etiam Symbola in parietibus marmoreis affabrè expressa sunt. DOMINICANORVM quoque Templum, Choro illustri ac magnifico recens exstructo spectabile; & deinceps AVGVSTINIANORVM ac FRANCISCANORVM Templa Princeps accelsit: sacris vbique operante Phil. Chiffletio, Hierotoparchâ Bellifontano, Ecclesiæ Metropolitanæ Vesontionensis Canonico, ac Ser^mo Principi à sacris Oratorij domestici.

Inter cetera autem Pietatis Monumenta, nouo THERESIANARVM Virginum Templo exstruendo prima fundamenta suis manibus Princeps posuit, hac Inscriptione lapidi incisâ:

VRBANO VIII. ECCLES. REGENTE,

FERDINANDO II. IMPERANTE,

PHILIPPO IV. CATHOL. REGNANTE,

HVNC LAPIDEM FVNDAMENTALEM

FERDINANDVS

D. G. HISPANIARVM INFANS

POSVIT

XIX. APRIL. ANNO CHRIST. CIↃ. IↃ. C. XXXV.

Alexandrum

Biblioteca Nacional de España

Plinius lib. xxxv. cap. x. Alexandrum Macedonem ad Apellis Officinam non rarò ventitaſſe legimus. Illius exemplum imitatus Ser^mus^ Princeps FERDINANDVS, ad Pet. Paulli Rubenij, Equitis, æui noſtri Apellis, Domum, cultu ac ædificiis ad Italici ſplendoris inuidiam exſtructis, ſignis, ſtatuiſque antiqui operis, tabuliſque artificioſiſsimis penè innumeris ſpectabilem, ſed magis ipſo incomparabili Artifice habitatore viſendam acceſsit. Is ille eſt, qui Pompæ vniuerſæ Architectonicen deſignauerat, Iconumque ac tabularum à ſe inuentarum prototypa ſolerter expreſſerat, quæ ab aliis deinde Pictoribus iuſtâ magnitudine repræſentata ſunt. Talis apud Athenienſes olim floruit Metrodorus *Pictor, idemq; Philoſophus* (Plinio teſte) *magnæ in vtràque ſcientiâ auctoritatis*, qui L. Paulli Æmilij Conſulis, de capto Perſeo, Macedonum Rege, TRIVMPHVM Romæ adornauit. Sed Plinium audiamus: *Cùm*, inquit, L. PAVLLVS, *deuicto captoq; Perſeo, petiiſſet ab Athenienſibus, vt ſibi quàm probatiſsimum Philoſophum mitterent, itemq;* PICTOREM *ad Triumphum excolendum; Athenienſes* METRODORVM *elegerunt, profeſsi eumdem in vtroque deſiderio præſtantiſsimum. Quod ita quoque L. Paullus iudicauit.* Magnificum quidem iſtud Plinij de Metrodoro Elogium eſt; at eximiæ ac ſingulares Rubenij virtutes maius ſibi meritò depoſcant. Cùm in vniuerſâ litteraturâ, encyclioque Mathematum omnium ſtudio ſit abſolutiſsimus, rerumque gerendarum ſolertiâ vbique ſpectatiſsimus. Atque eo nomine ſummis Regibus ac Principibus acceptiſsimus.

DOMVS PETRI PAVLLI RVBENII Equitis. — Plinius lib. xxxv. cap. xi. — Metrodorus Pictor & Philoſophus.

Sed & Rei litterariæ non minimam ſibi curam eſſe Ser^mus^ Princeps oſtendit. Itaque iſtud toto Orbe celeberrimum TYPOGRAPHEION PLANTINIANVM, è quo velut vberrimo fonte tot in omni diſciplinarum genere præclara volumina accuratiſsimè, & inſigni characterum varietate ac nitore edita prodierunt, præſentiâ ſuâ honorare voluit. Meminerat PHILIPPI II. Hiſpaniar. Indiarumque Regis, Aui ſui, iuſſu BIBLIA illa REGIA, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè & Latinè, curante Benedicto Ariâ Montano, Hiſpalenſi, viro doctiſsimo, in hâc Officinâ typis & ſumptu Regio, excuſa eſſe. Quâ quidem in re Regum ille Maximus, cum Ptolemæo Philadelpho, Ægypti, Arabiæ & Syriæ Rege, qui ſacra Hebræorum volumina per ſeptuaginta Interpretes in linguam Græcam verti curauit, certaſſe videtur. Ser^mus^ Princeps Officinam ingreſſus, vbi XII. præla non rarò ſudare ſolent, centum propè diuerſorum characterum genera, nobile opus, & quod raritate & elegantiâ ſuâ admirationem prouocet, conſpexit. Sunt ibi Syriacorum duo, Hebræorum decem, Græcorum nouem, Latinorum ſeptem & quadraginta, exoticarum autem linguarum & gentium alia plurima genera. Typographeion hoc à Balth. Moreto, Plantini nepote, non parum incrementi accepit, Ædificiiſque pulcherrimis auctum eſt. Neque vſquam *Cadmi nigellæ Filiæ* (ita Litteras, à Cadmo Phœniciæ Rege inuentas, non inuenuſtè appellat Auſonius) ſplendidiùs habitant.

TYPOGRAPHEION PLANTINIANVM. — Auſon. Epiſt. III. ad Theonem.

AVLÆORVM quoque OFFICINAM Princeps inſpexit, ſex & viginti capaciſsimas cellas promas-condas, ſeu receptacula, quadruplici ordine ſibi iuncta complectentem, in quibus infinita ſpectatur copia tapetium ac periſtromatum, byſſo auroque grauidorum, & de quibus dubites, Ars ne opulentiam, an hæc Artem vincat. Nec vrbibus ſolùm, ſed & Prouinciis abundè inſtruendis illa ſufficiant.

AVLÆORVM OFFICINA.

Demum, Ser^mum^ Principem VIII. Kalend. Maij (quem diem diſceſſui ex hac Vrbe ille deſignauerat) circa nonam matutinam Magiſtratus accedens, quòd honore Regalis præſentiæ ſuæ ac ſolennis Introitus, Vrbem hanc beare dignatus eſſet, gratias illi quantâ potuit ſubmiſsione, egit: vtque porrò ſingulari curâ ac ſollicitudine ſuâ eamdem prote-

DISCESSVS SER^MI^ PRINCIPIS.

gere & complecti dignaretur, enixè rogauit. Quod vultu, quo solet, perbenigno, affectuque clementissimo Princeps spopondit. Ac paullò pòst per Portam Croneburgicam cum ingenti procerum comitatu ad Scaldim accedens, nauem ibi Prætoriam, quâ venerat, conscendit. Abusque Cœnobio ad dictam Vrbis portam Ciuium armatorum Cohortes viam vtrimque stipauerant, ac triplici scloporum disploſione discedentem Principem salutarunt. Idem à nauibus Bellicis, Propugnaculis, & Arce, incredibili Tormentorum eurulium tonitru factum. Post trihorij nauigationem Princeps Willebrocam appulit, atque ibi rhedam conscendens Mechliniam est profectus.

Vrbis ANTVERPIÆ Iconem, quâ locorum insignium ac VIÆ TRIVMPHALIS designatio est expressa, hîc subiunximus.

Descriptionis Pompæ Introitus Ser^mi Principis FERDINANDI AVSTRIACI
Hispaniarum Infantis, &c. in Vrbem Antuerpiam,

FINIS.

LAV-

LAVREA CALLOANA:

AD POMPAM INTROITVS SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI AVSTRIACI HISPANIARVM INFANTIS, ETC. IN VRBEM ANTVERPIAM,

APPENDIX.

BENIGNE LECTOR,

CVm Ser^mi Principis FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniarum Infantis, Belgarum & Burgundionum Gubernatoris, immortalia in Vrbem* ANTVERPIAM, *Patriamq; vniuersam exstent merita; illius in eamdem vrbem Triumphalis Introitus Descriptioni* CALLOANAM LAVREAM, *ductu auspiciisq; eius de Batauis partam, subiungimus, ac promeritum* CALLINICO *Principi* TROPHÆVM. *Iure enim meritissimo istud illi Cognomentum debetur. Quippe (vt Plutarchus in Coriolano testatur)* Ἕλληνες ἐτίθεντο πράξεως μὲν ἐπώνυμον, τὸν Σωτῆρα καὶ τὸν ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΝ. Græci ab actione aliquâ imponebant Cognomentum Seruatoris & CALLINICI. *Hinc Archilochus Parius Hymnum suum in Herculem, ita est exorsus:*

Aristoph. Scholiast. in Acharn. & Auib. *Suidas* voce, τήνελλα.

ΚΑΛΛΙΝΙΚΕ, χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεις.
CALLINICE, Salue, Rex Hercules.

Quin imò Victores omnes in sacris certaminibus, eo Carmine ter à Spectatoribus repetito, olim honorati, teste Pindaro, Olympior. Odâ IX. *in Epharmostum Opuntium, Palæstritam:*

Τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος
Φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ.
ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ ὁ τριπλόος κεχλαδώς.
Archilochi quidem Carmen
Sonans apud Olympiam,
CALLINICVS ter acclamatum.

Iustin. lib. XXXVIII. *Procopius* lib. II. Belli Persici.

Seleucus item, Syriæ Rex, & Imp. Cæs. Iustinianus Aug. CALLINICI *Cognomento fuère insigniti.*

Enim-

SCALDIS
ANTVERPIA
LOCORVM INSIGNIVM
AC
VIÆ TRIVMPHALIS
ANTVERPIAM
DESIGNATIO.
1. Castrum.
2. Porta CÆSAREA
4. Templum et Coenob.
5. Crux Aenea
6. Mons in qua PORTICVS XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM.
8. ARCVS FERDINANDEVS.
11. Forum Mains.
12. Curia, siue Domus Ciuica.
13. Templum D. VIRGINIS Cathedrale.
14. PEGMA IV. MERCVRIVS ANTVERPIENS.
15. Officina Monetæ Regiæ, apud quam ARCVS MONETALIS.
17. Templum S. Walburgis.
18. Templum S. Andreæ.
19. Templ. et Domus Professa Societ. IESV.
20. Collegium Societ. IESV.
21. Templ. et Coenob. Prioratus S. Saluatoris.
22. Templ. et Coenob. Carthusianorum.
23. Templ. et Coenob. Dominicanorum.
24. Templ. et Coenob. Franciscanorum.
25. Templ. et Coenob. Carmelitarum.
26. Templ. et Coenob. Augustinianorum.
27. Templ. et Coenob. Capucinorum.
29. Templ. et Coenob. Minimorum.
30. Templ. et Coenob. Bogardorum.
31. Templ. et Coenob. Alexianorum.
32. Hospitale Maius.
34. Templ. et Coenob. Faucontinarum.
35. Templ. et Coenob. Nonnarum
36. Templ. et Coenob. Nigrarum Sororum.
37. Templ. et Coenob. Albarum Sororum.
38. Templ. et Coenob. Clarissarum.
40. Templ. et Coenob. Carmelitarum. Discalceatarum.
41. Beginagium.
42. Porta Kipdorpia.
43. Porta Rubea.
44. Porta Cisterna.
45. Propugnaculum S. Laurentij.
46. Porta ad Werfam.
47. Porta REGIA ad Scaldim.
48. Porta Crausburgica.
49. Domus Oosterlingor.
50. Domus Hessorum.
51. Domus Petr. Pauli Rubeny.
52. Officina Aulæorum.
54. Officina Vitriaria.
55. Forum Equinum.
56. Forum Boarium.
57. Forum Piscarium.
58. Macellum.
59. Mons Pietatis.
IVL. CÆSARIS SCALIGERI.
In Laudem ANTVERPIÆ

CVRRVS TRIVMPHALIS *Icon, & Descriptio.* Enimuerò, CVRRVS TRIVMPHALIS, Honori Seren^{mi} Principis FERDINANDI CALLINICI, ob clarissimas ad ANTVERPIAM & AVDOMAROPOLIM partas Victorias, à præstantissimo Rubenio adornati, Iconem hîc exhibemus: in eoque erecti TROPHÆI ac LAVREÆ appensæ, aliarumque Figurarum ac rerum in illo expressarum breuem Descriptionem adiungimus.

NAVIS, *Felicitatis Symbol.* NAVIS Formam Currus iste refert. Erat enim NAVIS priscis FELICITATIS Symbolum, vt iam antè ad Arcus Monetalis partem priorem diximus.

PROVIDENTIA AVGVSTA. PROVIDENTIA AVGVSTA, Formâ IANI BIFRONTIS (causam suprà ad Templum Iani attulimus) in anteriori Currus parte aurigans, Quadriiuges Equos adductis habenis moderatur.

ANTVERPIA. AVDOMAROPOLIS. Ponè sedet ANTVERPIA, Turrito vertice, ac Gentilitio Rosarum serto, supra quod MANVS GEMINÆ eminent, coronata; assidet illi AVDOMAROPOLIS, & ipsa Turrito capite (sic enim Vrbes in Numis antiquis repræsentantur) manuque Insignia sua Gentilitia tenens. Ambæ Gaudium suum ob Hostes profligatos, Obsidionemque solutam, vultu ipso, gestuque venerabundæ testantur. *Goltz. Græciæ Tab.III. XI.XXI. A. Augustin. Dialog.III.*

FAMÆ *Geminæ.* Iuxtà, FAMÆ Geminæ adstantes, Tubam inflant: ac in vno Labaro è Tubâ suspenso inscriptum:

IO CALLINICE.

In altero:

IO TRIVMPHE.

TROPHÆVM. CAPTIVI. In medio Currus, TROPHÆVM ingens quadratæ Basi est impositum: ad quam CAPTIVI varij hinc inde sedent, reuinctis post tergum manibus.

VICTORIÆ *Geminæ.* CORONA CIVICA. CORONA OBSIDIONALIS. VICTORIÆ Binæ Alatæ & Laureatæ, ante ipsum consistunt TROPHAEVM. Atque altera quidem CORONAM CIVICAM, QVERCEAM, ob Ciues seruatos; altera CORONAM OBSIDIONALEM, GRAMINEAM, ob liberatam Obsidione Vrbem, de prisco more, Victori Principi offerendam, protendit.

In ouali serto è Rosis contexto, quod VICTORIAE geminæ ante TROPHAEVM sustinent, hæc Epigraphe:

OB CIVES SERVATOS:

HOSTIBVS PROFLIGATIS,

OBSIDIONE SOLVTA.

CIVICA *cui data?* CIVICA CORONA (ait Gellius) *appellatur, quam Ciuis Ciui, à quo seruatus est in prælio, testem Vitæ Salutisque perceptæ dat. Ea fit è fronde* QVERNA, *quoniam cibus victusque antiquissimus Quernus capi solitus.* Et Plinius lib.XVI. cap.IV. CIVICÆ CORONÆ, inquit, *Militum Virtutis insigne clarissimum; iampridem verò & Clementiæ Imperatorum, postquam Ciuilium Bellorum profanatione, meritum cœpit videri, Ciuem non occidere.* Hinc de honoribus C. Iulio Cæsari à S. P. Q. R. decretis agens Appianus: Σχήματά τ' ἐπεγέγραφον ταῖς εἰκόσι ποικίλα· καὶ ΣΤΕΦΑΝΟΣ ἘΚ ΔΡΥΟΣ ἦν ἐπ' ἐνίαις, ὡς Σωτῆρι τῆς πατρίδος. *Effigies eius vario habitu proponebantur: nonnullæ* QVERNA CIVICA *ornatæ, vt Seruatoris suæ Patriæ.* Et de C. Cæs. Octauio Aug. Dion lib. LIII. Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ πολλὰ καὶ μὲν πρότερον, ὅτε τὰ περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε. Καὶ γὰρ τό, τε τὰς ΔΑΦΝΑΣ πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΤΟΝ ΔΡΥΙΝΟΝ ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι· τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι, καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη. *Cæsari*, inquit, *quum Orationem de eiurando Regno, ac diuidendis Prouinciis habuisset, multi erant Honores delati:* *Gellius lib.V. cap.VI.* *Appian. lib.II. de Bell. Ciuilib.*

Biblioteca Nacional de España

delati: nempe vt ante ipsius Domum in Palatio LAVRI *ponerentur, ac super eas* CORONÆ QVERNEÆ *suspenderentur. Nimirum, quòd perpetuus Hostium Victor, ac Ciuium esset Seruator.* Eius Honoris Augusto habiti plurima ipsius Numismata fidem faciunt: in quorum nonnullis inter geminas LAVROS expressa est CIVICA, cum Inscriptione: OB CIVEIS SERVATOS. In aliis Corona eadem inter geminos Capricornos, (sub eo signo natus est Augustus) Orbe ac Gubernaculo adiacente, cum eâdem Epigraphe.

Goltzius Cæs. Aug. Tab. x. xxii. & lviii. Cronac. Tab. xvi. & xiv.

Ad postremum illum Augusti Numum in quo CIVICAE inscriptum: SALVS GENERIS HVMANI; haud dubiè respexit Plinius lib. xvi. cap. iv. *Dedit Augustus Rostratam Coronam Agrippæ, sed* CIVICAM *à Genere Humano accepit ipse.* De eâdem Coronâ eleganter Seneca, in fine lib. i. *de Clementiâ* ad Discipulum suum, Neronem Cæsarem: *Felicitas illa est*, inquit, *multis* SALVTEM *dare, & ad Vitam ab ipsâ Morte reuocare, & mereri Clementiâ* CIVICAM. *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriúsve est, quàm illa Corona,* OB CIVES SERVATOS: *non hostilia Arma detracta victis, non Currus Barbarorũ sanguine cruenti, non parta Bello Spolia. Hæc Diuina Potentia est, gregatim ac publicè* SERVARE; *multos autem occidere & ind scretos, Incendij ac Ruinæ Potentia est.* His concinit aurea Imp. Cæs. Con-

Themist. Orat. xvii. stantij Aug. vox: Σεισμοῦ μὲν καὶ λοιμοῦ, τὸ διαφθείρειν ἀνθρώπους· βασιλέως δὲ ἔργον, τὸ ΣΩΖΕΙΝ ἐστί, *Terræmotus quidem ac Pestis proprium est, perdere Homines: Regis verò munus est, eosdem* SERVARE. Compar huic istud Philisci

Suidas. Philosophi ad Alexandrum Macedonem, (cui Præceptor datus fuit) Monitum, quod

Aelianus lib. xiv. cap. xi. Variæ Historiæ. refert Ælianus: Φιλίσκος πρὸς Ἀλέξανδρον ἔφη ποτέ· Δόξης φρόντιζε, ἀλλὰ μὴ ἴσθι λοιμὸς, καὶ μὴ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ Εἰρήνη καὶ Ὑγεία. Λέγων, τὸ μὲν βιαίως ἄρχειν καὶ πικρῶς, καὶ αἱρεῖν πόλεις, καὶ ἀπολλύειν δήμους, λοιμοῦ εἶναι· τὸ δὲ ὑγείας προνοεῖσθαι καὶ ΣΩΤΗΡΙΑΣ τῶν ἀρχομένων, εἰρήνης ταῦτα ἀγαθά. *Philiscus ad Alexandrum aliquando dixit: Ad Gloriam incumbe, sed ita, ne sis Pestis, vel magna aliqua Lues, sed Pax & Sanitas. Affirmans, per Vim & Sæuitiam imperare, expugnare ciuitates, & populos exscindere, Pestilentiæ opus esse. Sanitatis verò, &* SALVTIS *subditorum rationem habere, ea Pacis sunt Bona.* Quod alumnos suos Seneca & Philiscus, id seipsum monet Principum sapientissimus, Imp. Cæs. M. Aurel. Antoninus Aug. lib. vi. Τῶν εἰς ἑαυτόν, siue, *de Suiipsius Institutione:* Αἰδοῦ Θεοὺς, ΣΩΖΕ ΑΝΘΡΩΠΟΥΣ. Βραχὺς ὁ βίος· εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς, διάθεσις ὁσία, καὶ πράξεις κοινωνικαί. *Deos venerare,* HOMINES SERVA. *Breue est Vita in terrâ degendæ Tempus, omnisque eius fructus, sancta Animi constitutio, & Actiones communitati Hominum vtiles.*

Ceterùm, & apud Ægyptios huius CORONAE QVERCEAE vsum olim fuisse, testatur

Apud Athenæum lib. v. Callixenus Rhodius in descriptione Pompæ illius longè splendidissimæ, quam Ptolemæus Philadelphus, Ægypti Rex, Alexandriæ exhibuit: Ἐπόμπευσε δὲ καὶ θώραξ χρυσοῦς πηχῶν δώδεκα, καὶ ἕτερος ἀργυροῦς πηχῶν ὀκτωκαίδεκα, ἔχων ἐφ᾽ ἑαυτὸν κεραυνοὺς χρυσοῦς δώδεκα πήχεις, δύο, καὶ ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΔΡΥΟΣ διάλιθον. *Fuère & inter Pompæ fercula, Lorica aurea cubitorum* XII. *& argentea altera cubitorum* XVIII. *Quibus imposita erant Aurea Fulmina duo, cubitorum* XII. *& è* QVERCV CORONA *Gemmata.* Cur autem Ciuica ista

Plutarch. Roman. Quæst. xcii. Corona è Quercu fieret, caussas multas præter illam quam è Gellio suprà dedimus, adfert Plutarchus: è quibus verior ista, quòd Ioui Conseruatori Quercus esset sacra.

De OBSIDIONALI CORONA, quam altera VICTORIA manu præfert, ita idem Gellius: OBSIDIONALIS *est, inquit, quam ij qui liberati sunt Obsidione dant ei Duci, qui liberauit. Ea Corona* GRAMINEA *est: obseruarique solitum, vt fieret è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur.* De huius Coronæ supra alias omnes dignitate & præcellentiâ, sic Plinius lib. Obsidionalis Corona cui data. Eius Dignitas.

lib. XXII. cap. III. *Corona quidem nulla fuit* GRAMINEA *nobilior in Maiestate Populi, Terrarum Principis, præmiisq; Gloriæ. Gemmatæ & Aureæ, Vallares, Murales, Rostratæ,* CIVICÆ, *Triumphales post hanc fuêre, suntq; cuncta magno interuallo, magnâque differentiâ.* Et mox: GRAMINEA *numquam nisi in desperatione supremâ contigit. Nulli nisi ab vniuerso Exercitu seruato decreta. Ceteras Imperatores dedere; hanc solam Miles Imperatori. Eadem vocatur* OBSIDIONALIS, *liberatis Obsidione, abominandoq; exitio totis Castris. Quòd si* CIVICÆ *Honos, vno aliquo vel humillimo Ciue seruato, præclarus sacerq; habetur; quid tandem existimari debet, vnius Virtute seruatus vniuersus Exercitus? Dabatur hæc viridi e* GRAMINE, *decerpto inde, vbi obsessos seruasset aliquis. Namque summum apud antiquos, signum Victoriæ erat, Herbam porrigere Victos: hoc est, Terrâ & altrice ipsâ humo, & humatione etiam cedere. Quem morem etiam nunc durare apud Germanos, scio.* Paulò pòst: *Ipsum Augustum cum M. Cicerone filio Cos. Idib. Septembr. Senatus* OBSIDIONALI *donauit: adeò* CIVICA *non satis videbatur.*

Obsidionalis Corona cur Graminea?

SIGNA CAPTIVA. Ad mediam TROPHÆI partem captiua Signa, Vexilla, Armaque omnis generis, Batauica & Gallica vndique suspensa, & aggesta sunt: *Spiculaq; Clypeiq; ereptaq; Rostra Carinis.* *Virgil.*

In phylirâ Manubiis circumdatâ, inscriptum:

CÆSIS DETRACTA BATAVIS.

Et

DE GALLIS CAPTA FVGATIS.

CORONA LAVREA. Supra Signa, Armaque captiua, ingens CORONA LAVREA Triumphalis, ob hostes cæsos, dependet. Qualem Seren^mo^ Principi, primo eius in Vrbem Introitu, ANTVERPIA non sine auspicato omine, obtulit.

INSIGNIA REGIA. Paullò altius, Insignia PHILIPPI IV. Hispaniar. Indiarumque Regis Inuictissimi, Belgarum Principis; & Seren^mi^ FERDINANDI, eius Fratris, hinc inde, inter victricia eorumdem Vexilla, effulgent. Supra eadem Insignia præradiat CORONA AVREA Triumphalis, Palmis referta. De hac ita Festus: TRIVMPHALES CORONÆ *sunt, quæ Imperatori Victori* AVREÆ *præferuntur: quæ temporibus antiquis, propter Paupertatem,* LAVREÆ *fuerunt.* Hanc Coronam Plinius vocat HETRVSCAM: *quam Gemmis & foliis ex* AVRO *Quercinis, ob Iouem, insignem* describit Tertull. *Plinius lib. XXXIII. cap. I. Tertullianus lib. de Coronâ.*

CORONA AVREA.

LAVRVS. E supremo TROPHÆI vertice LAVRVS Arbor ingens, Victoriæ Symbolum, eminet.

VIRTVS & FORTVNA. In posteriori Currus parte, VIRTVS Galeata, dextrâ Fulmen tenens, & Parazonio cincta; ac FORTVNA Gubernaculum manu gestans (quales in Numis spectantur) consistunt. Quo designatur, VIRTVTE Duce, inuictoque Militum Robore, & FORTVNA Comite, nobilissimum illud TROPHÆVM partum esse.

Retrò in Acroteriis affixa sunt Insignia Vrbis ANTVERPIÆ, serto Roseo circumdata.

TRITON. Immanis TRITON in inferiori Nauis parte effictus est, more prisco. Papinius de Argonaui, tempestatib. iactatâ: *Papin. v. Theb.*

—— *Incertæ non iam prior impetus alno,*
Sed labat: exstantem Rostris modo gurgite in imo,
Nunc Cælo TRITONA *ferens.*

Concham inflat Triton, ob Victoriam in SCALDI Flumine partam, Nauesq; captiuas.

GENIVS *Alatus* DELPHINO *insidens.* Idem denotat GENIVS Alatus, DELPHINO insidens, Laureamque gestans, vtrimque ad Nauis pergulam. Sic ferè in Tarentinorum Numis cernitur TARAS, Neptuni filius, iuuenili formâ, Delphino insidens. Tarentinos enim classe præpotentes olim fuisse, testatur Strabo lib. VI. In Delphorum quoque Numis expressus est puer Delphini tergo inhærens. Ac de pueris à DELPHINO amatis & vectis, videndi Gellius & Ælianus. *Goltz. Magnæ Græciæ Tabul. XXXI. Et Græciæ vniuersæ Tab. VIII. Gellius lib. VII. cap. VIII. Aelian. lib. VI. cap. XV. de Animal.*

DRACO. DRACO ingens, in imâ Currus parte anteriori, Flammas euomit in Timonis formam.

PILÆ PYROBOLARES. A gemino autem latere PYROBOLARES PILÆ supra axes vtrimque præfulgurant.

Et VICTORIAE quidem CALLOANÆ, sub ipsis ANTVERPIÆ oculis relatæ, breuem Narrationem Historicam, ex Actis Diurnis hic subiunximus.

LAVREÆ

LAVREÆ CALLOANAE DIARIVM HISTORICVM.

SI vmquam aliàs coniurata Francorum & Batauorum in Belgij vniuersi excidium arma, prosperos sibi successus pollicita sint; id sanè hoc Anno Salutis nostræ, Millesimo sexcentesimo ac trigesimo octauo, adeò indubitanter sibi persuaserant, vt Prouincias Regias certissimâ spe iam deuorasse viderentur.

Triennium elapsum est, cùm mox ab ipso Serenissimi Principis, FERDINANDI AVSTRIACI, Hispaniarum Infantis, in Belgium Aduentu, Franci palàm rupto Pacis fœdere, per Lucemburgensem Ducatum in Belgium irruentes, sociis Batauorum copiis prope Traiectum ad Mosam, suas iunxêre: Francicarum quidem Castellionio & Bresæo, Marchionibus; Batauicarum, Arausino Principe, Ducibus. Ac paullùm ad Mosam morati, Brabantiam vniuersam, aliasque Prouincias Regias omnes (quas & ante expeditionem partiti inter se iam erant) ad sexaginta mille hominum exercitu, velut diluuio quodam obruere conati sunt: Thenarum vrbe, barbarum in morem, direptâ & incensâ, ac Templis ipsis sacrilegè exustis, nulloque Libidinis & efferatæ immanitatis genere, aduersus cuiuscumque ordinis, sexus aut ætatis homines, omisso.

Vide Er. *Puteanum* initio lib. de Obsidione Louaniensi. Et Nic. *Vernulæi* Triumphum Louaniensem.

Attum, inuictâ FERDINANDI Principis Virtute, & prouidâ, Q. Fabij exemplo, cunctatione, repressis illorum conatibus, progressuque vlteriore; Louanium, Brabantiæ metropolis, arctissimâ eorumdem obsidione solutum est. Cæsareisque copiis auxiliaribus è Germaniâ superiore, ab Octauio Comite Picolomineo, oportunè adductis, ac commeatu hostibus intercluso, ea rerum omnium penuria illos pressit & attriuit, vt è tanto exercitu exiles reliquiæ trans Mosam ægrè ad suos in Batauiam dilapsæ sint.

Moxque armis Catholicis trans Vahalim, in hosticum solum, feliciter illatis, ac * SCHENCKIANO Castello longè munitissimo, ad Rheni diuortia, occupato, victricia Regis Catholici signa in ipsis Batauiæ claustris, inusitato successu, erecta sunt. Nec certè potuit FERDINANDVS illustriore ex Arce, illa iustissimis Fratris sui, PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis, Belgarum Principis, auspiciis militantia Vexilla attollere, quàm loco clarissimis Drusi, ac Germanici Cæsaris, aliorumque Ducum Romanorum expeditionibus & Victoriis olim nobilitato.

VVVV Hostes

* *Martin. Schenckius* An. M.D.LXXXVI. ad Rheni diuortia Castellum munitissimum exstruxit, loco priscis Romanor. Ducum vestigiis nobili. De *Cl. Druso*, res ibi fortiter gerente, Dion lib. LIV. Ac de propinquâ *Fossâ Drusianâ* (hodie *Yssel*) Tacitus II. Annal. & Sueton. Vitâ Claudij. Eiusdem *Drusi* Arcui Triumphali Romæ inscriptum: AD DIVORTIA RHENI PERVASI, HOSTILES DEPOPVLATVS AGROS. Vide Inscriptt. Gruteri pag. CCXXXVI. De *Germanico Cæs. Drusi* F. Tacit. loco suprà citato. De *Iuliano Cæs.* Zosimus lib. III. De *Theodosio Aug.* Lat. Pacatus in eius Panegyr. De *Fl. Stilicone*, Claudianus lib. I. de eius Laudib. vbi iter illius prono Rheno describit: *Impiger à primo descendens Fluminis ortu, Ad* BIFIDOS TRACTVS, *& iuncta paludibus ora, Fulmineum perstrinxit iter.* Hunc locum, tempore *Imp. Caroli Crassi*, vocatum fuisse HERISPICH, existimat Hadr. Iunius, Histor. Batauicæ cap. VIII. inductus istis Reginonis, Abbatis Prumiensis, verbis, in Chronico, ad Ann. DCCCLXXXV. vbi de Cæsaris ad Gothofredum, Danorum Frisiorumque Regem Legatis, agit: *Gothofredus audito Legatorum aduentu, illis obuiàm procedit ad locum qui dicitur* HERISPICH: *in quo Rheni fluenta & Vahalis vno se alueo resoluunt, & ab inuicem longius recedentes Bataniam Prouinciam suo gurgite cingunt.* At verò ista Reginonis verba corrupta esse existimo: & insertâ caninâ litterâ, loco HERISPICH, legendum reor, HERISPIRCH. Vt oppidum s'HERENBERCH hodie appellatum, Rheni diuergio proximum, ibi denotetur. Quamquam non ignorem, Isacium Pontanum in Geldricâ Historiâ id loci nomen aliò referre.

Hostes itaque hoc anno, non coniunctis, vt antè, sed diuisis copiis suis, velut indagine quâdam, Belgium cingere aggressi sunt. Franci, Duce iterum Castellionio, AVDOMAROPOLIM, Artesiæ Vrbem, x. Kalend. Iunij, arctâ obsidione presserè. Batavi, haud morati, nec minora animo agitantes, ANTVERPIAM sibi obsidendam delegerunt. Arausinus ipse terrâ Vrbem oppugnare destinans, ad Bergizomium cum XII. peditum, & IV. circiter equitum millibus, ac propè centum tormentorum currulium æneis machinis, subsistit, dum de occupatis per suos in Wasiâ, Flandriæ regione ad Scaldim, quà Antuerpiam alluit, aggeribus, & Munimentis Regiis, certior fieret.

XIII. Iun. An. M.D.C. XXVIII. *Classis Batava, Præfecto* Guilel. Comite Nassauio, *Lilloam & Lifkenshoecam appellit.*

Eam in rem, Gulielmus Comes Nassauius ipsis Idibus Iunij, plusquàm centum nauibus succinctus, quibus ad septem peditum millia, è spectatissimis Batauicæ Militiæ Legionibus selecta, & quatuor equitum turmas vehebat, Lilloam & Lifkenshocam appulit: quæ Castella sunt ad geminam Scaldis ripam, præsidiis Batauorum insessa, ac tribus, præter-propter, milliaribus ab Vrbe Antuerpiâ remota. Eodem die Antonius Siuori, Eques, clarâ & antiquâ apud Ligures stirpe oriundus, Antuerpiæ Consul VII. qui tum Bruxellis agebat, impetrato commeatu à Serenissimo Principe FERDINANDO, Belgij Prorege, Antuerpiam properauit: cùm eidem Princeps asseruisset, sequenti die se eòdem venturum. Consul aduerso maris æstu vsus, demùm circa horam decimam vespertinam appulit. Et Curiam protinus accedens, ibidem Consulem alterum, Carolum Sanctacrucium, Equitem, collegam suum, ac Senatum frequentem, ob hostes terrâ mariquè vicinos, sollicitum reperit: qui & paullò antè missо Bruxellas cursore, per Syndicum suum, Iacobum Edelherium, Iurisconsultum, de propinquiore hostilium nauium appulsu, Serenissimum Principem FERDINANDVM certiorem fecerat. Arcis Antuerpianæ Præfectus, Philippus de Syluâ, eâdem nocte, Hispanorum Cohortem, cum trecentis ciuibus armatis, Volonibus, vltroquè se offerentibus, ad Austrouelæ munimentum, in Brabanticâ Scaldis ripâ exstructum, vicinaquè loca tuenda, emisit, ductore Henrico Tserrartio, Equite, vigiliarum Vrbanarum Præfecto.

Castellis autem omnibus, in Wasiano agro sitis, & Accessibus ita prospectum erat, vt metus omnis abesset, posse quippiam improuisò ab hoste occupari. Etenim, cùm naues hostiles eius magnitudinis essent, vt nusquam nisi pleno maris æstu, impelli possent; satis temporis nostris fore videbatur, vt iustis suppetiis adductis, Castella aduersus quantumuis numerosam manum tueri se possent. At Nassauius decliui maris æstu vsus, de nocte,

XIV. Iun. *Bataui per Scaldi alluuia, Flandria aggeres inuadunt.*

inter horam primam & secundam, cohortes suas ad Lifkenshocam expositi: easdemque Doulam inter & Ketenissam (exiles eæ Insulæ sunt, in Scaldis æstuariis enatæ) ad Antonishocam progressas, plusquàm medio milliari, per profundum cœnum, mersosque aquis campos & incilia (quod hactenus fieri non posse, creditum erat) armis onustas duxit, nonnullis ad tibias, nonnullis ad vmbilicum succidentibus. Præibat ipse Nassauius, binis ductoribus vadum monstrantibus. Non paucis autem militibus cœno limoque mersis, ad aggerem, quem vulgò *Cruys-dycum* vocant, Brionis Tribuni Legione, & agrestium excubiis insessum, prope Stelandiam (is Reductus est modicus) hostes appellunt.

Nostri illos silente Lunâ, accedentes, socios primùm arbitrati sunt. Mox vbi hostem esse intellexêre, inopinato eiusdem per viam inuiam, & inaccessam hactenus habitam, aduentu numeroque perculsi, retrò cessêre. Vnde apparet, nimia Securitas quantæ calamitati esse plerumque soleat. Si autem madidis iam, cœnoque grauidis & fessis Regij se obiciissent,

cissent, haud dubiè eum ingenti strage eosdem repulissent. Nostris itaque cedentibus, munitione illâ, Stelandiâ, hostes facilè sunt potiti; vt & vicinis, per eumdè aggerem, Cataractis tribus: quas illico adapertis repagulis & obicibus, reserarunt, vt Scaldi flumine, per æstum maris, in subiectos Wasiani agri pagos, & Beueram imprimis, immisso, aquæ pascua camposque passim inundarent, nostrisque suppetiis iter intercluderent. At singulari Dei beneficio, velut Scaldi vndas suas in alueum resorbente, æstuque maris solitò decliuiore, subiectos aqua campos non nisi modicè attigit, & irrorauit.

Hostes porrò, diuisis copiis, ad VERBROCAM, seu Castellum *Rubrum* (vt vocant) haud procul Hulsto oppido situm, occupandam, properarunt. Tuebatur illam cohors Walonum, Præfecto Antonedâ Centurione. Pluribus globis pyrobolaribus immissis munimentum istud hostis infestauit: sic vt nostrorum omnis puluis nitratus ignem conciperet. Quæ res haud paucos milites ambusit, adeoque, Castellum vt dederent, compulit. VERBROCA *ab hostibus occupata.*

Hæc non inprospera principia animos Batauis addidêre. Ergo CALLOAM, Castel- & CALLOA. lum è regione Antuerpiæ, trans Scaldim, situm, alteroque lapide ab Vrbe remotum, satis quidem illud munitum, quodque vim maiorem sustinere posset, adorti sunt. Sed quòd agrestibus potissimùm præsidiariis, insessum esset, post aliquot impressiones ac insultus, & illo sunt potiti.

Hæc dum ab hoste geruntur, Hispanicæ Cohortis Centurio emeritus, Gabr. Pastrana, ab Arcis Antuerpianæ Præfecto, mediâ nocte, ad Wasiana castella, Blockersdicquiũ, Marianum & Perlæum, visitanda, ac præsidiarios animandos, emissus, circa tertiam matutinam properè in Vrbem recurrens, Stelandiam, Verbrocam & Calloam, ab hoste oppugnari, nuntiat. Quocirca Arcis Præfectus, quamuis æger, sine morâ, consceṅsâ rhedâ, ad Marianum, vicinaque Munimenta aduolat: accito antè ad se, Vrbis Consule, Ant. Siuori, Equite, (huic enim ciuicæ Armaturæ cura, vt Iuris dicundi, Car. Sanctacrucio, alteri Consuli, incumbebat) vtque diligenter Vrbis custodiæ prospiciat, ciuesque armatos conuenire iubeat, monet.

Nec moratus Consul, vltra quatuor Vrbanas Cohortes, portarum custodiis inuigilantes, alias XXVIII. ad stationes designatas properare, ibidemque mandata exspectare, iubet. De sex item ciuium armatorum Collegiis (*Guldas* vocant) vni quidem, vt Curiam, de more, insideret; aliis quinque, vt Forum, ordinariam stationem suam, occuparent, imperat. Quod confestim, debito ordine seruato, ab illis præstitum est: Consule ipso præsente, ac deinde in Curiâ, ad quoscumque casus aduigilante. Idem & portarum custodias auxit, virosque Senatorios iisdem adiunxit. Mœnia passim à Vigilibus circuiri iussit. Ad tormenta itemænea in propugnaculis mœnium disposita, ballistarios, cum copioso globorum ferreorum ac nitrati pulueris apparatu præsto esse curauit. Exploratores denique in vicinam Campaniam Brabanticam, an castra moueret Arausinus, speculatum emisit. Ac singulari curâ & vigilantiâ, fideque in Regem, ne quid Resp. detrimenti caperet, cauit. *Consilia cura, de Vrbis custodia.*

Interim Arcis Præfectus, dum ad Marianum Munimentum properat, in viâ, iam Stelandiam, Verbrocam & Calloam hosti deditas esse, intelligit. Itaque ocyùs Marianum ingressus, quò Tribunus Brionius cum Legione suâ se receperat, eumdem & Catricium Tribunum, qui Mariano præerat, est adhortatus, vt de occupatis Munimentis Batauos eiicerent. Sed, hostilium copiarum numero animaduerso, id attentare, antequàm suppetiæ nostris accessissent, haud consultum, visum est. Quocircà, vt aduersus vlteriorem hostium

in aggere iam occupato progressum, vi omni & contentione adhibitâ se obiicerent, ac Marianum & Perlæum, ad extremum vsque spiritum propugnarent, mandauit. Idem quoque Centurioni Philippo Siuori, Ant. Cos. F. qui Blockersdicquio Munimento præerat, iniunxit: quòd maximi momenti esset illa statio. Si enim illâ potiri contigisset hostem; vel Borchtam vsque obiecta Antuerpiæ, trans Scaldim, pascua aquis mergere, perfosso aggere, potuisset. Quod eodem loci, ante annos XXXIII. Mauritius, Princeps Arausinus, frustrà est conatus: plurimis tum è suis, cæsis, mersis aut captis, nauibusq; haud paucis amissis. *Anno M.DC.V. 16. Kal. Iunij.*

Arcis Antuerpianæ Gubernator circa sextam matutinam in vrbem redux, confestim ad Ser^mum^ Principem FERDINANDVM misso cursore, cum Litteris, (quibus & suas Consul adiunxit) prædicta Munimenta ab hostibus intercepta esse significauit, & suppetias, ad eosdem inde pellendos, flagitauit.

MARIANVM & PERLÆVM, Castella. Tametsi autem hostis eodem impetu MARIANVM Castellum ac PERLÆVM, quæ vix tormenti grauioris iactu à Calloâ distant, vnà occupare arderet; nihilominùs tamen animaduertens, quòd in iis expugnandis plus sibi negotij & difficultatis futurum esset, propiùs illa assultare ausus non est: & antè firmare se, & castra in occupatis iam locis munire, valloque cingere consultius duxit. Misso tamen interim tubicine, qui prædicta Castella dedi posceret. Sed responsum tulit, nihil nisi ferrum ignemque hostibus expectandum.

Hostes quadrifariam se muniunt. Itaque ligonibus rem gerere instituunt, partitis in quatuor regiones fossoribus, incredibili diligentiâ operi incumbentibus. Pars in aggere versus Marianum, ductis occultis meatibus Accessum cœpit moliri: pars aggerem Beueranum obliquis secturis incidere. Alij planitiem illam herbidam, quæ iuxta Calloæ Templum per alluuionem accreuit, loricâ amplectebantur. Tantæ autem magnitudinis erat ista planities, vt vel quindecim hominum millibus ibi locandis sufficeret. Alij ad pagum Verbrocam sudabant: vbi protinus septingentæ militum casulæ & tentoriola erecta sunt, ductæque fossæ haud contemnendæ. In Ketenissæ item aggere suggestum hostis exstruxit, è quo tribus tormentis æneis in Perlæum continuò fulminabat: sed detrimento nostrorum exiguo. *Loricæ castrorum, Cæsari munimen & sepimentum.*

Regiorum munitiones in aggere versùs Calloam. Dum hostis iis operibus occupatur, Brionio Tribuno, eiusque militibus ac præsidiariis Marianis, spatium datum est, vt similiter sese aduersus hostiles Accessus ligone munirent. Quod quidem summâ ab iis diligentiâ est factum. Aggerem enim qui à Mariano Calloam versus excurrit, quatuor incisuris medium intersecuerunt. Effossis quoque in illo intestinis meatibus, duûm hominum capacibus, per quos ad munitiones, inter secturas aggeris, excitatas, tutò commearent. Quin & aggerem minorem, qui à Mariano ad Perlæum tendit, ductâ loricâ, & collocatis in illo machinis æneis muniuêre: vt mutuò sibi succurrere ac communicare præsidia inter se, bina ea Castella possent. Atque ea res hostium conatibus vehementer obfuit.

Calloæ occupatæ fama Antuerpiam primo manè est delata. Vtque nauium hostilium eminentes mali, syluæ instar, ciuium oculis sunt obiecti, tormentorumque fragor auribus insonuit, non leuis profectò sollicitudo Vrbem perculit.

Seren^mus^ Princeps, FERDINANDVS, Belgarum Prorex, & supremus Militiæ terrâ marique Præfectus, in omnes hostium conatus intentus, iam Bruxellâ Antuerpiam versus in viam se dederat: medioque ferè itinere, Willebrocam peruenerat, cùm de Calloâ, vicinisque Munimentis occupatis, illi nuntius adfertur. Ac probè gnarus quanti momenti illa essent loca, sine morâ hostem inde pellendum, adductis suppetiis, decernit.

Exer-

Exercitu autem Regio pridem varias in regiones diuiso, sparsas per vicina Præsidia Legiones vndique contrahit, magnisque itineribus approperare iubet. Cùm enim Franci eodem propè tempore, vt vires Ibericas distraherent, tribus exercitibus, Castellionio, Forcio ac Bresæo, Ducibus, Belgium essent adorti; prouidentissimus Princeps, FERDINANDVS, copias suas, quas fortes magis, quàm numerosas habebat, pro re natâ, variè erat partitus. Et Castellionio quidem, obsidenti Audomaropolim, Forcioque in Cameraci confinibus hærenti, Principem Cariniani, Franciscum Thomam, Caroli Emmanuelis, Allobrogum Ducis F. Regiorum apud Belgas armorum Gubernatorem, cum IX. peditum, & III. equitum millibus obiecerat: vt & Bresæo, in Lucemburgensem Ducatum irruenti, Baronem Lamboyum, cum IV. millibus peditum, & equitibus mille. Vt interim de copiis ad Ioan. Clarium Guzmannum, Fontium Marchionem, oræ ac rei maritimæ Præfectum, Dunkercam missis, nihil dicam. Aduersus Batauorum conatus, qui Duce H. Casimiro Comite Nassauio, Vrbi Geldriæ, in Sicambris, imminebant, Gulielmus de Bette, Marchio Ledæus, cum quatuor millibus peditum, & mille quingentis equitibus, ad Mosam, inuigilabat. Andr. item Cantelmus, è Ducibus Populi in Regno Neapolitano natus, Regiarum in Prouinciâ Flandriæ, copiarum aduersus Batauos, Præfectus, prope Brugas, cum expeditis aliquot Legionibus, versus Sassam Gandensem (id Castello munitissimo, ad Fossæ nauigeræ ostium, est nomen) & Hulstum collocatis, hærebat, dum incertum esset, quò illa classis hostilis procella, sub Præfecto Gul. Comite Nassauio, incuberet.

Exercitus Regij per Belgium partitio.

Cariniani Princeps, Frāciscus Thomas à Sabaudiâ.

Gul. de Bette, Marchio Ledaus.

Andr. Cantelmus, Regiarum in Flandriâ copiarum Præfectus.

Itaque Seren^mus^ Princeps confestim è proximo, Sigismundum Sfondratum, Montisfiani apud Subalpinos Marchionem, equitum Regiorum Promagistrum, qui Lyram inter & Antuerpiam statiua habebat, in Wasiam cum equestribus copiis, tendere iubet. Ita vt etiamnum illo die, viginti duæ equitum turmæ, ex Campaniâ Brabanticâ, per pontem naualem, quo Scaldis ad Antuerpiam est stratus, in vicinam Flādriam, ad Castrorum locum, Beueræ indictum, oportunè transierint. Quo factum est, vt vlterior hostium in Wasianum agrum irruptio prohiberetur. Quadringenti item pedites, ex præsidiis Herentaliæ & ad Demeram excubantibus, ad Blockersdicquium Castellum propugnandum aduenère. Fonclari (nunc & Sastagi) Comes, Henr. de Alagona, illustri apud Arragonios familiâ prognatus, qui prope Hulstum cum Legione suâ subsistebat, ilicò versus Marianum Castellum, iter maturare iussus est. Eôdem quoque Paul. Bernardus, Comes Fontanus, supremus Regiorum tormentorum Præfectus, illo die accessit. Marchio item Ledæus & Cantelmus, cum suis copiis, ocyùs acciti. Hæc vbi mandata FERDINANDVS per Stephanum de Gamarra, supremi Castrorum Præfecti optionem, qui Antuerpiam excurrerat, expediri curasset, eâ nocte Willebrocæ substitit, dum suppetiæ vndique confluerent.

Sigismundus Sfondratus, equitum Promagister in Wasiam tendit.

Fonclari Comes, versus Marianū Castellum profectus: itemq́, P. Bernard. Comes Fontanus.

Bataui interim, vbi Regios ad Marianum aggerem, adeò gnauiter insudare operi animaduertère, vt, licet cum hostilibus fossoribus collati, numero longè essent inferiores, tamen labore & assiduitate illos superarent; spem suam de Mariano ac Perlæo expugnandis, paullùm remisère. Et cùm de nocte, munitiones nostrorum, inter secturas aggeris, excitatas, oppugnare aggressi essent, ita sunt excepti, vt non paucis suorum desideratis, recipere se coacti fuerint.

Decimâ quintâ Iunij manè, Legio Germanica Adelshouij, quæ ductore Io. Bapt. Piccio, Italo, Tribuni optione, Luxemburgo adueniens, prope Lyram pridie accesserat, cum aliis aliquot cohortibus, Antuerpiam transiit, & ad Beuerana Castra, nostris subsidio profecta

XV. IVN. Legio Germanica Adelshouij, Beueram tendit.

fecta est. Nec semel conatus est hostis Prætorium eius loci occupare, sed à nostris fortiter est repulsus.

Princeps Arausinus exploratū mittit, de successu expeditionis Gul. Nassauij. Intereà Arausinus ad Bergizomium hærebat, donec (quod frustrà exspectabat) Mariano & Perlæo, Castellis, per Gul. Nassauium expugnatis, ac Wasiano tractu, qui Antuerpiæ obiacet, aquis merso, mox ipse suis adductis copiis, Vrbem Terrâ cingere posset. Itaque anxius de successu, equitum turmas quatuor miserat, qui Berchemij (est is suburbanus Antuerpiæ pagus) turrim conscendêre: atque inde tubis opticis trans Scaldim auidè speculati sunt, an Flandrici littoris aggeribus perfossis, aqua Wasianam regionem iam inundasset. Sed vbi sicca omnia, & florentissimas exercitus Regij Legiones volitare passim conspexêre, haud accepta Arausino nuntia attulerunt.

Serenmus Princeps FERDINANDVS Antuerpiam venit. Mox à meridie Serenmus Princeps FERDINANDVS, vnà cum Roderico Paciæco, Cerralbi Marchione, Mexici olim Prorege, nunc Legato Regio; Carolo Philiberto, Marchione Estensi, Ordinis aurei Velleris Equite, plurimisque aliis proceribus stipatus, Antuerpiam venit. A Consule Vrbis statum audit: ciuesque omnes (si res ita ferat) pro Catholicæ Maiestatis obsequiis extrema quæque pati paratos, intelligit. Mœnia mox & propugnacula lustrauit, omnibusque quæ necessaria erant, cautè prospexit: ac vniuersæ Vrbi præsentiâ suâ incredibiles animos addidit.

XVI. IVN. Batauorū & Regiorum in Calloano aggere pugna, alternante victoriâ. Decimâ sextâ Iunij, hostis in Regios, primam aggeris secturam, Calloam inter & Marianum, propugnantes, grauem impressionem fecit, eosdemque post conflictum non ita longum, inde eiecit. At Regij, resumptis animis, hostem vicissim pellunt. Is nouas è Calloâ suppetias nactus, secundò nostros aggressus, rursum loco potitur. Mox tamen, (Marte alternante) iterum à Regiis pulsus, non sine ingenti clade. Nassauius ignauiam suorum incusans, ni locum denuò occuparent ac tenerent, non virorum fortium, sed ignauorum numero illos abs se habitum iri, testatus est. Quæ res adeò eos pupugit, vt vitæ prodigi, tertiò Regios aggressi sint: ac post acre certamē, eos expulêre, locumq; tutati sunt.

Municio illa inter secturas aggeris excitata, eiusmodi erat, vt, si suggestum ibi cum tormentis aliquot currulibus hostis collocasset, pontem Castelli Mariani haud difficulter disiicere, ac præsidiarios omnes pyrobolaribus globis (mala Punica vocant) iniectis, perdere potuissent. *Vulgò Granades.* *Fontani Comitis Prouidentia.* Quod vbi à Fontano Comite, qui properè ad Marianum accurrerat, animaduersum est, hostem protinus ex eo loco pellendum esse decreuit, tametsi vel mediæ Legionis internecione res ea statura esset. Eiusque oratione Regij ita in hostem animati sunt, vt munitionem istam non tantùm recuperare, sed & in posterum, aduersus omnem hostilem impressionem tueri & seruare spoponderint.

Hostis, munitione in aggere excitatâ, expulsus. Quare circa horam decimam vespertinam, eo animi ardore tam supernè ex aggere, quàm vtrimque à lateribus, Batauos aggressi sunt, vt post acerrimum conflictum eosdem eiecerint, & munimentum expugnarint. Quod ipsi, dolabrâ non minùs, quàm gladio, pugnantes, sudibus acuminatis hamatisque vndique obsepsêrunt, fortiterque deinceps propugnarunt. Atque in eo conflictu octoginta circiter è Batauis cecidêre. Quin immò Legionis Brionicæ miles vnus, in hostis conspectu, densâ glandium circa ipsum volitantium grandine contemptâ, domos aliquot stramine tectas, ante ipsam Calloam, igne iniecto succendit.

Fonclarus Comes ad Beueranū aggerem missus. Eodem die, ad Beueranum aggerem, qui versus Calloam protenditur, Comitem Fonclarum, cum Legionis suæ decem cohortibus, Princeps misit, vt assumptis secum septin-

ſeptingentis Germanis Legionis Adelshouiæ, cœptis hoſtium operibus ſeſe obiiceret: aggerem quoque interſecando, nouaſque munitiones excitando. Quod quidem câ diligentiâ & progreſſu ab illo præſtitum eſt, vt vlteriores Batauorum irruptiones eluſerit.

Dum iſta in Waſiâ ad aggeres geruntur, arcis Antuerpianæ Præfectus arbuſta omnia & ſepimenta, intra quingentos à mœnibus paſſus, ne hoſtibus latebræ eſſe poſſent, ſterni & exſcindi, colleſque æquari, ac foſsiones impleri à Caſtri præſidiariis iuſsit. Idem quoque ad Vrbis mœnia à ciuibus, præſente Conſule, factum eſt.

Decimâ ſeptimâ Iunij, Conſules & Senatus, commeatu omnis generis, per Ærarij Præfectum, Henricum Halmalium, Henr. Cos. F. miſſo, Caſtellis proſpexêre. Ingenſque pulueris nitrati, globorumque pyrobolarium, aliuſque apparatus bellici vis è ciuitatis armamentario, eò tum aduecta eſt: vini item abundè, cereuiſiæ, carnis, caſei, tabaci, ac medicamentorum copia; non publicis tantùm impendiis, ſed & priuatâ multorum munificentiâ. De Fabrorum etiam Collegio, viginti ad Marianum miſsi ſunt, qui vigilum in aggere ſtationes munirent, pontibus, aliiſque rebus neceſſariis fabricandis operam darent. Sed & naues plurimæ faſcibus & virgultis plenæ, eò directæ. Atque interim velitationibus & acceſsibus ad aggeres paſsim certabatur: ac tormenta grauiora vtrimque, dies noctéſque, tonabant & fulminabant. Iamque Fama per vniuerſam Batauiam, vicinoſque tractus percrebuerat, Marianum quoque & Perlæum eſſe capta: ipſamque (ſi Diis placet) Antuerpiam arctâ obſidione cinctam eſſe, falsâque ſpe animos hoſtium erexerat. *XVII. IVNII. Conſules & Senatus Antuerp. commeatū ad Caſtella mittunt.*

Decimâ octauâ eiuſdem menſis, Naſſauius animaduertens, quòd ad Marianum nihil proficeret, alibi Fortunam tentandã cenſuit. Acerrimam itaq; irruptionem in Beuerana caſtra à peditibus mille & ducentis, quibus turmæ aliquot equitum iunctæ erant, fieri imperauit: & præcipuè in Hiſpanos, qui ſub Comite Fonclaro, ſtationem ſuam ibi tuebantur. Quòd autem militum propè media pars caſtris ligone muniendis intenta eſſet, pugna Batauis initio non infeliciter ceſsit. Sed vbi, armis arreptis, Hiſpani & Germani vnà cum equitatu, commilitonibus ſuis ſuppetias tulêre, illico fuſus fugatuſque ceſsit hoſtis, pluſquam quinquaginta è ſuis, deſideratis: inter quos Mauritius, Gulielmi, Comitis Naſſauij, filius vnicus, adoleſcens annos circiter viginti quatuor natus, ſpei apud Batauos maximæ. Is vbi decoris auidus in noſtros acriùs eſſet prouectus, primò ab Hiſpanis captus erat, & in fidem acceptus. Sed vbi ſuos, reſumptis animis, nouam in noſtros impreſſionem facere vidit, elabi manibus Victorum, & effugere conabatur. Quæ res illi exitio fuit: tribuſq; illico glandibus traiectus interiit. Et quamquam nihil frequentius ſit, quàm militem in acie mori; nihilominùs tamen, vltores Superos eius necem maturaſſe, haud vanè apparuit. Siquidem is ipſe Mauritius, pridie antequàm occumberet, Deiparæ, vrbis Antuerpienſis Patronæ Tutelaris, imaginem, quæ in Calloano templo religioſè colebatur, ignibus tradi, proximaſque item SS. Petri & Paulli, Apoſtolorum, effigies ibidem comminui, & in fruſta ſecari, impiè iuſſerat. Vnde conſtat, rectè ab Hiſtoriæ Romanæ Principe eſſe dictum: *Omnia proſpera eſſe colentibus Deos, aduerſa ſpernentibus.* *XVIII. IVNII. Batauorũ in Beuerana Caſtra irruptio.* *Mauritij, Comitis Naſſauij, mors.* Vide Hierarchiam Marianã *R.P. Bart. de los Rios*, initio. Et librũ de Succeſſib. anni M. DC. XXXVIII. Madriti editum.

Eâ plagâ non tam ipſius Mauritij, quàm eius parentis, Gulielmi, Comitis Naſſauij, vitalia icta crederes. Etenim ille poſt amiſſum filium vnicum, exulcerato pectore, non ſatis ſibi conſtare, ac mandata præpoſtera dare viſus eſt. Denique fugæ, adeoque totius expeditionis infauſtum exitum hinc fluxiſſe, è captiuis præcipui retulêre. Tamquam iſtâ cælitùs illatâ plagâ, & filius & pater, atque in patre exercitus omnis, manifeſtum exitium adiiſſe videretur.

Cùm hostis sese in tutum recepisset, suis quoque Fonclarus Comes receptui signum dedit, cœptosque iam accessus ad castra hostilia promouêri iussit. Atque eâdem etiamnum nocte, commodam loci cuiusdam stationem occupauit ac muniuit. Quo factum est, vt hostis excubias suas equestres amouêre & reuocare coactus fuerit.

Marchionis Ledæi à Mosâ aduentus. *Fabricius Auria.* *Octauius Guascus.* *Conrad. Aubremontius.*

Et iam è Transmosano tractu Ledæus Marchio, cum equestribus pedestribusque copiis suis, appulerat: quas inter decem erant Cohortes Hispanæ, & Legio Italica Fabricij Auriæ, Ducis Auellani; Germanica item, Octauij Guasci. Cantelmus quoque Brugis aduenerat, & Legiones Tribunorum, Conr. Aubremontij, Ribaucurtij Toparchæ; Hennini, Criquij, aliæque. Adeò vt iam ad decem mille hominum exercitus præstò esset.

Concilium Bellicum in Veriâ habitum.

Itaque, circa vesperum Seren^mus Princeps FERDINANDVS Concilium Bellicum conuocari in Veriam iussit. Est id trans Scaldim, ad Flandriæ caput, è regione Antuerpiæ, munimentum: quò pridie antè cohors centum & viginti ciuium armatorum præsidio accesserat. Interfuêre illi Concilio Cerralbus, Estensis, & Ledæus, Marchiones; Feriæ, Fontani, Fonclari, ac Grobbendoncquij, Comites; Philippus de Syluâ, Andr. Cantelmus, Claudius de Rie, Baro Balansonius; Dux Auellanus, Aubremontius, aliique.

Ibi FERDINANDVS, Ducum clarissimorum sententiâ auditâ, ac Virtute, ardoreque incredibili perspecto, hostem ex occupatis Castellis, vi omni ac contentione eiiciendum esse, decreuit, antequam vlteriùs se muniret, aut suppetias à suis acciperet. Quare machinæ æneæ maiores, quæ Mechliniâ aduectæ erant, ad Beuerana Castra missæ sunt.

Hostis quoque tormenta aliquot currulia è Batauiâ iam acceperat. Quæ si tempestiuè ille locis suis collocasset, difficulter sanè, & non nisi maximo cum discrimine, in hostiles munitiones impresio à nostris fieri potuisset. Sed quòd tormenta locis palustribus tracta cœno haurirentur, cratesque ac sublicæ illis ducendis aduectæ non essent, consultum omnino nostris visum est, hostem, morâ omni abruptâ, aggredi. Iam enim is copiarum numerus aduenerat, qui impressioni inferendæ & continuandæ par esset. Neque ignorabat sagacissimus Princeps, potissimum Victoriæ momentum esse, Occasione vti: Celeritatemque in Bello quandoque plus prodesse, quàm Virtutem.

XIX. IVN. Ergo sequenti die, apparatus bellicus vndique est acceleratus, & tormenta currulia è Castris Beueranis ad nouos suggestus adducta & partita sunt: vt trifario assultu, vno eodemque tempore, hostis inuaderetur. Et desiderasset quidem Seren^mus Princeps, etiamnum illo die Batauos aggredi; sed commodè id fieri nequiit, quòd peditatui ad designatas stationes accedendi haud sat temporis fuisset.

XX. IVN. Vigesimâ Iunij, rebus omnibus ad oppugnationem necessariis iam procuratis, à FERDINANDO est mandatum, vt generalis assultus nocte concubiâ fieret; regionibus in hunc modum designatis:

VERBROCANI CASTELLI oppugnatio, Ductore Cantelmo.

Primo agmini Verbrocani Castelli expugnatio demandata est. Tuebantur illud Præsidiarij ferè ter mille & quingenti. Nempe cohortes Legionum Gulielmi & Henrici, Nassauiorum: Germanicæ item, Erenreuteri; & Scoticæ, Standlini, Tribunorum. Impressionis huius caput erat Andr. Cantelmus. Ducebat ille Hispanos mille: quingentos nempe è Legione Ant. Sanctij ab Auilâ & Toleto, Marchionis Veladæ; totidem è Legione Comitis Fonclari selectos. His adiunctæ, Legio Italica Fabricij Auriæ, Ducis Auellani; & Germanica Flor. Fossæ, quæ Luxemburgo aduenerat: Ribaucurtij item & Criquij Legiones. Atque hæ omnes numerum quatuor mille & quingentorum militum explebant.

Accedebant his octo equitum turmæ, Duce Iosepho Soribâ. Dextrum cornu Hispani, læuum Itali; Legio Walonum Criquij postremum agmen, tuebantur. Ribaucurtio iniunctum, vt, signo dato, à Vrasemiano aggere hostes cum Legione suâ assultaret.

Cantelmus ex superiori parte, quæ Hulstum respicit, eo impetu munitiones Batauorũ aggressus est, vt insultu suo primam eorum stationem occuparit, Centurione, qui excubias ibidem agebat, & quinquaginta militibus cum illo cæsis. Illicò Hispani progresi ad primam & secundam aggeris secturam lateris dextri; Itali versus alterum latus. Nec densissimâ è maioribus sclopis missâ grandine territi, hostem vltra secturas decem, munitionibus expugnatis, propulerunt: eumdemque, adusque Castelli fossas, persecuti sunt. Cantelmus inuictum animi robur hic ostendit, & obliquâ sclopi glande ictus fuit. Is bina tormenta grauiora, oportuno loco, in aggere aduerso collocarat, quibus graue hostibus damnum inferebat. Dux Auellanus pares animos gerebat, in fronte Legionis suæ fortiter pugnans. Et primâ quidem aggresione, pyrobolari sphærâ læuum eius genu grauiter læsum est, vt exire acie coactus fuerit. Nec vitæ periculo vulnus illud carebat. In hoc conflictu duo Centuriones Hispani, Ioannes Feliz, & Ioan. Roccafula, ab hoste capti sunt. Prior cum aliquot sociis captiuis, in Castello hostili, Lifkenshocâ, contra fidem datam, à calonibus, lixisque, & popelli fæce, interemptus est. Alter etiam, licet quatuor grauissimis vulneribus in acie læsus, eodem vulgi furentis impetu oppressus fuisset, nisi à satellitibus, eius custodiæ inuigilantibus, esset seruatus.

Hostis assultum Regiorum fortiter excepit. Ita vt ex cohorte Gulielmi Nassauij, quæ centum viginti quinque capita numerauerat, non vltra quindecim superfuerint. Cæsi autem tum ex hostibus facilè quadringenti, vt de læsis longè pluribus nihil dicam. E nostris, centum triginta occubuere: saucij trecenti & quinquaginta. Quos inter Antonius Verdega, & Dominicus de Bossebais, Centuriones Hispani. Tres item Centuriones Itali, Legionis Aurianæ; Franciscus Podericus, Hieronymus Fina, & Ioan. Stephanus Gentilis. Itemque Fossæ Tribuni optio, Martauius: Boxhornius & à Portâ, Centuriones Legionis Ribaucurtij: multique alij, quorum nomina sunt ignota.

CALLOÆ oppugnatio, Comite Fonclaro, Ductore.

Altera impresio facta est ex parte Castelli Mariani, in munitiones & Castellum Cal-loanum. Comes Fonclarus (cuius & in nobilisimo illo ad Norlingam certamine Virtus enituerat) huic rei exequendæ erat præfectus. Aderant illi Legionis suæ Cohortes Hispaniorum quindecim reliquæ, cum Legione Catriziâ: atque aliæ nonnullæ, è Demeræ, Herentaliæ, & Lyræ, præsidiis; quæ post pugnam acerrimam, hostem è secturis aggeris expulerunt: asidueque illi instando, cum Fontano Comite, qui à dextrâ parte incumbebat, omnes prætenturas suas illum deserere, inque Castellum se recipere compulerunt. Quâ quidem in re Hispani & Walones virtutem incredibilem, & prodiga vitæ suæ pectora palàm commonstrarunt: quòd hostis eò loci duplicibus munitionibus, viis coopertis, loricis, aliisque propugnaculis egregiè vallatus esset. Quæ tamen nihil ei profuêre; at excedere omnibus coactus fuit. Adeoque Hispani ex eâ parte etiam prope Castellum, ad ipsam sudium præpilatarum sepem penetrarunt: in quam hostis densisimam saxorum grandinem asiduè effundebat. Vnde plurimi grauiter fuère læsi. Hic supra ducentos è nostris cecidêre. Inter quos eminebant duo Centuriones Hispani, Iosephus de Vergarâ, & Matthias de Lizarrazo. Itemque, Ægidius Happardus, Ioan. Cos. Antuerp. F. Legionis Catriziæ Centurio.

 Tertiæ

Hostilium Castrorum to BRVXELLANO AGGERE oppugnatio. Marchionis Ledæi, Ducis fore.

Tertiæ aciei, ad Beueranum aggerem, Marchio Ledæus præerat. Adiunctæ illi Legiones Germanicæ Tribunorum, Adelshouij, & Octauij Guasci: item que Legio Walonum, Brionij, cum binis Hispanorum cohortibus, & sex turmis equitum, ductore Malleâ. Non minore contentione animisque hic pugnatum, quàm ad Verbrocam & Calloam: hostesque magnâ munitionum suarum parte expulsi sunt. Ac durauit generalis hic assultus per horas nouem. Dumque ista gererentur, tormenta bellica vtrimque horrendum in modum fulminabant. Ita vt supra mille currulium tormentorum ictus numeratos constet. Plurimi interim sacrorum Ordinum Religiosi, de Societate Iesu, Franciscani, Carmelitæ excalceati, Capuccini, aliique, Antuerpiâ ad Castra aduolabant, qui incredibilem in militibus animandis, faucisque ac moribundis curandis, consolandis, noxisque illorum expiandis, operam & sedulitatem adhibuerunt.

Apparatus ad alteram in hostes impressionem.

XXI. Iun. Sequenti die, ingens sarmentorum ac fascium copia, quibus fossæ Calloam ambientes opplerentur, nauibus plurimis ad Marianum munimentum delata est. Recentes quoque peditum copiæ ex arce Antuerpiensi eò accessêre. Multa item tormenta ænea, omnisque generis commeatus bellicus eòdem aduectus est, vt nocte insequenti, denuò generali assultu in hostem impressio fieret. Nassauius naues plusquam sexaginta aduentare cernens, existimabat iis aduehi copias Cæsareas, ab Octauio Comite Picolomineo, è Germaniâ adductas, quæ pridie antè, Lyram inter & Mechliniam, peruenerant. Itaque grauissimam stragem metuens, quòd propugnaculis & prætenturis suis nocte præcedenti amissis, obrui facilè atque opprimi à nostris posset; tempestiue se cum præcipuis quibusdam Militiæ ducibus subduxit: famâ in suos sparsâ, recentes se Legionum aliquot suppetias, quæ in proximo iam erant, adducturum. Atque ita ad munimentum Lifkenshoecam peruenit.

Gubernatoris Nassauij Fuga.

Hostes, qui in Calloâ agebant, ductore & capite suo iam destituti, cùm animaduerterent eâ nocte duriùs longè secum actum iri, quàm præcedenti factum fuerat, remque spectare ad seditionem inter milites Tribunos, ob exercitus Præfecturam; postremò statuerunt per noctis tenebras, antequàm Regij in eos assultum facerent, clàm se recipere. Itaque suis, qui Verbrocam præsidio tenebant, significarunt, vt sine strepitu digressi ad se accederent. Paruerunt illi, centum & quinquaginta tantùm præsidiarijs in munimento relictis.

Comes Fonclarus, circa decimam Vespertinam, animaduertens præter morem in Calloâ silere omnia, è suis quosdam ablegauit speculatum, quid hostis moliretur. Illi, excubijs nullis repertis, fugâque Batauorum perspectâ, illicò eius rei certiorem fecêre Fonclarum: qui sine morâ, cum suis Castellum occupat, præsidioque munit, & cum reliquâ copiarum suarum parte fugientium tergo instat. Cùm Marchionem Ledæum de eâ re monuisset, is cum omnibus cohortibus suis Fonclaro se iunxit. Cantelmo quoque idem significauit: qui ad Verbrocam parem hostium fugam deprehendens, animosè in eosdem inuectus est. Is autem erat illorum pauor, vt confusis ordinibus palantes passim dilaberentur: è quibus plurimi à nostris interfecti sunt. Stagnantia Scaldis incilia pontibus hostis strauerat: at illis ob fugientium multitudinem ruptis, infinitigurgitibus hauriebantur. Multi natandi gnari in aquas insiliebant: sed quòd ob recessum Scaldis, minùs altæ illæ essent, in luto hæsêre. Ita vt haud multò pauciores tribus millibus, in hac fugâ cæsi aut mersi credantur. Reliqui iuxta Calloæ Templum in herbidâ planitie, varias in

Exercitus Batauici fuga.

cateruas

cateras distincti, musquetariorum nostrorum vndique ingruentium grandine percussi, arma & vexilla submisére, & in fidem (quæ illis promissa) recipi rogarunt. Captaque illicò supra tria hominum millia. XLIX Vexilla. XXIII Tormenta bellica. LXXXV Naues, omnis generis commeatus plenæ: è quibus deinde Scaldi ad Antuerpiam Pons est instratus. Præda ingens Regiis cessit: inter alia, supellex argentea Gul. Comitis Nassauij. Adeoque facilè vel ad binos millliones hæc clades Batauis constitit. *Capta Batauorum fera tria millia.*

Vbi nobilissimæ huius Victoriæ nuntius, à Fonclaro Comite è Calloâ iam receptâ primo mane missus, Antuerpiam ad Serenmum Principem FERDINANDVM peruenit, ineffabili gaudio omnium animos perfudit. Atque eodem die, circa horam vndecimam matutinam, publicæ Lætitiæ signum, maioris campanæ sono datum est: Decoque Opt. Max. pro Cæsesti Victoriâ gratiæ actæ, solemni Carmine, *Te Deum laudamus*, suauissimis modulis in Cathedrali Ecclesiâ decantato: quò Princeps cum Aulâ vniuersâ, Vrbis Antistes, & Decanus cum Canonicorum Collegio, ac Magistratus Vrbis accesserant, incredibili ciuium multitudine eòdem confluente. Deinde FERDINANDVS, cuius singulari Prouidentiæ & inuictæ Virtuti eam de Batauis Victoriam Deus indulsit, magno Procerum comitatu stipatus, Beueram, Calloam & Verbrocam accesit, hostilesque munitiones spectauit: quæ tales erant, vt plurimi, rei militaris gnari, iis ante assultum conspectis, asseruerint, inexpugnabiles illas videri. Captiuorum etiam ingentes cateruas lustrauit: qui vnicum sibi in ea calamitate solatium esse fassi sunt, à tam benigno Principe victos se esse. Certè & sauciorum hostium sedulam curam haberi, nec aliter quàm suos milites, medicamentis fomentisque adhibitis, iuuari mandauit. Vt non ciuium tantùm suorum, sed & captiuorum hostium seruator, Austriacâ quadam Clementiâ, dici mereretur. *XXII. Iun. publica Antuerpiensium, & Calloanam Virorum, Lætitia.* *FERDINANDI Principis in captiuos Benignitas.*

Infinita quoque omnis ordinis ac sexus multitudo portis effusa, ad loca Batauorum clade nobilitata properauit: cæsorum mersorumque corporum aceruos, captiuorum greges, campum armis omnis generis, galeis, sclopis manuariis, hastis, thoracibus ferreis, sparsum spectauit ac obstupuit. Et vix quisquam fuit, quin aliquam spoliorum & manubiarum hostilium partem secum deferret.

Calloanæ Victoriæ Fama Orbem vniuersum latè personuit: nouæque huius Laurus accessu, partæ Antuerpiensibus eodem loco, iam supra centum & quinquaginta annos, Victoriæ gaudia ciuibus renouauit, ingeminauitque, Anno etenim M. CCCC. LXXXIV. post MARIÆ Burgundionum ac Belgarum Principis, quæ MAXÆMILIANO, Austriæ Archiducì, nupserat, præmaturum obitum, ob Filij eiusdem impuberis, PHILIPPI cognomento PVLCHRI, Tutelam, grauissimi apud Belgas motus erant exorti. Et de Flandris nonnulli, Coppenollianâ factione, Francorum artibus inflammatâ, ducti, à Brabantis (qui Maxæmilianum Filij sui Tutorem legitimum declarauerant) dissidentes, abrupto commercio, suos omnes ad Antuerpiensium nundinas accedere, graui pœnâ vetuerant. Quin & Munimento ad Calloam excitato, & præsidiis validis, tormentisque bellicis, firmato, Batauorum, Zelandorum, aliarumque gentium naues, mercimonij gratiâ Antuerpiam petentes, aut inde redeuntes, infestabant, & intercipiebant. Non tulère eam iniuriam Antuerpiani: & re cum Maxæmiliano Principe communicatâ, ac pecuniâ in Belli sumptus oblatâ, ab eodem Germanorum ac Heluetiorum cohortes aliquot auxiliares impetrarunt. His se Antuerpiensium ciuium armata Collegia iunxére, Ductore Ioanne Ranstio, Vrbis Prætore. Illi Munimentum illud vi expugnatum dirúere: præsidiariis *Victoria altera ad Calloam parta, Anno M. CCCC. LXXXIV.*

Gerard. Roose Annalij Austriac. lib. 11. Petri Heuteri Rer. Belgic. libri 1. Francis. Haræi Annal. Belgicor. Tomo 1. Matthæi Histor. Austriacæ M. S. Oliuarius Marianus, aliique.

omnibus cæsis,& ad internecionem deletis.Ingentique prædâ & manubiis onusti domum reuersi sunt, nauibus XLVIII. secum Antuerpiam adductis. Obtigit ista Victoria eo, quẽ diximus,anno, IX.Calend.Maij,die D.Georgio sacrâ.

Quinimò,ciuium Antuerpiensium Fides,illâ,atque aliis occasionibus,Maxæmiliano Archiduci spectata,causam dedit,vt deinde,traductis ad eos,Principis eiusdem beneficio, curâque,omnium gentium commerciis,ac præclaris eam in rem priuilegiis benignissimè indultis,in celeberrimum Orbis emporium Vrbs ista euaserit.

Ceterùm,vt ad recentis Laureæ gaudia reuertamur ; ingenti ciuium applausu, faustisque acclamationibus redux exceptus est passim Seren^mus FERDINANDVS Victor. Ac post triduum, Ignes triumphales totâ Vrbe luculenter exstructi sunt.

Liceat mihi (dum nostri nobis versus sordent) illud Epinicium,quo olim ALEXANDRO FARNESIO, Parmensium Duci,& Belgicarum Prouinciarum Gubernatori, post restitutam Regiæ Maiestati,& Catholicæ Religioni ANTVERPIAM, gratulata est summi Litterarum & sacrorum Principis Musa, vt pulcherrimum acroama FERDINANDO CALLINICO accinere:

NVLLA TVAS POTERIT LAVDES ABOLERE VETVSTAS,
DVM SCALDIS TVMIDVM RAPIDIS IRRVMPET IN ÆQVOR
FLVCTIBVS, ET STABIT CELSIS ANTVERPIA MVRIS:
BELLICA DVM BELGÆ, SOBOLES, NOMENQVE MANEBIT.

Maphæus Cardin. Barberinus nunc VRBANVS VIII. PONT. MAX. Eclogâ *Alexander.*

AVDOMAROPOLIS, Paucis verò diebus post Calloanam de Batauis partam Victoriam,Franci ad AVDOMAROPOLIM, Artesiæ Vrbem,fusi fugatique sunt,& validissimis, Nieurleto, Bacquio, aliisque Munimentis, inuictâ Virtute expulsi, obsidionemque coacti soluere ; eiusdem Principis fortissimi,FERDINANDI,Auspiciis; ductu Ser^mi Carinianensium Principis, Thomæ, & Excell^mi Comitis,Octauij Picolominei,qui suppetias à Cæsare oportunè adduxerat.

Adi librum *Iul. Chiffletij* de Audomaropoli obsessâ & liberatâ.

GELDRIA, Cùm deinde Batauí, mense Augusto, velut acceptum paullò antè ad Calloam opprobrium vindicaturi,in Sicambros mouissent,vrbemque GELDRIAM obsidione cinxissent ; Seren^mus Princeps FERDINANDVS cum florentissimis copiis eòdem aduolauit, hostesque denuò, nouâ clade attritos in fugam egit, Vrbemque metu ac discrimine liberauit.

FONTARABIA, Dum ista in Germaniâ inferiore apud Belgas, à FERDINANDO Principe fortiter geruntur; inuictissimus Hispaniarum Indiarumque Rex, PHILIPPVS IV.felicissimis Auspiciis suis,Francos, qui FONTARABIAM in Hispaniis, duce Condæo Principe, arctâ obsidione, terrâ marique, vallarant, castris exuit, maximâ exercitus parte cæsâ, mersâ aut captâ: tormentisque omnibus bellicis & impedimentis, spoliisque opulentissimis Victor potitus est ; dum paullò antè in Italiâ Bremium & Vercellas iisdem extorsisset.

Vide Commentarium de *Fontarabiæ* obsidione solutâ :& Successibus Anni M. DC. XXXVIII. Madriti editum.

Et quasi Orbis vnius finibus circumscribi sese haud passa AVSTRIACORVM Victoria; BAYA, *in nouo Orbe,* Batauos,qui BAYAM de Sanctis omnibus nomen sortitam, in Orbe nouo, apud Brasilos,obsederant, ingenti clade illatâ,cecidit & fugauit : eosdemque ab Argentiferâ Classe, cui,ad Cubam Insulam, insidiabantur, feliciter auertit.

Quin & in Germaniâ superiore, dum Carolus Ludouicus, Frederici olim Comitis Palatini Filius, numeroso exercitu comparato, ac Succis Hessisque fœderato, Meppenæ

næ ad Amisium, Westphaliæ flumen, Belli sedem constituisset; oppidum istud Imp. Cæs. FERDINANDI III. Aug. inuictis armis, cum vniuerso apparatu bellico, est occupatum. Accesit mox LEMGOVIÆ, (est ea Comitatus Lippiæ metropolis) ab eodem Carolo Ludouico infeliciter tentata Obsidio, eamque secuta grauissima stragis: Palatino ipso, per fugam præcipitatâ in Visurgim rhedâ, penè submerso, ac fratre eius, Roberto, à Cæsarianis capto, Lintziumque, & deinde Viennam, in Austriam, adducto. Vt nempe, quantum illa Augustissimæ Domus AVSTRIÆ Sceptra, per omnes terras fulgentia, haberent hostium; tantum quoque Laurearum ostenderent & Triumphorum. LEMGOVIA, *Obsidione liberata.*

*ALBERTVS II. Aug. Rex Hung. & Boëmiæ, Archidux Austriæ, Anno MCCCC XXXVIII. Imperatoris est renûntiatus. Et eiusdē AVSTRIACI Cæsaris comitiorū serie, feliciter impetrate.

Atque vt nobilissimam Temporis Epocham, tot Sertis Obsidionalibus, Cruicis, ac Triumphalibus illustrem, ad Posteritatis memoriam consignemus; gesta sunt ista Anno Salutis Humanæ Millesimo, Sexcentesimo ac Trigesimo octauo: qui est *IMPERII ROMANO-AVSTRIACI CONTINVI ANNVS BIS-SÆCVLARIS.

LAVREÆ CALLOANÆ

FINIS.

Cccc TABV-

DESCRIPTIONIS
POMPÆ INTROITVS
SER^MI PRINCIPIS FERDINANDI AVSTRIACI, HISPANIARVM INFANTIS, ETC.
IN VRBEM ANTVERPIAM,
SYNOPSIS.

TABVLA PRÆLIMINARIS, seu Frontispicium: in cuius fastigio PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumq; Regis, Belgarum Principis, cernitur Effigies.
Eiusdem Tabulæ breuis Explicatio, tertiâ à Dedicatione, Paginâ.

EFFIGIES Seren^mi Principis FERDINANDI AVSTRIACI, Hispaniarum Infantis, &c.

PROFECTIONIS EIVSDEM IN BELGIVM, SVCCINCTA NARRATIO.

Paginâ 1.

FERDINANDVS, Barcinone soluit: Genuam appellit, Mediolanum venit.
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Hispaniarum Infantis, Belgarum Gubernatricis, Obitus.
FERDINANDI III. Hungariæ ac Bohemiæ Regis: & FERDINANDI, Hispaniarum Infantis, ad NORLINGAM Victoria.
Wirtembergica Prouincia, subacta.
FERDINANDVS Coloniam venit: Brabantiam ingreditur, Bruxellam intrat.
Aquilæ binæ in Brabantiam aduolant.
ANTVERPIENSIVM Congratulatio, de Seren^mi Principis ADVENTV. Iac. Edelherij, I.C. Syndici, Oratio.
FERDINANDVS Grauelingam accedit: Brugas, inde Gandauum, inuisit.
Franci, Augustâ Treuirorum pulsi.
FERDINANDVS Antuerpiam petit.

PROGRESSVS SER^MI PRINCIPIS EX ARCE IN VRBEM.

Pag.5.

COmitatus eius, Nobilium & Procerum, Comitum, Principum, Aulæ Præfectorum, Ducum, Megistanum Ibericorum, aliorumque, Enumeratio.
Rob. Tucheri, Equitis, Cós. Oratio ad Principem.

PORTA CÆSAREA.

Pag.7.

EIus Descriptio.
Origo INSIGNIVM Vrbis Antuerpiensis, vnde?
MANVS, Virtutis Bellicæ & Fidei Symbolum, in priscis Numis.

LAVREA SER^MO PRINCIPI OBLATA.

Pag.9.

LAurus, cur VICTORIÆ Symbolum?
Lauro Delphicâ Triumphantes olim coronati.

ADVENTVS SERENISSIMI PRINCIPIS GRATVLATIO.

Pag.11.

SYNOPSIS.

PAcificator Habitus, in Statuis.
Septimij Seueri, M. Iul. Philippi, & Fl. Iouiani Augg. ADVENTVS, in eorum Numis expressus.
MARS GRADIVVS, vnde dictus?
FORTVNA, cum Gubernaculo, olim picta.
VICTORIA, cur alata, & præpes?
SALVS PVBLICA, cur Anguem teneat?
SPEI Statua.
Eadem, Diuinis honoribus olim culta.
SPES PVBLICA, SPES AVGVSTA, SPES FELICITATIS ORBIS, in priscis Titi, Hadriani, & Philippi Augg. Numis.
Gemmæ antiquæ Explicatio.
TEMPORVM FELICITATIS Icon.
LÆTITIÆ PVBLICÆ Icon.
GENIVS Vrbis Antuerpiensis.
VOTA PVBLICA.
PALMÆ Natura.
Ἐγκαίνια, vulgò *Festiues.*

NAVIGATIO Ser^mi Principis FERDINANDI, Barcinone Genuam. *Pag.15.*
AVSTER, Fulmine armatus.
ZEPHYRI Domicilium, Hispania.
VENTI Poëtis alati.
Columna Antoniniana illustrata, aduersus Baronium, Card.
BOREAS, Anguipes.
HIPPOCAMPÆ, cur sic dicti? Eosdem, Equos Neptuni rectè vocari, ostenditur.
Eorumdem, in priscis C. Marij, Q. Creperij, & Gallieni Aug. Numis, Icon.

CONGRESSVS Seren^morum FERDINANDORVM, ad NORLINGAM. *Pag.17.*
AQVILÆ Coronam Querneam & Fulmen vnguibus gestantes, in Octauij Augusti & Traiani Aug. Numis.
Danubij Icon, in Traiani & Constantini Augg. Numis.

ARCVS LVSITANICI PARS PRIOR.

Pag.19.

SYNOPSIS.

ÆGIDIS Mineruæ Descriptio. Cur sic dicta?
PERSÆ qui Architectis?
Equi Marini, Poëtis *Tripedes.*
PHILIPPI III. Hispaniarum Regis, auspiciis, PALATINATVS occupatus.
EMMANVELIS, Lusitaniæ Regis, auspiciis, ORIENS detectus, atque INDIA deuicta.

ARCVS LVSITANICI PARS POSTERIOR.

Pag.22.

SYNOPSIS.

BOni EVENTVS Simulacrum.
Idem, in Titi & Getæ Augg. Numis.
Papauer Securitatis, itémque Fœcunditatis, Symbolum.

FELICI-

FELICITATIS, itémque CLEMENTIÆ, Icon.
Hastæ olim pro Diis cultæ.
CARYATIDES, quæ Architectis?
ALPHONSI I. Lusitaniæ Regis, de ISMARO, Maurorum Rege, Victoria.
IOANNES I. Lusitaniæ Rex, ABYLAM, Africæ vrbem, expugnauit.
COLVMNÆ HERCVLIS, Calpe & Abyla.

ARCVS PHILIPPEI
PARS ANTERIOR.

Pag 25.

SYNOPSIS.

AVSTRIACÆ & BVRGVNDIACÆ Domus Vnitio, per Coniugium MAXIMILIANI, Archiducis Austriæ, cum MARIA, CAROLI, Belgarum & Burgundionum Ducis, Filiâ.
IVPITER & IVNO, Dij Coniugales.
PROVIDENTIÆ Icon. Cur alata?
OCVLVS Sceptro affixus, Regis Symbolum Ægyptiis.
MONARCHIA AVSTRIACA, Connubiorum iure, potissimùm creuit.
TEMPORIS Icon. *Circulum Autumni* cur gestet?
Imp. Cæs. MAXIMILIANI Aug. Liber de *Vitâ fœd.*
CHERVBINI GEMINI, Coniugij Symbolum Rabbinis.
Ignis in Nuptiis olim adhibitus.
HYMENÆI Statua.
PHILIPPEI ARCVS Dedicatio.
MAXIMILIANI, Romanorum Regis, Elogium, ex Hermolao Barbaro.
PHILIPPI I Hispaniarum Regis, Elogium.
Imp. Cæs. CAROLVS V. Aug. Gallorum Regem, Saxoniæ Ducem, & Hassiæ Principem, captiuos habuit.
Eius animi Moderatio & Clementia, capto Gallo.
PHILIPPVS II. Hispaniarum Indiarúmque Rex, Lusitaniam Cæstellæ Regno adiunxit.
PHILIPPVS III. Hispaniarum & Indiarum Rex, Mauros Hispaniâ expulit.
PHILIPPVS IV. Hispaniarum Indiarúmque Res, GERMANIÆ, ab externis Gentibus pene oppressæ, succurrit.

ARCVS PHILIPPEI
PARS POSTERIOR.

Pag 35.

SYNOPSIS.

AVSTRIACÆ & IBERICÆ Domus Vnitio, per Coniugium PHILIPPI, Archiducis Austriæ, ac Belgarum Principis, cum IOANNA, Hispaniarum Infante.
Arcus Dedicatio.
IOANNÆ, Hispaniarum Infantis, in Belgium Aduentus.
CRONI, siue SATVRNI, Icon. Falcem cur gestet?
CYBELE, Mater Deorum, dicta. Cur Turrita?
Eiusdem Icon, ex Iulia Pia, & Faustinæ Augg. Numis.
Iugum Aureum, Coniugij Symbolum.
PHILIPPI I. Hispaniarum Regis, Liberi, in Cornucopiæ expressi vt in Numis Drusi, & Antonini Aug.
DELPHIN, Maris Imperij Symbolum.
Gemma vetus explicata.
MONARCHIÆ AVSTRIACÆ Typus.
INDIÆ ORIENTALIS Icon.
INDIÆ OCCIDENTALIS Icon.
Orbis Terræ à Prouidentiâ & Genio, traditus Tito, Neruæ, & Philippo Augg. in illorum Numis.
Theodosius Magnus Aug. Globo Cæsarum manibus gestari solito, primus CRVCEM infigi curauit.
CADVCEVS, Pacis studium; SPICÆ, Annonæ abundantiam; PAPAVERA, Securitatem denotant.
HESPERVS, Stellarum maxima, Hispaniæ Symbolum.
ZODIACVS, Æternitatis Symbolum, in Hadriani Aug. Numis.
SOL & LVNA, Æternitatis Symbola, in Numis Vespasiani & Traiani, Augg.
MONARCHIA AVSTRIACA, omnibus quotquot ab Orbe condito floruêre Imperiis, latior.
FERDINANDI CATHOLICI, Hispaniarum Regis, Elogium.
ISABELLÆ, Hispaniarum Reginæ, Elogium.
ERNESTI, Archiducis Austriæ, Belg & Burg. Gubernatoris, Elog.
ALBERTI, Archiducis Austriæ, Belgarum, &c. Principis, Elogium.
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Hispaniarum Infantis, Belgarum & Burgundiæ Principis, Elogium.
FERDINANDI, Hispaniarum Infantis, Belgarum & Burgundionum Gubernatoris, Elogium.

PORTICVS AVSTRIACA.

Pag. 43.

SYNOPSIS.

PORTICVS prisc æ, & in illis Heroum Statuæ.
AVSTRIA, olim PANNONIA SVPERIOR, dicta.
Eadem, iam olim Imperatorum Sedes.
PANNONIÆ, *Imperus grauida*, cur Aufonio dicta?
Augusta AVSTRIA Domus, supra omnes Cæsareas Familias, Imperium quàm diutissimè in Stirpe suâ feliciter seruauit.
ANICIÆ, Familiæ Romanæ, Elogium.
AVSTRIÆ Domus Insignia, eorumque Origo.
GRYPHES, Auri Custodes.
Reges Corona, Musis farta.
LEONIS, cur Insignibus, vt Custodes, adiuncti?
OSELISCI, ab Ægyptiis Numini SOLIS consecrati.
AQVILA, Legionum Insigne, apud Persas & Romanos.
Imperium Romanum, *Anchora sacra tantarum rerum humanarum*, Plutarcho appellatum.
AVSTRIA, Cor & Clypeus Romani Imperij.
PIVS FELIX, Imp. Cæs. CAROLI V. Aug. Symbolum, à quo excogitatum?
AVSTRIACI Imperij Amplitudo, Herculis, Bacchi & Alexandri Metas excellit.
Columnæ Herculis, Bacchi & Alexandri.
Gesta Principum, Statuis eorum præfigi solita.
AVGVSTVS Cæs. rerum à se gestarum Breuiarium in æneis Pilis incidi curauit, Romæ.

XII. CÆSARVM AVSTRIACORVM
BREVIA ELOGIA.

RODOLPHI I. Aug. Elogium. Pag. 51.
ALBERTI I. Aug. Elog. 55.
FREDERICI III. Aug. Elog. 57.
ALBERTI II. Aug. Elog. 59.
FREDERICI IV. Aug. Elog. 61.
MAXIMILIANI I. Aug. Elog. 63.
CAROLI V. Aug. Elog. 65.
FERDINANDI I. Aug. Elog. 69.
MAXIMILIANI II. Aug. Elog. 71.
RODOLPHI II. Aug. Elog. 73.
MATTHIÆ I. Aug. Elog. 75.
FERDINANDI II. Aug. Elog. 77.

ΔΩΔΕΚΑΘΕΩΝ
SIVE
XII. DEORVM CONSENTIVM
DESCRIPTIO.

Pag. 85.

ORIGO XII. DEORVM ab Ægyptiis.
Iidem cur CONSENTES dicti?
Dum vnum non pauci Gentilium agnouerunt.

Apollinis Simulacrum, cur Citharam gestet?
Palladis Simulacrum.
Eadem, Sapientiæ & militaris Roboris Præses.
Martis vltoris Simulacrum.
Cereris Simulacrum.
Eadem, cur *Legifera* dicta?
Ivnonis Simulacrum.
Vvlcani Simulacrum.
Idem, cur *Pileatus*?
Neptvni Simulacrum.
Vestæ Simulacrum.
Eadem, variis nominibus appellata.
Mercvrii Simulacrum.
Veneris victricis Simulacrum.
Cestus, Veneris Cingulum.
Iovis conservatoris Simulacrum.
Dianæ Simulacrum.
Venatio, Heroicum studium.
Symbola, xii. Cæss. Avstriacorvm.

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ

SERENISSIMÆ PRINCIPIS ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, HISPANIARVM INFANTIS, ETC.

Pag. 94.

SYNOPSIS.

Fvnalia & Faces in Funeribus olim adhibitæ.
Candelabrvm Mysticvm Hebræorum, septuplex.
Idem, quid designet?
Flores in Funeribus olim spargi soliti.
D. Isabella Clara Evgenia post Alberti Coniugis obitum Divæ Claræ habitum assumit.
D. Isabella Aragonia, Lusitaniæ Regina, *Regum Regnorumque Pacatrix*, dicta.
Divæ Isabellæ, Hungarica, Francica, Aragonica; Regum Filiæ, Cælitum catalogo adscriptæ.
Scutum & Caduceus, Belli & Pacis Symbola.
Equus, Belli Symbolum.
Serpens, Salutis Symbolum.

ARCVS FERDINANDINI

PARS ANTERIOR, IN QVA VICTORIA NORLINGANA.

Pag. 99.

SYNOPSIS.

Mos Arcvvm trivmphalivm Imperatoribus, post rem præclarè gestam, erigendorum.
Arcvs ab Impp. quorum Honori erant erecti, Nomen sortiebantur.
Prælii Norlingani Icon.
Ferdinandvs iii. Hungariæ Bohemiæq; Rex; & Ferdinandvs, Hispaniarum Infans, Collem ad Norlingam, prouidè occupant & muniunt.
Aqvilæ binæ Draconem discerpunt.
Iuppiter, geminâ Aquilâ, alterâ ab Oriente, alterâ ab Occidente emissâ, Orbem mensus.
Aquilæ cum Dracone Bellum.
Eadem vt pullorum indolem exploret?
Seren^morum^ Ferdinandorvm, in Prælio Norlingano, Fiducia & Robur.
Eorumdem Concordia.
Pietatis Statua.
Ferdinandi iii. Hungariæ & Bohemiæ Regis, Elogium.
Noctva, cur Palladi sacra?
Claua Hercvlis, Oleaginea.
Avrora alata, Victoriae habitu, quadrigis vehens.
Captiui sub Trophæis, in summo Arcu.
Castores, cur pileati, & stellati?
Norlinganae Victoriæ cum Milburgicâ, collatio.
Norlinga olim à Carolo v. Imp. occupata.

ARCVS FERDINANDINI

PARS POSTERIOR, IN QVA TRIVMPHVS VICTORIÆ NORLINGANÆ.

Pag. 108.

SYNOPSIS.

Triumphantium splendor.
Bassi Epigramma in Germanicvm Cæs.
Radiata Imperatorum capita.
Nimbus, Deorum vel Imperatorum capita ambiens.
Vrbium captarum Simulacra in Triumphis exhibita.
Ducum Nomina in Signis prælata.
Victoria Norlingana, ipso die S. Victoris, relata.
Honoris Statua.
Virtvtis Statua.
Virtvtis Militaris Encomium, ex Aristotele.
Virtvs, Heroum Mater.
Liberalitas Regis Catholici, Philippi iv.
Idem, Locvpletator orbis terrarvm.
Eiusdem Providentia.
Idem, Restitvtor orbis terrarvm.
Nobilitatis Effigies.
Ivventae Effigies.
Iuuenes, à Iuuando, dicti.
Ivventae Spatium, ex Varrone.
Alexander Macedo ætatis suæ anno xxvi. Victoriam de Dario, ad Arbella, reportat.
Eiusdem ætatis cùm essent Seren^mi^ Ferdinandi, Norlingana Victoriâ potiuntur.
Scipio Nouam Carthaginem expugnat, ætatis suæ anno xxv.
Pompeius eodem ætatis suæ anno, de Hiarbâ, Africæ Rege, triumphauit.
Norlinga olim Βωμοὶ Φλαούιοι, Arae flaviae, dicta.
Lvciferi Laureati Effigies.
Idem, Equo Alato vehi, Poëtis dictus.
Io trivmphe, accini solitum Triumphantibus.
Concordia Exercitvvm, Cæsarei & Regij.
Fides Militvm.
Manvbiae, quid priscis?

TEMPLVM IANI.

Pag. 117.

SYNOPSIS.

Ianvs, antiquissimus Italiæ Rex.
Idem cur Bifrons?
Templvm Iani, à Numâ Rege conditum.
Belli Portae.
Fvror, in Iani Templo vinctus & catenatus.
Idem, cur pingatur cæcus?
Harpyiarvm Descriptio.
Harpyia Galeata & Clypeata in Numo L. Valerij.
Ægis, Lorica Iouis. Martialis explicatus: Seruij error.
Gorgonis caput, cur alatum?
Famis Icon. Cur caudata?
Pestis Icon. λοιμὸς μετὰ λιμὸν, Pestis post Famem.
Fames & Pestis, mala Diuinitus immissa.
Saevitiei militaris Icon.

Pavo-

PAVORIS & PALLORIS, Icon.
Idem, à Tullo Hostilio Rege, Templum erectum.
PAVPERTATIS & LVCTVS, Icones.
FACES INVERSÆ, Luctus Signum.
RIXÆ & DISCORDIÆ Icon.
VEXILLVM PVNICEVM, Pugnæ signum.
PACIS Typus.
CVPIDITATIS Descriptio & Interpretatio.
Numus Vespasiani Aug. aduersus Ioannem Tristanum, Sanctamantium, explicatus.
SERENA, Hostilitatis Belli, Symbolum.
Numus C. Cæs. Octauiani Aug. in quo gemini Angues, Victoriâ intermediâ, nouè explicatus.
Pacificatores, *Mèdes* dicti.
Numus M. Antonij III. Viri, interpretatus.
PAX inter M. Antonium & C. Cæs. Octauianum, Interprete Octauiâ.
Vrceolus, Expiationis Symbolum.
Vespasiani & Titi Augg. Itémque Cretensium Numis, lux data.
DRACO, Belli Symbolum.
Idem, Palladi Sacer.
DRACONES, inter Signa Militaria.
DRACO calcatus, Belli oppressi Symbolum.
Io. Tristani error, in Explicatione Gemmæ Cæsareæ, siue Achatis Tiberiani, qui in Gazophylacio Regis Galliarum, asseruatur.

Typus.
TRANQVILLITATIS,
SECVRITATIS,
ABVNDANTIÆ & VBERTATIS,
TEMPORVM FELICITATIS,
CONCORDIÆ,

Scuti, Scytharum Principis, Fasciculus.
IANI TEMPLVM. claudendi & aperiendi causa, aduersus Seruij, aliorúmque sententiam.
A quibus id clausum?
Votum pro PACE & CONCORDIA Christianorum Principum.
GOTHOFREDI BVLLIONII, Marchionis Antuerpiani, Expeditio in Terram sanctam.

ARBOR
GENEALOGIÆ AVSTRIACÆ.

Pag. 133.

SYNOPSIS.

IMp. Cæs. RODOLPHI I. Aug. erga SS. Eucharistiam, Cultus singularis.
Iusti Lipsij, de eâdem re, Epigramma.
CESARVM AVSTRIACORVM Pietas.
Philippi, Macedoniæ Regis, *sapi vinque, Bellum sacrum.*
PHILIPPORVM Hispaniæ Regum, in Catholicâ Religione propagandâ, studium.
Clementis VIII. Pont. Max. illustre eius rei Testimonium.

MERCVRIVS ABITVRIENS.

Pag. 147.

SYNOPSIS.

MERCVRII Simulacrum petasatum, & marsupium gestans.
Mercurius Belgis quondam cultus.
OPVLENTIÆ Typus.
COMI, Epularum Præsidis, Effigies.
PAVPERTATIS & INDVSTRIÆ Typus.
Paupertati & Arti Ara erecta, apud Gades.
Florentis olim Nauigationis apud Antuerpienses, Typus.
OCEANI Icon.
NEPTVNVS *ταυρόχρως, Terram continens.*
TRITONVM Icon.
ASTVRIÆ, Elogium, è Cardano.

ARCVS MONETALIS
PARS PRIOR.

Pag. 151.

SYNOPSIS.

POTOSII, PERVVIÆ mons Argentifer.
MONS AVREVS à Pompeio, in Triumpho de Mithridate victo, circumlatus.
MONETÆ Typus.
MONETA, ad commercium Generis humani, cusa.
NVMI Institutio.
COLVMNÆ Herculis.
SOLIS appellatione Aurum, LVNÆ verò Argentum, Alchymistæ denotant.
IASONIS in Colchos, ad VELLVS AVREVM rapiendum, Nauigatio.
VELLERIS AVREI Ordo, à Philippo Bono, Burgundiæ Brabantiæque Duce, institutus.
Per VELLVS AVREVM, quid Veteres designarint?
Auriferæ Mexicanorum & Peruanorum Regna, auspiciis Imp. Cæs. CAROLI V. Aug. Hispaniarum Regis, subacta.
Oues Aureis Velleribus conspicuæ ad Bætim, Hispaniæ Flumen.
DRACO PERVIGIL, Aurei Velleris Custos.
NAVIS, Felicitatis Symbolum.
CVNICVLVS, cur in antiquis Hispaniæ Numis, expressus?
Cuniculosa Celtiberia, Catullo dicta.
PERVVIVS Flumen, Regioni vniuersæ nomen dedit.
ARGENTEVS AMNIS, vulgò *Rio de la Plata.*

ARCVS MONETALIS
PARS POSTERIOR.

Pag. 155.

SYNOPSIS.

PERVVIS, Auri Argentíque venis opulentissima.
In POTOSINO Monte, Argenti vena lanceæ altitudine supra Terræ superficiem eminens.
Hispania, ÆRARIVM PRINCIPATVS PERPETVI.
Mons Argenteus, in Hispaniâ.
FVLMEN, olim Nota Moneralis.
FVLMEN AVREVM Aquilæ, Legionum Signa, vrguibus tenebant.
Idem, Ioui Capitolino consecratum.
HERCVLES AVREA MALA Hesperidum rapit.
Hesperidum Insulæ, vbi sitæ?
Hesperidum Mala, quænam sint?

HERCVLES PRODICIVS.
ARCVS PARS PRIOR.

Pag. 159.

SYNOPSIS.

PRODICI CEII, de HERCVLIS cum VOLVPTATE & VIRTVTE, Congressu, Commentum.
VIRTVTI & HONORIS Templa.
SPHINX, Roboris & Prudentiæ Symbolum.

BELLEROPHON:
ARCVS PARS POSTERIOR.

Pag. 162.

SYNOPSIS.

BELLEROPHON, Glauci, Corinthiorum Regis, Filius.
Idem CHIMÆRAM domat.
Illa, quid denotet?

SPECTACVLA MOBILIA.

PASSIM PER VRBEM DISPOSITA.

Pag. 165.

GIGAS.

Gigantis Antverpiani Fabula.

ELEPHAS.

Elephas ab Emanvele, Lusitaniæ Rege, ad Imp. Cæs. Ferdinandvm I. Aug. missus.

BALÆNA.

Balæna, in Baltico Mari, frequentes.
Baltia Insula.

CVRRVS ÆQVOREVS.

Θαλασσοκρατία, *Matris Imperia potens*, præcipuum Potentiæ præsidium.

PARNASSVS.

Lacedæmonij ante Prælij discrimen Mvsis sacrificabant, & curi Hercvli & Mvsis Templum commune à Fulvio Nobiliore, Consule, dedicatum.

Magistratvs Serenmo Principi Adventvm gratulatur.

FESTORVM IGNIVM HILARIA.

Ignes Triumphales totâ Vrbe exstructi.

Pag. 169.

Loca Vibis celebriora à Serenmo Principe lustrata.
Moenivm Antverpiensivm Amœnitas.
Tvrris Templi Mariani, Elegantia & Altitudo.
Templvm Marmoreum Societ. Iesv.
Sacellvm Marmoreum Gaverellianvm.
Domvs Pet. Pavlli Rvbenii, Equitis, Æui nostri Apellis.
Metrodorus, Pictor & Philosophus.
Typographeion Plantinianvm.
Avlaeorvm Officina.
Discessvs Serenmi Principis.

VRBIS ANTVERPIÆ ICON,

Quâ Locorum insignium, ac Viæ triumphalis Designatio est expressa.

Pag. 172.

LAVREA CALLOANA:

APPENDIX AD POMPAM INTROITVS

SERmi PRINCIPIS FERDINANDI AVSTRIACI, ETC.

IN VRBEM ANTVERPIAM.

Pag. 173.

SYNOPSIS.

Kallinikos, *Pulcer Victor*: Cognomentum claris Ducibus olim datum.
Hercules sic dictus: item, Seleucus, Syriæ Rex, & Imp. Cæs. Iustinianus Aug.
Navis, Felicitatis Symbolum.
Providentia Avgvsta, Bifrons.
Antverpiæ & Avdomaropoleos, Effigies.
Trophævm.
Victoriæ Geminæ.
Corona Civica, ex Augusti Cæs. Numis repræsentata.
Cæ eadem *Querea*.
Corona obsidionalis, cui *Graminea*.
Lavrea Victoribus oblata.
Corona avrea, Triumphalis.
Virtvtis & Fortvnæ Icon.
Tritonis Effigies in Nauibus efficta.
Genivs Delphino insidens.

LAVREÆ CALLOANÆ

DIARIVM HISTORICVM.

Pag. 177.

SYNOPSIS.

XIII. Ivnii, Ann. M.D.C XXVIII. Classis Bataua, Præfecto Gul. Comite Nassauio, Lilloam & Liskenshoeam appellit.
XIV. Ivnii, Batavi per Scaldis æstuaria, Flandriæ aggeres inuadunt.
Verbrocam Castellum, Fulsto oppido vicinum; & Calloam Castellum, altero lapide ab Vrbe Antverpia remotum, hostes occupant.
Ant. Siuori, Equitis, Consulis Antuerpiani, cura de Vribis custodiâ.
Marianvm & Perlevm, Castella.
Hostes quadrifariam se muniunt.
Regiorum Munitiones in Aggere, versus Calloam.
Serenmus Princeps, Ferdinandvs Avstriacvs, Belgarum Proreis, Antverpiam proficiscitur.
Exercitus Regij per Belgium Partitio.
Sermus Cardinali Princeps, Francisc. Thomas a Sabavdia, Regiorum apud Belgas armorum Gubernator.
Guliel. de Beite, Marchio Ledæus.
Andr. Cantelmus, Regiarum in Flandriæ Prouinciâ copiarum, aduersus Batauos Præfectus.
Sigismundus Sloiudrarus, Montisfiani apud Subalpinos Marchio, Equitum Regiorum Promagistratus in Wasiam tendit.
Fonclari & Saftagi Comes, Henr. de Alagona.
Paull. Bernardus, Comes Fontanus.
XV. Ivnii, Legio Germanica Adelshouij, Beueram tendit.
Princeps Arausiacus exploratum mittit, de successu Expeditionis Gul. Nassauij.
Serenmus Princeps Ferdinandvs, Belgarum Protector, Antverpiam venit.
XVI. Ivn. Batauorum & Regiorum in Calloano Aggere pugna, alternante Victoriâ.
Fontani Comitis Prouidentia.
Hostis munitione in Aggere excitatâ, expulsus.
Fonclarus Comes ad Beueranum Aggerem missus.
XVII. Ivn. Consules & Senatus Antuerp. Commeatum ad Castella mittunt.
XVIII. Ivn. Batauorum in Beuerana Castra irruptio.
Mauritij, Comitis Nassauij, Mors.
Marchionis Ledæi à Mosâ Aduentus.
Concilium Bellicum in Vertâ habitum.
XIX. Ivn. Apparatus ad Hostem tutiùs assultu inuadendum.
XX. Ivn. Verbrocani Castelli oppugnatio, Ductore Cantelmo.
Calloæ oppugnatio, Comite Fonclaro, Ductore.
Hostilium in Beverano Aggere, Castrorum oppugnatio, Marchione Ledæo, Ductore.
XXI. Ivn. Apparatus ad alteram in hostes impressionem.
Guliel. Comitis Nassauij Fuga.
Exercitus Batauici Fuga, & Cædes.
Capta Batauorum suprà tria Mullia.
XXII Ivn. Publica Antverpiensivm, ob Calloanam Victoriam Lætitia.
Ferdinandi Principis in Captiuos Benignitas.
Victoria altera olim ad Calloam parta, Anno M.CCC.LXXIIV.
Avdomaropolis, Geldria, Fontarabia, Bava in nouo Orbe, Lingovta, Obsidione liberatæ.
Imperij Romano-Avstriaci continui Annvi Bis-Secvlaris.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
ET OBSERVATIONVM,
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

ABundantiæ & Vbertatis Typus. Pagina 138.
Abyla, Herculis Columnarum, vna. 24
Ægis, Loricæ Iouis & Minervæ. 20. & 120.
Alberti, Archiducis Austriæ, Belgarum Principis, Elogium 40.
Alberti I. Imperatoris Elogium & Res gestæ. 55.
Alberti II. Imp. Elog. & Res gestæ. 59.
Alchymistæ Sollis appellatione Aurum, Lvnæ verò, Argentum denotant. 152.
Alexander Macedo ætatis anno XXVI. Darium ad Arbela, vincit. 115.
Alphonsvs I. Lusitaniæ Rex. 24.
Anuia, Familia Romana. 46.
Antverpiæ Elogium & Cardauo. 150.
Antuerpiensium Oratio gratulatoria de Adventv Principis. 1.
Apollinis Simulacrum, cur citharam gestet? 87.
Apotheosis Isabellæ Claræ Evgeniæ. 94.
Aquila, Legionum Insigne, apud Persas & Romanos. 48.
Aquila, cur pullorum indolem exploret? 102.
Aquilæ cum Dracone Bellum. ibid.
Aquilæ geminæ in Brabantiam aduolant. 2.
Arbor Genealogiæ Austriacæ. 143.
Arcvs ab Imp. quorum Honori erant erecti, Nomen fortiebantur. 90.
Arcvs Ferdinandini Pars anterior. ibid.
Arcvs Ferdinandini Pars posterior. 108.
Arcvs Lvsitanici Pars prior. 19.
Arcvs Lvsitanici Pars posterior. 22.
Arcvs Monetalis Pars prior. 151.
Arcvs Monetalis Pars posterior. 155.
Arcvs Philippi Pars anterior. 25.
Arcvs Philippi Pars posterior. 33.
Argentevs Amnis, vmbo, Rio de la Plata. 154.
Augustæ Trevirorum Francos pellentes. 4.
Augustus Cæsar Rerum à se gestarum Breviarium conficiunt Romæ. 30.
Avlæorvm Officina. 171.
Avrea mala Hesperidum ab Hercule decerpta. 157.
Avrora Alata, Victoriæ habitu. 105
Avster, svlmine armatus. 15. 16.
Austria olim Pannonia Svperior, Romanis dicta. 41.
Eadem, Imperatorum Sedes habita. ibid.
Avstriacorvm Cæsarum Pietas. 144.
Avstriæ Domvs, supra omnes Cæsareas Familias Imperium quàm diutissimè in Stirpe suâ feruauit. 44.
Eadem Cor & Clypevs Romani Imperij à Friderico II. Imp. dicta. 49.
Eiusdem Insignia: & Origo eorundem. 47.
Avstriaca & Bvrgvndicæ Domus Vnitio. 25.
Avstriaci Imperij Amplitudo, Herculis & Bacchi Metas excessit. 49

B.

BAlænæ, in Baltico Mari frequentes. 166.
Batina Insula. ibid.
Basis Epigrammatis Germanicum Cæs. 109.
Bellerophon. 161.
Idem Glaucs, Corinthiorum Regis, Filius. ibid.
Chimæram domat. 163.
Belli portæ. 118.

Boni eventvs Typus in Numis. 22.
Boreæ Icon. 15.
Idem, Anguipes. 16.
Bvrgvndicæ & Avstriacæ Domus Vnitio. 25.

C.

CAbvcei Descriptio. 124.
Gallinicvs, Cognomentum Victoribus datum. 173.
Cæsarvm Avstriacorvm Pietas. 144.
Calpe, Herculis Columnarum vna. 24.
Candelabrvm Mysticum Hebræorum, septuplex. 94.
Idem, quid designet? 95.
Caroli V. Imp. Elogium & Res gestæ. 65.
Carolvs V. Imp. Francisci I. Galliarum Regem, ad Ticinum capit. 59.
Eiusdem Moderatio & Clementia. ibid.
Symbolum eius Plvs vltra, à quo excogitatum? 49.
Caryatides, Statuæ mulieres, onera ferendo collocatæ. 23. 105.
Castores, cur Pileati & Stellati? 106.
Cathedra Caniculosa, cur Catullo dicta. 154.
Cerberi Simulacrum. 88.
Eadem, cur Legifera dicta? ibid.
Cestus, Veneris Cingulum. 92.
Chervbini gemini, Connubij Symbolum Rabbinis. 27.
Chimæra triuida. 164.
Clava Herculi, Oleaginea. 105.
Clementiæ Typus, in Numis. 23.
Clementis VIII. Pont. Max. de Philippi II. Hispaniar. Regis, Pietate, illustre Testimonium. 144.
Colvmna Aduentus. 50.
Colvmna Antoniniana illustrata, aduersus Baronium. 16.
Colvmnæ Bacchi. 49.
Colvmnæ Herculis. 49. 152.
Comi, Epularum Præsidis, Effigies. 148.
Concordia Exercitvvm, Cæsares & Reges. 115.
Concordiæ Typus. 139.
Consentes dii xii. cur ita dicti? 85.
Cronvs Deus, idem qui Saturnus. 33.
Falcem cur gestet ibid.
Cvniculvs, cur in antiqua Hispaniæ Numis expressus? 153.
Cybele, Deûm Mater, prisci dicta. 34.
Cur turrita? ibid.

D.

DAnvbii Icon in prisci Numis. 18.
Delphin, Maris Imperium denotat. 35.
Devm vnvm non pauci Gentilium agnouerunt. 86.
Diana Simulacrum. 92.
Discessus Sereni Principis. 171.
Discordiæ Icon. 114.
Diva Isabella Aragonia, Lusitaniæ Regina, Regum Regnumque parentes, dicta. 96.
Divæ Isabellæ, Hungaricæ, Francicæ, & Aragonicæ, Regum Filiæ, Cœlitum Catalogo adscriptæ. 96.
Domvs Pet. Pavlli Rvbenii, Equitis. 171.
Δοῦλος οὐδὲ ἄρχων. 85.
Draco, Belli Symbolum. 132.
Idem, Palladi Sacer. 154.

Draco calcatus, Belli oppressi Symbolum. 135.
DRACO PERVIGIL, *Aures Velleris Custos.* 153.
DRACONES, *inter Signa Militaria.* 134.
Ducum nomina in Signis prælata. 110.

E.

ELEPHAS *ab* EMANUELE, *Lusitaniæ Rege, ad Imp. Cæs.* FERDINANDUM I. *missus.* 166.
EMANUEL *Lusitaniæ Rex.* 21.
Equus, Belli Symbolum. 98.
ERNESTI, *Archiducis Austriæ, Elogium.* 40.

F.

FACES *in Funeribus olim adhibitæ.* 94.
Faces unuersæ, Lucius signum. 133.
FAMIS *Icon. Cur caudata?* 111.
FELICITATIS *Typus, in Numis.* 23.
FERDINANDI *Aragonij, Hispaniar. Regis, Elogium.* 40.
FERDINANDI I. *Imp. Elogium, & Res gestæ.* 69.
FERDINANDI II. *Imp. Elogium, & Res gestæ.* 77.
FERDINANDI III. *Hungariæ & Bohemiæ Regis, Elogium.* 104.
FERDINANDORVM *Congressus ad* NORLINGAM. 17.
FERDINANDORVM *in Præsio* NORLINGANO *Fiducia & Robur. Eorumdem Concordia.* 103.
FERDINANDVS *Hispaniar. Infans, Belgarum Gubernator à Rege declaratur.* 1.
NAVIGATIO *eius Barcinone Genuam.* 15.
PROFECTIO *eius in Belgium.* 1.
COLONIAM *venit.* 2.
BRUXELLAM *intrat.* *ibid.*
ANTVERPIAM *petit.* 4.6.
Comitatur eius. 5.
LAUREA *illi oblata.* 9.
FERDINANDVS III. *Hungariæ Bohemiæque Rex, &* FERDINANDUS *Hispaniarum Infans, Eidem ad* NORLINGAM *prandii occupanti & munuscul.* 100.
Idem VICTORIÆ NORLINGANA *potiti anno ætatis suæ* XXVI. 113.
FESTORVM IGNIVM HILARIA. 169.
FIDES MILITVM. 115.
Flores in Funeribus olim adhibiti. 95.
FREDERICI III. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 57.
FREDERICI IV. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 61.
FVLMEN AVREVM *Aquilæ, Legionum Signa, pugnibus tenebant.* 136.
Idem, IOVI CAPITOLINO *sacratum.* *ibid.*
FVLMEN *olim nota Monetalis.* 136.
FVROR *in* IANI TEMPLO *conditus & catenatus.* 118.
Idem, cur pingatur cæcus? 119.

G.

GASPAR DE GVSMAN, *Comes Olmarucnsis, &c.* 105.
GENIVS *Vrbis Antuerpensis.* 14.
Gesta Principum Statuis eorum præfixis solita. 50.
GIGANTIS *Antuerpiani Fabula.* 167.
GORGONIS *caput, cur alatum?* 121
GOTHOFREDI BVLLONII *Expeditio in Terram sanctam.* 141.
GRYPHES *auri Custodes.* 47.

H.

HARPYIA *Galeata & Clypeata.* 118.
HARPYIARVM *Descriptio.* 119.
HERCVLES PRODICVS. 159.
HERCVLI & MVSIS *Templum commune à Fulvio Nobiliore Consule dedicatum.* 167.
HERCVLIS *cum* VOLVPTATE *&* VIRTVTE *Congressus.* 159.
Hesperidum Insulæ vbi sitæ? 137.
Hesperidum Mala, quenam sint? 138.
HESPERVS, *Stellarum maximus* 37.
Hippocampe, cur sic dicta? 17. 20.
HISPANIA, *Atrarum Principatus perpetuus.* 155.
Hispania, Zephyri domicilium. 15.
Hispanicæ Imperij Latitudo. 39.
HONORIS *Statua.* 111.
HYMENEI *Statua.* 27.

I

IANI TEMPLVM *a* NVMA *Rege conditum.* 118.
Idem claudendi & aperiendi causa, aduersus Seruij, aliorumque sententiam. 140.
A quibus id clausum? 141.
IANVS, *antiquissimus Italiæ Rex.* 117.
Idem, cur Bifrons? *ibid.*
IASONIS *in Colchos, ad Vellus Aureum rapiendum, Nauigatio.* 132.
Ignis in Nuptiis olim adhibitus. 27.
Imperium Romanum Anchoræ fluctuantium rerum humanarum. 49.
INDIÆ OCCIDENTALIS *Simulacrum.* 36.
INDIÆ ORIENTALIS *Simulacrum.* *ibid.*
INDVSTRIÆ *Typus.* 148.
IOANNA *Hispaniar. Infantis, in Belgium Aduentus.* 33.
IOANNES I. *Lusitaniæ Rex.* 24.
IOVIS CONSERVATORIS *Simulacrum.* 92.
ISABELLA CLARA EVGENIA *post Mariti obitum* D. CLARA *habitum assumit.* 96.
Eius Obitus. 1.
Eiusdem Elogium. 41.
ISABELLÆ, *Hispaniarum Reginæ, Elogium.* 40.
Eiusdem curà, nouus Orbis detectus. *ibid.*
Iugum aureum coniugale. 34.
IVNO *Gamelia.* 25.
IVNONIS *Simulacrum.* 89.
IVPITER & IVNO, *Dij Coniugales pristie habiti.* 25.
Iupiter, geminâ Aquilâ emissâ, Orbem metitur. 101.
Iusti Lipsij Epigramma in RODOLPHI I. *Cæs. Pietatem.* 143.
Iuuenes vnde dicti? 113.
IVVENTÆ *Effigies.* *ibid.*
Iuuentæ statuum, ex Varrone. *ibid.*

L.

LACEDÆMONIJ *ante prælij diserimen* MVSIS *sacrificabant, & cur?* 167.
Laurus, cur Victoriæ Symbolum? 9.
LETITIÆ PVBLICÆ *Icon.* 14.
LEONES, *cur Insignibus vrbi Custodes, adiuncti?* 47.
LIBERALITAS *Regia Catholici,* PHILIPPI IV. 112.
LVCTERI *Laureati Effigies.* 114.
LVCTVS *Icon.* 113.
LVSITANIÆ *Insignia vnde originem habeant?* 14.
LVSITANORVM *Arcus.* 19.

M.

Magistratus Antuerp. FERDINANDO ADVENTVM *gratulatur.* 167.
MANVBIÆ, *quid præstet?* 116.
MANES, *Virtutes Bellicæ ac Fidei Symbolum.* 8.
MARIS *Imperium.* 166.
MARS GRADIVVS. 12.
Martialis explicatus. 120.
MARTIS VLTORIS *Simulacrum.* 88.
MATTHIÆ I. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 73.
MAXEMILIANI, *Archiducis Austriæ, cum* MARIA BVRGVNDA, *Conjugium.* 36.
MAXIMILIANI I. *Rom. Regis Elogium, ex Hermolao Barbaro.* 28.
MAXEMILIANI I. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 63.
MAXEMILIANI II. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 71.
MERCVRII ARITVRIENTIS PEGMA. 147.
MERCVRII *Simulacrum.* 91.147.
Idem, Belgis quondam cultus. *ibid.*

Metrodorus Pictor & Philosophus. 171.
Mexicanorum & Peruanorum Aurifera Regna auspiciis Imp Cæs. CAROLI V. *Aug. Hispaniarum Regis, subacta.* 153.
MOENIVM *Antuerpiensium Amœnitas.* 169.
MONARCHIÆ AVSTRIACÆ *Typus.* 36.
MONETALIS ARCVS *Pars prior.* 151.
MONETALIS ARCVS *Pars posterior.* 155.
Moneta ad commercium Generis humani, cusa. 151.
MONETAE *Typus.* ibid.
Mons Argenteus in Hispaniâ. 155.
Mons Aureus à Pompeio in Triumpho de Mithridate victo, circumlatus. 151.
Mos Arcuum Triumphalium Imperatorib. post rem præclarè gestam, erigendorum. 99.

N.

Nauigationis, apud Antuerpienses olim florentis, Typus. 149.
NAVIS, *Felicitatis Symbolum.* 153.
NEPTVNI *Simulacrum.* 89.
NEPTVNVS γαιήοχος, Terram continens. 149.
Nimbus Deorum vel Imperatorum capita ambiens. 109.
NOBILITATIS *Effigies.* 113.
Noctua, cur PALLADI *sacra?* 104.
NORLINGA, *olim* ARÆ FLAVIÆ, *dicta.* 114.
NORLINGA *à* CAROLO V. *Imp. olim occupata.* 107.
Norlinganæ Victoriæ cum Milburgicâ, collatio. 106.
Norlingani Prælij Icon. 99.
NVMI *Institutio.* 151.
Numus C. Cæs. Octauiani Aug. in quo gemini Angues, Victoriâ mediâ, nouè explicatus. 127.
Numus M. Antonij III. *viri, interpretatus.* 129.
Numus Vespasiani Aug. aduersus Ioan. Tristanum, explicatus. 125.

O.

OBELISCI *ab Ægyptiis* SOLI *consecrati.* 48.
OCEANI *Icon.* 149.
OCTAVII, COMITIS PICOLOMINEI, *Elogium.* 83.84.101.
Oculus Sceptro appictus, Regis Typus, Ægyptiis. 25.
OPVLENTIAE *Typus.* 148.
Oues aureis Velleribus conspicuæ, in Hispaniâ. 153.

P.

Pacificator habitus, in statuis. 11.
Pacificatores, Medij, *dicti.* 128.
PACIS *Typus.* 124.
PALLADIS *Simulacrum.* 88.
Eiusdem Clypeus. 104.
Eadem Sapientiæ & Militaris Roboris Præses. 88.
PALMAE *natura.* 14.
PANNONIAE, Imperiis grauidæ, *cur Ausonio dictæ?* 44.
PAPAVER, *Securitatis Symbolum.* 23.
PARNASSVS. 167.
PAVORIS & PALLORIS *Icon.* 122.
Iisdem à Tullo Hostilio Templum erectum. ibid.
PAVPERTATIS *Typus.* 148.
Paupertatis & Artis Ara apud Gades. 149.
PAVPERTATIS & LVCTVS *Icones.* 123.
Pax inter M. Antonium & C. Cæs. Octauianum, Interprete Octauiâ. 129.
PERSAE, *Statuæ oneri ferendo collocatæ.* 20.
Peruanorum & Mexicanorum Aurifera Regna auspiciis Imp. Cæs. CAROLI V. *Aug. Hispaniarum Regis, subacta.* 153.
PERVVIA, *Auri Argentique fodinis opulentissima.* 155.
PERVVIVS *Flumen, à quo Regio vniuersa nomen sortita.* 154.
PESTIS *Icon.* 121.
PHILIPPI, *Macedoniæ Regis,* ἱερὸς πόλεμος, Bellum sacrum. 144.
PHILIPPI I. *Hispaniarum Regis, Elogium.* 29.
Eius Coniugium cum IOANNA, FERDINANDI & ISABELLAE, *Catholicorum Regum, Filiâ.* 33.
PHILIPPVS *Imp. primus omnium Impp. Romanor. Christianis sacris addictus.* 13.
PHILIPPVS II. *Hispaniar. Indiarumque Rex, Lusitaniam Castellæ adiungit.* 30.
PHILIPPVS III. *Hispaniar. & Indiarum Rex, Mauros Hispaniâ expellit.* 31.
PHILIPPVS IV. *Hispaniar. & Indiarum Rex,* GERMANIÆ *succurrit.* 32.
Eius Liberalitas. 112.
PHILIPPORVM, *Hispaniæ Regum, in Catholicâ Religione propagandâ, studium.* 144.
PIETAS AVSTRIACORVM CÆSS. 144.
PIETATIS *Statua.* 103.
POMPEIVS *anno ætatis suæ* XXV. *de Hiarba, Africæ Rege, triumphauit.* 113.
PORTA CÆSAREA. 7.
PORTICVS CÆSAREO-AVSTRIACA. 43.
Porticus priscæ, & in illis Statuæ. ibid.
POTOSIS, *Peruuiæ Mons Argentifer.* 151.155.
Principum gesta, Statuis eorum præfigi solita. 50.
PROVIDENTIA *Regis Catholici,* PHILIPPI IV. 112.
PROVIDENTIÆ *Typus.* 25.

R.

Radiata Impp. capita. 109.
Roberti Tucheri, Equitis, Consulis, Oratio ad Principem. 6.
RODOLPHI I. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 51.
Eius erga SS. Eucharistiam Cultus singularis. 143.
RODOLPHI II. *Imp. Elogium & Res gestæ.* 73.
Rosea Corona Musis sacra. 47.
RIXÆ *Icon.* 124.

S.

Sacellum Marmoreum Gauerellianum. 170.
SALVS PVBLICA. 12.98.
SÆVITIEI MILITARIS *Icon.* 121.
Sciluri, Scytharum Principis, Fasciculus. 139.
Scipio Nouam Carthaginem expugnat ætatis suæ anno XXV. 113.
SCVTVM & CADVCEVS, *Belli & Pacis Symbola.* 97.
SECVRITATIS *Typus.* 138.
SERPENS, *Hostilitatis Belliq; Symbolum.* 126.
Idem, quâ ratione Salutis Symbolum? 98.
SOL & LVNA, *Æternitatis Symbola.* 38.
SPECTACVLA MOBILIA. 165.
SPEI *Statua.* 12.
SPES FELICITATIS ORBIS. 13.
SPES PVBLICA. 12.
SPHINX, *Roboris & Prudentiæ Symbolum.* 161.
SYMBOLA XII CÆSS. AVSTRIACORVM. 93.

T.

TEMPLVM IANI *à Numâ Rege conditum.* 118.
TEMPLVM MARMOREVM *Societ.* IESV. 170.
TEMPORVM FELICITATIS *Typus.* 138.
TEMPVS *Circulum aureum gestans, cur à priscis expressum?* 26.
THEODOSIVS *Imp. Orbi Cæsarum manibus gestari solito, Crucem insigi primus curauit.* 37.
TRANQVILLITATIS *Typus.* 137.
Tristani error, in Explicatione GEMMÆ CÆSAREÆ, *siue* ACHATIS TIBERIANI, *qui in Gazophylacio Regis Galliarum, asseruatur.* 136.
TRITONVM *Icon.* 149.
TRIVMPHANTIBVS *accini solitum,* IO TRIVMPHE. 115.
TRIVMPHANTIVM *splendor.* 108.
TVRRIS *Templi* MARIANI *Elegantia & Altitudo.* 170.
Typographeion Plantinianum. 171.

V.

VAsco de Gama, Lusitanus, in Indiam Orientalem primus navigauit, superato bonæ Spei promontorio. 21.
VELLERIS AVREI Ordo à PHILIPPO BONO, Burgundiæ Brabantiæque Duce, institutus. 151.
Per Vellus aurium quid veteres designarint? ibid.
VENATIO, Heroicum studium. 93.
VENERIS VICTRICIS Simulacrum. 91.
VENTI Alati in prisca Statua. 16.
Vespasiani & Tit. Aug. itemque Cretensium Nomis, Lux data. 131.
VESTA Simulacrum. 89.
Eadem, variis nominibus appellata. ibid.
VEXILLVM PVNICEVM, Pugnæ signum. 124.
VICTORIA, cur alata? 12.
VICTORIA NORLINGANA ipso die S. VICTORIS, relata. 110.
VIRTVS, Heroum Mater. 111.
VIRTVTIS MILITARIS Encomium, ex Aristotele. ibid.
VIRTVTIS Statua. ibid.
VIRTVTIS & HONORIS Templa. 160.
Virtutum captarum Simulacra in Triumphi exhibita. 109.
Vrceolus, Expiationis Symbolum. 131.
VOTA PVBLICA. 14.
Votum pro PACE & CONCORDIA Christianorum Principum. 141.
VVLCANI Simulacrum. 89.
Idem, cur Vulcanus? ibid.

Z.

ZEPHYRI domicilium, Hispania. 15.

FINIS

INDICIS RERVM MEMORABILIVM.

TABV-

TABVLARVM SERIES.

Subiunctæ Paginarum quarumdam Numeris Litteræ: A, indicat primo loco; B, sequenti loco TABVLAM *esse inserendam.*

TAB.I. TABVLA PRÆLIMINARIS, seu Frontispicium: in quo EFFIGIES PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis Catholici.

II. Ser^mi Principis, FERDINANDI, Hispaniarum Infantis, &c. EFFIGIES. *Pagina 1.*

III. PROGRESSVS Seren^mi Principis ex Arce in Vrbem. 5.

IV. PORTA CÆSAREA. 7.

V. LAVREA Ser^mo Principi oblata. 9.

VI. ADVENTVS Ser^mi Principis Gratulatio, Pegma triplex. II.a

VII. Idem ADVENTVS: Media Pegmatis Tabula, maiori formâ. eâdem *pag.* II.b

VIII. NAVIGATIO Ser^mi Principis, Barcinone Genuam: Tabula lateris dextri. 15.

IX. CONGRESSVS Seren^missimi FERDINANDORVM ad NORLINGAM: Tabula lateris sinistri, eiusdem Pegmatis. 17.

X. LVSITANORVM ARCVS Pars anterior. 19.

XI. Eiusdem ARCVS Pars posterior. 22.

XII. ARCVS PHILIPPEI Pars anterior. 25.

XIII. CONIVGIVM MAXÆMILIANI, Archiducis Austriæ, cum MARIA, Belgarum ac Burgundionum Principe: Media Arcus Tabula, maiori formâ. 26.

XIV. ARCVS PHILIPPEI Pars posterior. 31.a

XV. CONIVGIVM PHILIPPI, Archiducis Austriæ, cum IOANNA, Hispaniarum Infante: Media Arcus Tab. maiori formâ. eâdem *pag* 33.b

XVI. PORTICVS CÆSAREO-AVSTRIACA, XII. CÆSARVM statuas complectens. 41.

XVII. Sex priorum IMPP. CÆSS. AVSTRIACORVM; RODOLPHI I. ALBERTI I. FREDERICI III. ALBERTI II. FREDERICI IV. MAXÆMILIANI I. AVGG. Statuæ, cum DIIS CONSENTIBVS, maiori formâ. 51.

XVIII. Sex sequentium IMPP. CÆSS. AVSTRIACORVM; CAROLI V. FERDINANDI I. MAXÆMILIANI II. RODOLPHI II. MATTHIÆ I. FERDINANDI II. AVGG. Statuæ, cum DIIS CONSENTIBVS, maiori formâ. 65.

XIX. ICHNOGRAPHIA PORTICVS CÆSAREO-AVSTRIACÆ. 93.

XX. APOTHEOSIS Seren^mi Principis, ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Hispaniarum Infantis, &c. Pegma secundum. 94.

XXI. Eadem APOTHEOSIS: Media Pegmatis Tab. maiori formâ. 96

XXII. ARCVS FERDINANDINI Pars anterior. 99.a

XXIII. PRÆLIVM NORLINGANVM: Media Arcus Tabula, maiori formâ. eâdem *pag.* 99.b.

XXIV. ARCVS FERDINANDINI Pars posterior. 108.a

XXV. TRIVMPHVS VICTORIÆ NORLINGANÆ: Tabula media, maiori formâ. eâdem *pag* 108.b

XXVI. TEMPLVM IANI, Pegma tertium. 117.a

XXVII. Idem TEMPLVM IANI: Media Pegmatis Tab. maiori formâ. eâdem *pag* 117.b

XXVIII. ARBOR GENEALOGIÆ AVSTRIACÆ, Pegma quartum. 143.

XXIX. MERCVRIVS ARITVRIENS, Pegma quintum. 147.a

XXX. Idem MERCVRIVS ARITVRIENS: Media Pegmatis Tab. maiori formâ. eâdem *pag.* 147.b

XXXI. ARCVS MONETALIS Pars prior. 151.

XXXII. ARCVS MONETALIS Pars posterior. 155.

XXXIII. HERCVLES PRODICIVS, Arcus ad D. Michaëlis Pars prior. 159.a

XXXIV. Idem HERCVLES PRODICIVS: Media Arcus Tabula, maiori formâ. eâdem *pag* 159.b

XXXV. BELLEROPHON, Arcus ad D. Michaëlis Pars posterior. 162.a

XXXVI. Idem BELLEROPHON: Media Arcus Tab. maiori formâ. eâdem *pag.* 162. b

XXXVII. TVRRIS TEMPLI MARIANI, è quâ exhibita FESTORVM IGNIVM HILARIA. 169.

XXXVIII. ANTVERPIÆ Icon, quâ VIÆ TRIVMPHALIS ac LOCORVM INSIGNIVM Designatio est expressa. 172.

XXXIX. LAVREA CALLOANA: Appendix ad POMPAM INTROITVS Seren^mi Principis, FERDINANDI AVSTRIACI, &c. 174.

OMISSA QVÆDAM
SVIS LOCIS INTERSERENDA.

IN TABVLÆ PRÆLIMINARIS, seu Frontispicij, Explicatione, post illa verba: *Ita Socrates apud Platonem ait, Amnes quosdam spiras circum Terrarum Orbem replicare, instar Anguium.* [Adde:] Verba ipsius sunt in Phædone, circa finem: Ἔστι δὲ ἃ παντάπασι κύκλῳ περιελθόντα, ἢ ἅπαξ ἢ καὶ πλεονάκις περιελιχθέντα περὶ τὴν γῆν, ὥσπερ οἱ Ὄφεις, εἰς τὸ δυνατὸν κάτω καμφθέντα, πάλιν ἐμβάλλει, ἢ δυνατόν ἐστιν ἑκατέρωσε μέχρι τοῦ μέσου καθιέναι, πέρα δ' οὐ. ἄναντες γὰρ ἀμφοτέροις τοῖς ῥεύμασι τὸ ἑκατέρωθεν γίγνεται μέρος. *Nonnulli circulo quodam omnino circumrotati, aut semel aut sæpius circa Terram, instar* ANGVIVM, *in spiram gyrumque circumplicati, quantum fieri potuit, infrà curuati rursus impellunt se, quà licet vtrimque ad medium vsque descendere, non verò vlterius. Imperuia est enim ad vtraque profluuia, vtraque pars.*

Pag.16. lineâ 23. post illa verba: *Qui ambulat super* PENNAS VENTORVM. [Adde] Et Psalm. XVII. Ἐπετάσθη ἐπὶ πτερύγων Ἀνέμων. *Volauit super* PENNAS VENTORVM.

Pag.132. lineâ 15. post illa verba: Superpondia quædam, ad superiora illa rationum nostrarum momenta hîc adiicere volui, vt nullum de Interpretatione nostrâ dubium relinquatur. [Adde] In libro Esther, cap. XI. tale refertur Mardochæi Somnium: *Apparuerunt voces & tumultus & Tonitrua, & Terræmotus & conturbatio super Terram. Et ecce* DVO DRACONES *magni, paratique contra se in prælium. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt Nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum.* Per DVOS istos DRACONES, intelligenda esse Dissidia & Hostilitates mutuas, Mardochæum inter & Amanum, constat ex præcedenti cap. X. vbi Mardochæus ipse Somnium istud ita interpretatur: *Duo autem* DRACONES, *Ego sum & Aman. Gentes quæ conuenerant, hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum. Gens autem mea, Israël est, quæ clamauit ad Dominum: & saluum fecit Deus populum suum.* Ægyptij, &c.

Pag.135. lineâ 22. post illa Euthymij Zygabeni verba: *Per* DRACONVM *capita, Milites, Tribunos, Centuriones & Duces intelligit, qui à Pharaone missi sunt, ad persequendum populum Israël.* [Adde] Huc quoque faciunt duo C. CÆSARIS Numi, parum hactenus ab Antiquariis intellecti: qui adferuntur à Goltzio in C. IVL. CÆSARE, Tabulâ VII. & XV. In iis Numis expressus est ELEPHAS SERPENTEM IVBATVM calcans. Atque alteri quidem Numo subscriptum est, CÆSAR: alteri, DICT. QVART.

C. Cæsaris Numi lux data.

Haud dubiè Numi isti referendi sunt ad C. CÆSARIS Victoriam Africanam de IVBA, Numidiæ & Mauritaniæ Rege, qui Pompeianas partes fouebat etiam post Pharsalicam cladem: Bellumque à Cæsare oppressum eo schemate designatur. ELEPHAS siquidem, Maurorum linguâ CÆSAR dictus est, teste Spartiano in Vitâ Ælij Veri. CÆSAREM, inquit, *ab Elephante (qui linguâ Maurorum* CÆSAR *dicitur) in prælio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi & eruditissimi viri putant dictum.* Seruius quoque ad I. Æneid. idem etymon adfert. CAESAR, *vel quòd cæso matris ventre natus est: vel quod Auus eius in Africâ manu propriâ occidit Elephantem, qui* CAESAR *dicitur Pœnorum linguâ.*

SERPENS IVBATVS Regem IVBAM domitum & oppressum denotat. Serpentibus fœtam esse Africam, nemo nescit. Frequens autem est in Numis, per rerum Symbola ad Nomina eorum, qui in Numis designantur, alludi. Ita (ne longè abeam) in eodem Goltzij opere, Tab. XIV. repræsentantur gemini Numi, in quorum posticâ parte expressus est VITVLVS: allusione proculdubiò factâ ad cognomen Q. VOCONII VITVLI, Quæstoris designati, qui Numum istum percussit, vt ex Inscriptione eius patet. Maro 2. Æneid. Anguibus Laocoontem amplexis *sanguineas iubas* tribuit: quas *aut cristas aut barbas* interpretatur ibidem Seruius. Ex Inscriptione Numismatis, constat illud esse percussum, cùm DICTATVRAM QVARTAM CÆSAR gereret: quam post Annum Vrb. conditæ D.CC.IX. ille iniit, cùm biennio antè de Rege IVBA triumphasset. Quâ de re videndus Dion lib. XLIII. Plutarchus Vitâ Cæsaris, aliique. Sed & solum, &c.

Ead. pag. lineâ 31. post illa verba: Id sanè non minus ridiculum, quàm si (vt Flaccus ait) SERPENTES *Auibus geminentur, Tigribus Agni.* [Adde:] Nam SERPENTEM inauspicatissimum esse iter facientibus omen, idem Flaccus asserit, Carminum lib. III. Odâ XXVII.

Rumpat & SERPENS iter institutum,
Si per obliquum, similis sagittæ, Terruit mannos.

Pag.173. lineâ postremâ, post illa verba: Seleucus item Syriæ Rex, & Imp. Cæs. Iustinianus Aug. CALLINICI Cognomento fuêre insigniti. [Adde:] Quin & Cantilenæ genus est ΚΑΛΛΊΝΙΚΟΣ, quod canebatur Victoribus: vt est apud Athenæum lib. XIV. & Saltationis, apud Hesychium: ΚΑΛΛΊΝΙΚΟΣ, εἶδος ὀρχήσεως ἐπὶ τῇ τοῦ Κερβέρου ἀναγωγῇ. Exempla eius rei frequentia apud Euripidem. Muret. Variar. Lection. lib. III. cap. XI.

Pag.174. lin.27. post illa verba: In ouali serto. [Adde] è Quercinis frondibus & Rosis contexto.

DE

DE
POMPA INTROITVS
SERENMI PRINCIPIS
FERDINANDI AVSTRIACI,
HISPANIARVM INFANTIS,
BELGARVM ET BVRGVNDIONVM GVBERNATORIS, &c.
IN VRBEM ANTVERPIAM;

EPIGRAMMA

Ad CL. V. CASPERIVM GEVARTIVM I.C^um & Archigrammatæum Antuerpianum: dum eamdem POMPAM, Inscriptionibus & Elogiis à se ornatam, Libroque Commentario illustratam, euulgaret.

AVSTRIACAS AQVILAS, & plenum Stemma Triumphis,
Et quod non vno clauditur Orbe, canis:
Sceptraq; fusa procul, geminumq; sequentia Solem,
Nuper & armatâ parta TROPHÆA manu,
Quæ rapidus sese ISTER agit, SCALDISq; laborat
Oceano vestras iungere Victor aquas.
Mactæ animo, nil vile paras; gremioq; receptum,
Hoc Opus in Celum Fama perenne feret.

NICOLAVS BVRGVNDIVS,
Regius in supremo Brabantiæ Senatu
Consiliarius, Pos.

DE EADEM POMPA
EPIGRAMMA AD LECTOREM.

DIcerit antiquos ROMA fordere Triumphos,
Et Latios nullum Nomen habere Duces,
Si, quas Regifico moles ANTVERPIA sumptu
DVCTORI posuit gratificata nouo,
Ingenio cernas atque Arte mirer RVBENI,
GEVARTIq; alta sidera adire tuba:
Hesperij FRATREM si contemplere MONARCHÆ,
Et iuuet Augusti facta notare viri.
Hâc FERDINANDOS, illâ regione PHILIPPOS,
Istâ CÆSAREI Culminis AVSTRIADAS,
Tot Decora intranti credas optare NEPOTI,
Armis ipse olim quot peperere suis.
Belgica confluxit Gens vndique, & extera plenis
Turba viis, ac vox omnibus vna fuit:
VRBEM, MVNDI OCVLVM, PRINCEPS; AT REGIS ET ORBIS
VRBS VTRIVSQVE ANIMAM DELICIVMQVE VIDET.

IACOBVS EYCKIVS,
Vrbis Antuerpiæ Senator, Pos.

CENSVRA.

POMPÆ TRIVMPHALIS, quâ Serenissimus Princeps FERDINANDVS AVSTRIACVS, Hispaniarum Infans, S.R.E. Card. Belgarum & Burgundionum Gubernator, &c. à S.P.Q. ANTVERP. in solemni eam in Vrbem INTROITV, est exceptus, accuratissima Descriptio, Auctore V.C. CASP. GEVARTIO, I.C. & Archigrammateo Antuerpiano; nihil Catholicæ Religioni bonisve moribus contrarium continet: sed ob multifariam Eruditionem, Antiquitatum & Historiarum Notitiam, Augustissimæque Domus AVSTRIÆ, qui in eâ, quâ solutâ, quâ vinctâ numeris oratione, celebratur, honorem, typis dignissimam censeo. Actum ANTVERPIÆ, pridie Idus Nouembr. CIↃ. IↃC. XXXVIII.

GASPAR ESTRIX,
S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus & Plebanus ac Libr. Censor Antuerpia.

CVm Priuilegio PHILIPPI IV. *Hispaniarum Indiarumq. Regis Catholici, Belgarum ac Burgundionum Principis, &c. Vrbi* ANTVERPIÆ *concesso: vti latius patet ex Diplomatibus datis in Concilio eius Priuato, Bruxellis, IX. Decembr. Anno* M.DC.XXXVIII.

Signat.

Le Comte.

Et in Concilio Brabantiæ, XXIII. Decembr. eodem Anno.

Signat.

Steenhuyse.

Permissu Senatus eiusdem Vrbis

ANTVERPIÆ
EXCVDEBAT IOANNES MEVRSIVS
TYPOGRAPHVS IVRATVS,
ANNO SALVTIS CIↃ. IↃC. XLI.

Biblioteca Nacional de España